Ed del Colegio de la Compª de Jesus de esta
Librería

DE
SANGVINE
CHRISTI
Libri Quinque.

IN QVIBVS DE ILLIVS NATVRA, effusionibus, ac miraculis copiosè disseritur.

Tùm Sacræ Scripturæ loci, Sanctorum Patrum, ac Theologorum sententiæ varijs disputationibus illustrantur.

Authore FRANCISCO COLLIO *Sacræ Theologiæ, ac Collegij Ambrosiani Doctore.*

CVM PRIVILEGIO.



BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

MEDIOLANI,

Ex Collegij Ambrosiani Typographia. M. DC. XVII.



Ex Collegij Anchoran. Typographia. Anno. 1611.

TIbi Franciſco Collio Collegij Ambroſiani Doctori Libros Quinque De Sanguine Chriſti omnium Doctorum ſuffragijs, conſenſuq. receptos imprimendi facultatem damus.

Antonius Ruſca Collegij Ambroſiani Præſes ſuo, & Collegarum nomine.

Imprimatur,

Frater Aloysius Bariola Augustinianus Consultor S. Officij pro Reuerendissimo Inquisitore.

Al. Bossius Can. Ord. Theol. pro Illustrissimo D. Cardinali Archiepiscopo.

Vidit Saccus pro Excellentiss. Senatu.

INDEX DISPVTATIONVM, ET CAPITVM, QVÆ IN ISTO VOLVMINE HABENTVR.

Primus Liber.

Qui est de natura, & proprietatibus Sanguinis Christi continet Disputationes 5. Capita vero 32.

DISPVTATIO PRIMA.

De nomine, veritate, & natura sanguinis Christi.

Cap. 1. TOTIVS operis partitio. pag. 1
De multiplici appellatione sanguinis Christi. 2
De veritate sanguinis Christi aduersus Marcionem, & alios hæreticos. 4
De natura sanguinis Christi. 8
De difficultatibus allatæ definitionis. 11

DISPVTATIO SECVNDA.

De nutrimentali, & vitali Sanguine Christi.

Cap. 1. An in Christo daretur sanguis nutrimentalis à vitali sanguine distinctus. 14
Opinionis Caietani rationes. 17
Caietani opinio refellitur. 19
Syluestri sententia de substantiali sanguinis discrimine. 22
Non esse approbandam Syluestri opinionem. 26
Vera, & tutior de hac difficultate sententia. 27

An

INDEX.

DISPVTATIO TERTIA.

An sanguis Christi inter humanæ eiusdem naturæ partes sit constituendus.

Cap. 1. De præuijs quibusdam rebus ad sensum quæstionis exp'icandũ. 32.
An sanguis fuerit pars essentialis naturæ humanæ Christi. 35
Sanguis non fuit pars naturæ Saluatoris ornans, potestatiua, & similitudinaria tantum. 36
Auctoris sententia. 39
De varijs rationibus sententiæ superioris capitis. 44
Theologicis rationibus idem suadetur. 51
De his, quæ aduersus opinionem nostram adduci possunt. 52
Rerum obiectarum rationes. 54

DISPVTATIO QVARTA.

An sanguis Christi anima præditus esset.

Cap. 1. De sanguinis animatione nonnulli veterum philosophorum errores. 57
Variæ scholasticorum doctorum de vita sanguinis Christi opiniones. 60
Quibus rationibus eadem sententia persuaderi possit. 63
Probabilior opinio eorum, qui sanguinẽ Christi viuere negarũt. 64
Neq; rationali, neq; sentiente, neq; vegetante anima præditum esse sanguinem Christi. 67
Diluuntur argumentationes tertij capitis. 71

DISPVTATIO QVINTA.

De mente Angelici Doctoris circa hactenus agitatas quæstiones.

Cap. 1. Quid in via D. Thomæ sentiendum sit de illis quæstionibus. An sanguis sit humanæ Christi naturæ pars, & an sit vegetante saltem anima præditus. 80
Syluestri, & Caietani de sensu Angelici doctoris iudicium. 82
Auctoris interpretatio, & iudicium. 86
Auctoris opinio Sancti Thomæ testimonijs comprobatur. 91
Refelluntur quædam solutiones, quibus alij propositis Sancti Thomæ auctoritatibus satisfacere conantur. 95
Tertia opinionis nostræ assertio illustratur. 99
Explicantur aliquot dubitationes. 102

Liber

INDEX.

Liber Secundus.

Qui eſt de vnione hypoſtatica ſanguinis Chriſti, continet Diſputationes quinque, Capita autem 22.

DISPVTATIO PRIMA.

De Vnione hypoſtatica ſanguinis Chriſti.

Cap. 1. NOn vnam fuiſſe Theologorum ſententiam de vnione hypoſtatica ſanguinis Chriſti. 106
Durandi, & aliorum opinio. 108
Allata ſuperiori capite ſententia varijs rationib. confirmatur. 111
Explicantur adductæ rationes. 114
Num Dei filius æqualiter humanæ Chriſti naturæ ſanguinem aſſumpſerit. 121
Aduerſus Caietanum, & Syluestrum totum ſanguinem Chriſti a Verbo fuiſſe aſſumptum oſtenditur. 125
Aliquot dubitationes explicantur. 130
Diuinum Verbum totam ſanguinis Chriſti ſubſtantiam aſſumpſit, eamq; ſibi proximè in vnitatem perſonæ copulauit. 133
Quibus rationibus inualidè probent nonnulli opinionem noſtram. pag. 138
Fortiora argumenta adducuntur. 140
Eadem ſententia confirmatur ſacræ ſcripturæ, & Sanctorum Patrum teſtimonijs. 145
Quædam difficultates contra aſſertionem noſtram explicantur. 149

DISPVTATIO SECVNDA.

De vnione hypoſtatica creſcentis ſanguinis Chriſti.

Cap. 1. Num ſanguis, qui in Chriſto ſenſim augebatur vnione Verbi hypoſtatica caruerit. 152
Auctoris ſententia. 156

DISPVTATIO TERTIA.

De ratione, qua recenter in Chriſto genitus ſanguis ad Verbi hypoſtaſim euehi potuit.

Cap. 1. Quinam fuerit terminus ex noua hac hypoſtatica ſanguinis vnione reſultans. 158

Quænam

Quænam ex allatis opinionibus plus probabilitatis, & veritatis habeat. 164
Probabilior ſententia. 168
Euertuntur quartæ opinionis fundamenta. 172

DISPVTATIO QVARTA.

Quid fidei Catholicæ dogmata ſtatuãt de vnione ſanguinis Chriſti facta cum Verbo.

Cap. 1. An certum fidei catholicæ ſit decretum, à Verbo fuiſſe aſſumptum ſanguinem Chriſti. 179
Euerſio argumentorum opinionis allatæ. 184
An ſaltem certum ſit fidei decretum Verbum ſibi intrinſecè coniunxiſſe maiorem ſanguinis Chriſti partem. 186

DISPVTATIO QVINTA.

De vnione hypoſtatica ad reſolutas ſanguinis Chriſti partes comparata.

Cap. 1. Viuente Chriſto domino à certis quibuſdam ſanguinis ſui partibus hypoſtatica vnio non ſemel diſſoluebatur. 194
Explicatio argumentationum ſuperioris quæſtionis. 200

Liber Tertius.

Qui eſt de ſex primis ſanguinis dominici effuſionibus, continet Diſputationes quindecim, Capita vero 59.

DISPVTATIO PRIMA.

De multiplici numero effuſionum ſanguinis Chriſti.

Cap. 1. Quot, & quæ fuerint ſanguinis Chriſti effuſiones. 205

DISPVTATIO SECVNDA.

De ijsdem ſanguinis domini effuſionibus peculiariter conſideratis.

Cap. 1. Tres ex prædictis ad minimum ſangninis effuſiones Chriſto patiẽti ſemel duntaxat contigerunt. 214

DI-

DISPVTATIO TERTIA.

Super illis verbis D. Lucæ. Et factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.

Cap. 1. De difficultate, quæ oritur ex illis verbis D. Lucæ. Et factus est sudor &c. 217
Cur in plerisq; codicibus ea D. Lucæ verba non reperirentur. 219
Ex codicibus varijs, ex Patribus, & ex Tridentino Concilio D. Lucæ auctoritatis certitudo ostenditur. 224
An sudor, qui ex Christi corpore preces ad Patrem fundentis manauit, verus sanguis fuerit. 229
Aliorum Patrum sententia explicatur. 233
Prioris sententiæ rationes dissoluuntur. 237

DISPVTATIO QVARTA.

De substantiali sudoris sanguinei perfectione, ac de alijs quibusdã dubijs ad sudorem sanguineum spectantibus.

Cap. 1. An sanguineus sudor substãtiali sanguinis forma præditus esset. 240
Sudor ne, an sanguis prius è corpore dominico fluxerit. 244
Num Apostoli oculis ipsi suis dominicum sudorẽ cõtemplati sint; an potius facinus istud à Christo domino sunt edocti.

DISPVTATIO QVINTA.

De sudoris sanguinei emissione.

Cap. 1. An miraculosè, & præter naturam sanguineus sudor è corpore dominico fluxerit. 250
Auctori magis probata opinio. 253
Quibus rationibus probari possit, naturalem fuisse sanguineum Saluatoris nostri sudorem. 259
Oppositæ opinionis argumentationes refelluntur. 255

DISPVTATIO SEXTA.

De una sanguinei sudoris effusione.

Cap. 1. Quoties Christus sanguineum sudorem effuderit. 259
Mens auctoris circa præsentem materiam. 275
Oppositis rationibus occurritur. 281
An omnes æqualiter corporis Christi partes sanguineum sudorem passæ fuerint. 284
Quæ sit vis rationum contrariæ opinionis. 288

Quænam Assertoris membra abundantiorum profuderint sanguinis sudorem. 209

DISPVTATIO SEPTIMA.

De Causa Sanguineis Sudoris.

Cap. 1. Aduersus impium Catholicæ Religionis hostem Caluinum ostenditur, mœrorem, sudorem, & cætera, quæ metuenti Christo acciderunt, ex gehenæ motu non traxisse originem. 293
De Sudoris Sãguinei causa varia Catholicorũ Doctorũ plaeita 297
Caietani, & quorundam Sanctorum Patrum de causa Sanguinei Sudoris Sententiæ. 307
Declaratur, ac defenditur magis probata auctori Sententia. 314
Obiectæ in superioribus capitibus difficultates diluuntur. 322.

DISPVTATIO OCTAVA.

De fine Sanguinei Sudoris.

Cap. 1. Cur Christus Dominus Sudore Sanguineo perfundi voluerit. 330
Num Sanguineus Sudor libero humanæ voluntatis Christi subesset arbitrio, an plane necessarius, & coactus fuerit. 338

DISPVTATIO NONA.

De Pelicani natura.

Cap. 1. An Pelicanus ales verum Assertoris nostri symbolum sit. 347
De Pelicani natura Sanctorum Patrum opinio. 348
Aliorum omnium scriptorum de Pelicani moribus sententia. 354
Quod Superioris capitis Sententiæ sit subscribendum. 360

DISPVTATIO DECIMA.

De Sanguine vi verberum expresso.

Cap. 1. Vtrùm Christus sub flagellis vuicam tantùm Sanguis effusionem passus sit. 364
De varijs allatarum opinionum rationibus. 368
Sententia auctori magis præcæteris probata. 371
Oppositа argumenta explicantur. 377

DISPVTATIO VNDECIMA.

De flagellationis Christi columna.

Caput Vnicum. Vna ne, an duplex fuerit columna, cui adhærens Dominus flagellatus est. 383.

INDEX.

DISPVTATIO DVODECIMA.

De effusione sanguinis in Cruce peracta.

Cap. 1. De nonnullis hæreticorum erroribus circa effusum Christi sanguinem in Cruce. 390
Christum non fuisse funibus in Cruce appensum. 395
An binarium duntaxat numerum attigerint; an verò quaternariũ etiam numerum excesserint illę sanguinis effusiones, quæ ex vulneribus clauorum manarunt. 399

DISPVTATIO XIII.

De numero clauorum.

Cap. 1. Probabilis sententia de quaternario clauorum numero. 404
Rationes, seu potius coniecturæ aliquot recitatæ opinioni suffragantes. 410
Sententia eorum, qui tres tantùm clauos admittunt, & Auctoris iudicium. 412
Commentitiæ opiniones de multiplicitate clauorum domini. 414

DISPVTATIO XIV.

De effusionibus sanguinis Christi sibi inuicem comparatis.

Cap. 1. Quænam sanguinis effusio, ex his, quæ Christo in Cruce pendenti acciderunt alijs effusionibus prior fuerit. 419
Quam formam in transfigendis Domini pedibus obseruarint carnifices. 422
Quæ fuerint pedum, ac manuum determinatæ partes, quę cruore maduerunt. 427
Num iam explicatis sanguinis domini effusionibus noua aliqua sanguinis profusio addenda sit. 431
Quænam sanguinis Christi effusio alijs omnibus vberior fuerit. 434
Quanta copia fuerit eius sanguinis, qui ex flagellorum, & clauorũ ictibus emanauit. 440
Venerabilis Bedæ de flagellatione Christi opinio. 444
De numero verberum flagellationis Christi. 451
Quod de tribus postremis sanguinis Christi effusionibus opinandũ sit. 453

DISPVTATIO XV.

De effusione sanguinis Christi absolutè considerata.

Cap. 1. An Christus totalem, & omnimodam sanguinis effusionem passus sit. 457

Aliquid ſanguinis corpori dominico adhæſiſſe, quibus rationibus oſtendi poſſit. 463
Auctoris ſententia. 466
Euerſio rationum prioris opinionis allatæ. 468
Poſterioris ſententiæ rationes. 477
Num pertineant ad ſubſtantiam formę ſanguinis Chriſti omnia illa verba. Hic eſt enim calix &c. 479

Liber Quartus.

Qui eſt de ſanguine ex latere Chriſti proſiliente, continet Diſputationes nouem, Capita vero 48.

DISPVTATIO PRIMA.

De præclaris miſterijs aquæ, & ſanguinis olim effuſi ex latere Saluatoris.

Cap. 1. SAnctorum Patrum inſignes ſententiæ, quibus mira quædam ſanguinis, & aquæ arcana explicantur. 483
Chriſti domini latus lancea transfoſſum nõ eſſe ante obitum Saluatoris aduerſus impios quoſdam hæreticæ prauitatis aſſertores. 492
Veritas Catholica. 497
Quod nulla ſit adductarum rationum vis. 499

DISPVTATIO SECVNDA.

De virtute, & efficacia, quæ ſanguinis fluxum è latere prouocauit.

Cap. 1. Diuina ne, an humana potius virtute perfoſſum Mediatoris latus ſanguinem profuderit. 503
Oppoſitæ ſententiæ rationes. 506
Quòd diuinitus ſanguis ex latere Chriſti dimanarit. 509
Euerſio firmamentorum oppoſitę opinionis. 513
An qui nullam in ſanguinis eruptione miraculum agnoſcunt profani cenſendi ſint. 521

DISPVTATIO TERTIA.

De ſanguine ex peremptis corporibus dimanante.

Cap. 1. Quod trucita corpora ſanguinẽ effundãt interfectore prẽſente. 527
Quę ſit cauſa emiſſionis huius ſãguineæ iuxta Aegyd. Ro. ſẽtẽtiã. 532
Secunda aliorum opinio. 535

Corne-

Cornelij Gemmæ de cruentatione cadauerum opinio. 541
Marsilij Ficini, & quorumdam aliorum sententia. 549
Auctoris opinio. 555

DISPVTATIO QVARTA.

De natura, & causa aquæ profluentis ex latere Christi.

Cap. 1. Quòd fuerit elemẽtaris aqua, quæ ex Assertoris latere profluxit. 565
Opinio eorum, qui in humanis corporibus vitam viuentibus verã aquam esse arbitrati sunt. 572
Num aqua, siue quoduis aliud elementum in generatione viuentis corporis certam subire cogatur suæ substantialis formæ corruptionem. 578

DISPVTATIO QVINTA.

Qua ratione in mortuo corpore Saluatoris generata sit aqua.

Cap. 1. Vtrùm in extincto Saluatoris corpore virtute naturali procreata fuerit elementaris aqua. 584
Num lateris aqua ex nonnullis corporis Christi resolutis partibus oriretur. 589
Argumentum nexus dissoluuntur. 596
Singulari diuinæ virtutis miraculo aquam lateris Christi productã fuisse. 601
Num genita, an procreata sit à Deo lateris aqua. 605
Num ante cuspidis ictum, an in eodem ipso lanceæ ictu procreata fuerit aqua. 611
De sede, ac domicilio aquæ ex latere manantis. 614
Num aquæ decursus sit diuino miraculo adscribendus. 618
Num aquæ fluxus sanguinis decursum anteceserit. 622
Num sanguis aqua prior fuerit ad fluendum. 629
Mixti ne, an potius impermixti defluxerint sanguinis, & aquæ liquores. 634

DISPVTATIO SEXTA.

De cæteris difficultatibus huius mysterij aquæ, & sanguinis.

Cap. 1. Quanta fuerit sanguinis, & aquæ copia. 639
Ex quo Saluatoris latere sanguis, & aqua manarint. 643
Quænam fuerit pars pectoris Christi ferro sauciata. 649

DISPVTATIO SEPTIMA.

De lancea, & milite, qui pectus Christi aperuit.

Cap. 1. De vera lanceæ figura, & de milite, qui cuspidis ictu sanguinem, & aquam ex latere Christi elicuit. 654

Superiori

Superiori capite allatam opinionem apochrypham esse, ex Metaphraste, & alijs antiquis scriptoribus conuincitur. 657
Auctoris hac de re iudicium. 659

DISPVTATIO OCTAVA.

De prodigioso sanguine Christi.

Cap. 1. Quibus Sanctorum Patrum, & historiarum testimonijs sanguinem ex imaginibus Christi aliquando profluxisse probetur. 665
Quod ex sacra Synaxi sanguis non semel effluxerit. 667
Cur has sanguinis profusiones contingere Deus permittat. 671

DISPVTATIO NONA.

De prodigiosi sanguinis natura.

Cap. 1. Quibus firmamentis probari possit, prodeuntem ex sacra Synaxi sanguinem, naturalem corporis Christi sanguinem esse 675
Angelici doctoris, omniumq; fermè theologorum de huiusmodi glorioso sanguine sententia. 680
Quid censendum sit de hac quæstione. 685
Infirma esse Alexandri Alensis de miraculoso sanguine firmamēta pag. 689
Quæ sit veritas Angelicæ doctrinæ. 936
De natura sanguinis defluentis ex sacro altaris Sacramento. 699
Contrariæ opinionis argumenta dissoluuntur. 703
An saltem vi Sacramenti verus sanguis Christi re ipsa contegatur sub eo ipso sanguine, qui in calice visitur. 707
Quod recitatis opinionibus subscribendum non sit. 711
Duplici ratione præsentia veri sanguinis Christi in prodigiosis sanguinis fluxionibus defenditur. 716

Liber Quintus.

Continet Disputationes vndecim, Capita vero 45.

DISPVTATIO PRIMA.

De sanguine Christi super terram effuso.

Cap. 1. MAteries, & ordo vltimi libri. 721
An in triduo mortis Christi sanguini effuso esset vnita diuinitas. 722
Secunda opinio. 724

Quæ

Quæ sint huius opinionis firmamenta. 730
Superioris capitis difficultates euacuantur. 734
Quid de vnione Deitatis cum effuso sanguine Christi senserint Cajetanus, & Syluester. 747

DISPVTATIO SECVNDA.

De varijs rationibus præsentis difficultatis.

Cap. 1. Quibus constet argumentis toti effuio sanguini vnitam fuisse diuinitatem. 750
Rationes secundæ classis. 754
Allatis rationibus occurritur. 757
Secundi ordinis rationibus satisfit. 761
Excepto sanguine, qui apud nos in terris remansit, toti effuso sanguini vnitam fuisse diuinitatem certis Sanctorum Patrum testimonijs ostenditur. 770
Eadem assertio varijs rationibus explicatur. 781

DISPVTATIO TERTIA.

De communicatione idiomatum.

Cap. 1. De natura, & radice communicationis idiomatum. 786

DISPVTATIO QVARTA.

An periculosum sit, negare sanguinem Christi in triduo vnione hypostatica caruisse.

Cap. 1. Num temeritatis, aut erroris notam is subeat, qui dicat sanguinem per triduum vnione diuinitatis caruisse. 800
Quid iudicij Auctor de hac quæstione habeat. 805
Oppositę opinionis rationibus respondetur. 807

DISPVTATIO QVINTA.

De immarcescibilitate sanguinis Christi.

Cap. 1. Sanguinem Christi cum diuinitate consociatum, neq; in puluerem, neq; in cinerem versum esse, aduersus quosdam Caluinianæ impietatis sectatores ostenditur. 815
Osiandri hęretici impium dogma refellitur. 821

DISPVTATIO SEXTA.

De copia sanguinis Christi iam gloria donati.

Cap. 1. Num in cœlis omnem sanguinem nunc Saluator habeat, qui olim in eiusdem corpore fuit, dum mortalem vitam viuebat. 825
Tres dubitatiunculæ proponuntur, & explicantur simul. 828
An in horto, & circunciſione effusum sanguinem rediuiuus Saluator assumpserit. 831

DI-

INDEX.

DISPVTATIO SEPTIMA.

De Christi præputio.

Caput. 1. An Christus ablatum sibi in circumcisione præputium rursus in resurrectione receperit. 839

Auctoris sententia. 846

DISPVTATIO OCTAVA.

De copia sanguinis Christi resurgentis.

Cap. 1. An in passione effusus sanguis cum Christo totus resurrexit.

Verum Christi sanguinem in terris esse memoriæ, atq; litteris proditum est. 848

Quid censendum sit de allatis superiori capite historijs. 860

Obiectis rationibus respondetur. 852

An cum fide catholica pugnet is, qui nihil veri snaguinis apud mortales remansisse, arbitraretur. 866

Num sanguini Saluatoris ad nunc etiam in terris existenti sit vnita diuinitas. 873

Argumentorum contra opinionem nostram allatorũ confutio. 878

DISPVTATIO NONA.

De peculiari S. Thomæ via circa allatas quæstiones.

Cap. 1. An iuxta Angelici doctoris sententiam concedendum sit aliquid vẽ ri sanguinis Christi in terris remansisse, qui non fuerit in resurre ctione assumptus. 883

An portio aliqua sanguinis in passione effusi apud nos remanserit iuxta Angelicam doctrinam. 889

DISPVTATIO DECIMA.

An sanguini Saluatoris iustis de causis humana redemptio præsertim tribuatur.

Cap. 1. Cut singulari quadam prærogatiua in sacris litteris effuso Saluatoris sanguini humana redemptio tribuatur. 893

Propositæ quęstionis iustiores causę. 896

Noua, & peculiaris ratio rursus adducitur. 900

DISPVTATIO VLTIMA.

An sanguis ex latere Saluatoris erumpens humanæ redemptionis opus fuerit.

Cap. 1. Tostati opinio. 903

Honophrij Menascal opinio. 906

De præsenti quęstione Auctoris sententia. 908

FINIS.

INDEX

Alphabeticus memorabilium rerum, & verborum, quæ in hoc opere tractantur.

A

Absoluta, & relatiua qua ratione differãt. pag. 166
Abstracta natura quid. 36
Accidentalis differentia tantùm in sanguine. 21
Accidentalis forma aliquam corporis partem in numero partium substantialium constituere non potest. 101
Actio quid sit. 160
Actus per obiecta distinguntur. 65
Actus simpliciter dictus quid sit. 87
Actu, & potentia eadem res esse põt, & quomodo. 88
Actuales partes animalium quædam vitæ expertes. 43
Actualis pars naturæ Christi quæ meritò dicatur. 40
Adeps non viuit. 69
Aer in Clepsydra existens aquam retinet ne effluat. 277
Ægritudines hominis vnde. 7
Aequalitas iustitiæ humorum quę. 195
Æqualitas ad pondus qualis. 196. qua ratione, & cur in corporibus dari non possit. 202
S. Agricola pluribus clauis confossus. pag. 399
Alcemæon immortalem animam dixit. 59
S. Ambrosius vnionis hypostaticæ sanguinis Christi cum Verbo assertor. 129. Cur aliquando videatur negasse in Christo timorem verum 314. Egregium eiusdē de timore Christi testimonium. 316
Anaxagoras anima, & intellectu vtitur velut vna natura. 59
S. Andreas funibus cruci alligatus. 397
Andreas Laurentius aquã lateris Xpi, aquam pericardij putat fuisse. 574
Angeli confortatio Christo exhibita non fuit per modum instructionis, sed tantum ad demonstrandam humanæ naturæ proprietatem. 228. Qua ratione pro libitu suo loco præsens ad sit. 170
Anima tota in toto, & tota in qualibet parte 63. hoc bifariam intelligi põt. 76. anima rationalis non æquè munera sua in omnibus corporis partibus exercet. 66. 118. Non potest impedire operationes animæ vegetãtis 585. Anima hominis qualis. 59. soluta e corpore moueri potest. 174 Cur soluta corpus olim suum naturaliter informare non possit. 254. Animam sanguinem esse antiqui putarunt. 57. Animam carnis in sanguine esse quo modo intelligendũ. 71. Anima suas potentias producit, & in se recipit in via S. Th. 88. Anima non potest esse in aliquo solum vt forma informãs, ni ei vitam tribuat 104. Animę Christi status qualis. 201
Animalia quædam sanguine carent. 11
S. Anselmus putat sudoris sanguinei causam fuisse angustias cordis Christi, & apprehensionem mortis. 309
Antipathiam esse causam ebullitionis sanguineæ in trucidatis cadaueribus

Leuinus putauit 547. Eiuſdem mira vis. 548
Aqua attolitur, vt vitet vacuum. 261
Aqua lateris Chriſti an confuſè cũ ſanguine fluxerit. 635. aqua, & ſanguis emanans è latere Chriſti variorum myſteriorum ſignum. 483. vſque ad 491.
Aquam in corporibus generari mortuis multipliciter explicatur. 585.
Aquà naturalis fuit illa, quæ ex latere Chriſti manauit. 566. & deinceps
Arbores ſucciſſæ flores emittunt, & cur. 546
Ardearum natura. 355
Argumenta, quæ non fuiſſe aſſumptũ à Verbo ſanguinem probant. 112. argumenta contra Caiet. & Sylueſtrũ de differentia ſanguinis. 28
Argumentum ſecundi libri. 106
Ariſtoteles deridet eos, qui per ſe nota probant. 7. Perfectam ſanguinis definitionem cur nõ aſſignarit. 8. Eiuſdem teſtimonium, quo nõ eſſe ſanguinem humanæ naturæ partem videtur docere, quo modo intelligendum. 54. Aliud de animatione ſanguinis. 62
Arius Chriſtum puram creaturam eſſe blaſphemabat. 221
Ariani ex timore Chriſti eum puram eſſe creaturam argumẽtabãtur. 314
Armeni hæretici codices ſacros ſdepra uarunt, & illud D. Lucę teſtimoniũ, & factus eſt ſudor eius ſicut guttæ &c. ſuſtulerunt. 220
S. Athanaſius eos qui Chriſtum non ſudaſſe dicunt anathematizat. 227
Auctores, qui pro proxima vnione ſanguinis Chriſti cum Verbo pugnarunt. 133
S. Auguſtinus quo in ſenſu ſanguinem vitam, & animam hominis eſſe explicet. 73. Anguſtinus vnius tantum flagellationis Chriſti propugnator. pag. 372
Axiomatis illius, quod ſemel Deus aſſumpſit numquam dimiſit, quadruplex explicatio. 178. 204

B

BAizetus Turcarum Imperator Conſtantinapoli Romam ad Innocentium Octau. Pontifex lãceam dono tranſmiſit. 653
Baradius probabile putat Chriſtum in 1. 2. & 3. oratione ſudaſſe, & Angelum eidem ſudorem abſterſiſſe 273. vult Angelum Chriſto Ter. Oranti Ter. apparuiſſe. 282
Bartholomæus Medina totum Sãguinem nulla diſtinctione admiſſa viuere credidit. Eiuſdem de mente S. Thomæ peculiaris ſententia 86. Anabaptiſtas hęreticos auctores fuiſſe deprauandi Codices Sacros S. Lucæ docet. 221
Baſilides hæreticus Simonem Ciræneum, non verò Chriſtum Crucifixum docuit 391. fundamentum huius hæreſis quod 393. contra hunc errorem varia ſcripturæ teſtimonia 394.
V. Beda ſanguineum Chriſti ſudorem contra naturam fuiſſe teſtatur. 252 Eiuſdem teſtimonium de columna Domini. 369. A Pilato ſemel duntaxat Chriſtum flagellatum docet. 444
Benedictus Ariamontanus aquam in corpore Chriſti admiſit. 574. Duplicẽ Chriſti flagellationẽ inducit. 366
Bezoar lapis quà virtutem habeat. 562
S. Bonauent. non putat effuſum ſanguinem caruiſſe hypoſtatica vnione pag. 727
Breuiarium iuxta antiquum pſalmodię ritum familiæ dominicanæ. 616
Brigitę fuit reuelatũ caput Chriſti poſt pera-

peractam crucifixionē rurſus ſpinea corona fuiſſe transfoſſum. 210
Brutorum animæ materia, & quantitate conſtant. 76. quo modo eorpora ſua viuificent. 77
Burgenſis ex quo capite colligat miraculoſam fuiſſe effuſionem ſanguinis Chriſti ex latere. 514

C

CAdauera ſanguinem eructare interfectore præſente 527. Quinā auctores hanc ſententiam recipiāt. 529. Clariſſima huius rei teſtimonia. 529. Cauſam huius rei in fortunam, & caſum aliqui conijciunt. 533. Cauſa non eſt Dæmon. 535. Anima interfecti non ciet motum ſanguinis. 537 Ab occiſore occiſi cruor nō rapitur 539. In cruore interfecti nulla manet iræ, vel vindictæ affectus. 540. Idea interfectoris ſanguinis fluxum non prouocat. 541. Pars ſanguinis exiſtentis in veſte, vel enſe ſanguinē interfecti non rapit. 543. Cauſam in diuinam prouidentiam referunt aliqui. 554. Vera cauſa eſt impreſſa virtus. 554. vſque 563. Cur aliquando interfectore præſente non effluat ſanguis. 561. Præſentia inimici quid moliatur. 562
Caietanus vult S. Hieron. hæſitaſſe de illo S. Lucæ teſtimonio, & factus eſt ſudor eius &c. 218. Cauſam effectricem ſudoris ſanguinei docet fuiſſe violentiā paſſionum Chriſti. 307. Sudor sāguineus impurus ſanguis fuit. 240. Duplicem ſanguinem a ſe inuicem diſtinctum admittit 17. refellitur. 84. Quid ſenſerit de hypoſtatica vnione ſanguinis Chriſti cū Verbo. 121. Quo in ſenſu ab eo ſanguis nutrimentalis dicatur. 122
Calceamenta Iſraelitarū 40. annis non attrita. 598
Calix cur in dextro altaris cornu ſiſtatur. 644
Calor interior hominis ſudorem excitat. 276. Calore in prȩcordijs Chriſti durante nulla ſanguinis emiſſio miraculoſa. 515
Caluini cauillus de columna Chriſti, cui adhęſit, dum flagellaretur. 377. Blaſphemat Chriſtum inferni dolores tuliſſe, & de ſua ſalute dubitaſſe. 292. Aquam lateris Chriſti ſerum ſanguinis appellat. 565
Cambium quid ſit. 22
Canes dicuntur ij, ab Ethnicis, qui in mortuos ſæuiunt. 499
Canobij imago Chriſti ſanguinem effudit. 166
Capilli in beatis corporibus futuri ad decorem. 152. Non viuunt. 80. Cur in mortuis corporibus creſcant. 545
Caput, & cętera ſuperioris partis mēbra cur maiori ſudore polleant. 291. Caput Chriſti quoties redimitū ſpinea corona. 210
Cardanus innatos ſpiritus viuere putat. 70
Cardinalis S. Petr. ad Vinc. putat ſanguinem eſſe ſolum diſpoſitionem ad vitam conſeruandam. 73. Eiuſdē de aſſumptione ſanguinis Chriſti ad Verbum opinio 108. Quo tempore vixerit. 189. Vult ſine errore negari non poſſe ſanguinem Chriſti nunc eſſe in terris. 867.
Caro in ſcripturis aliquando totum hominem ſignificat. 190
Cauſa efficiens ſangninei ſudoris non fuit ſupernaturalis. 298. Non fuit pudor, nec verecundia, qua de peccatis noſtris Chriſtus afficiebatur. 299
Cerdonis error de humana Chriſti natura. 5
Chriſtus vnam, & eandem hypoſtaſim

ſemper habuit ex Dam. 157. Chriſti corpus natura ſua morti obnoxium. 203. Chriſti tormenta omnium grauiſſima. 235. Non habuit pugnã ſenſus, & cur. 200. quo modo dicatur carnem de Virgine ſumpſiſſe. 17. Chriſtus non efformauit ſibi alium ſanguinem vice illius, quem in terris reliquit. 132. Corporis Chriſti natura, & conditio. 197. In Chriſto fuit pugna humorum tam eorum, qui innatam, quàm eorum, qui influxam tẽ periem efficiunt. 200. Qua ratione corpus Chriſti æqualitatem ad pondus habuerit. 202. Cur de oſſibus, aut carne Virginis efformari non debuerit. 17. 93. Chriſtus ex omnibus corporis partibus ſudorem ſanguineum effudit. 287. Chriſto barba, & genæ dilaceratæ 211. Chriſtus poſtquam confortatus eſt ab Angelo ſudauit ſanguinem 250. Semel tantum ſudorem paſſus eſt. 275. Cur tantum in 3. oratione ſanguinẽ ſudarit. 278. 283. Cur ſemel tantum ſudarit. 279. Quo modo mortem deprecabatur. 305. Qua ratione clamarit ſe à Deo derelictum. 327. Chriſtus qua anni parte mortuus. 517. Cur in cælis nunc totum ſanguinem non habeat quem ab ortu vſq; ad mortem genuit. 826. Corpus Chriſti nonnullis cæli iniurijs obnoxium. 597. Cur tamen incorruptum remanſerit. 599. Corporis Chriſti ſanguinẽ partem non eſſe quo modo aliqui tueantur. 48. In Chriſto vulnerum cicatrices nõ foramina remãſiſſe putat Auguſtinus, 842. Foramina remanſere. 843.

Cibus pars potẽtialis hominis dicit. 38
Cicatrices martyrum in gloria remanebunt. 840
Ciconiarum beneuolentia in filios. 355
Circumciſionis culter cuius materiæ 207. Circũciſio baptiſmi ſymbolũ 215
S. Cypriani teſtimonium aduerſus Caluinum blaſphemãtem Chriſtum de ſua ſalute deſperaſſe. 297. Cyprianus in omnibus membris phlegmaticũ humorem ſtatuit. 571. Sudoris ſanguinei cauſam anxietatem putat. 309
Cyrilli Alexandrini expoſitio illius loci. quia pueri communicauerunt carni, & ſanguini ideo &c. 128
Clementis VI. teſtimonium de vnione hypoſtatica ſanguinis Chriſti. 146. Clementis litteræ ad fratrem Nicolaum Roſſolij de condemnanda cuiuſdam concionatoris opinione de ſanguine Chriſti. 152. In Clementina quid habeatur de vnione diuinitatis cum ſanguine Chriſti. 800
Cælorum perfectiſſima vnitas. 55
Cõplexiones duę innata, & influxa. 190
Compoſitio in homine triplex. 90
Concilium Tridentinum ſanguinem Chriſti partem appellat. 44
Condenſatio ſpetiem non variat. 587
Coniecturæ aliquot, quibus ſuſtineri poteſt, totum ſanguinem Chriſti nõ fuiſſe aſſumptum. 181
Conimbricenſis Epſmulierem lachrymaſſe ſãguinẽ in Luſitania ſcribit. 261
Conſtantinus hæreticus vnam tantùm voluntatem ponebat in Chriſto. 191
Conuenientiæ, & ſimilitudinis radix eſt forma. 29
Cor Chriſti lancea transfoſſum. 455
Cornelius Ianſenius ter Chriſtum ab Angelo confortatum putat. 282
Corpus Chriſti cum e latere ſanguinẽ emiſit omni calore carebat. 516
Corpora cur hyberno tempore difficulter ſudorem emittant. 276. maiori humido pollent hyberno, quam eſtiuo tempore ibidem.
Corpora beatorum non aluntur. 18. Cur ſanguinem habitura ſint. 21

Corpora benè conſtituta haud magnis excrementis pollent. 237
Corporum deſtructionis, & reſolutionis cauſa naturalis. 198
Creſcētē Xpi ſanguinē vnione hypoſtatica caruiſſe quib. rationib. cōſtet. 135
Critiæ error de ſanguine. 57
Cruditas in ſanguine ſubſtantialem differentiam non operatur. 31
Cur ſpecialiter de mente S. Th. auctor quærat, quid fuerit opinatus de illis duabus quæſtionibus, an ſanguis ſit pars naturæ Chriſti, & an viuat. 81

D

S. Damaſceni præclarū teſtimoniū de vnione hypoſtatica sāguinis Xpi. 127
S. Damaſcenus in Chriſto omnes inno xias paſſiones ponit. 225. omnē vel minimam corruptionem à corpore Chriſti eliminat. 593. Quo modo partiatur humanam naturā Chriſti. 773
Eiuſdem teſtimonia, quibus probat oēs Xpi naturæ partes aſsūpſiſſe. 774
Daniel Mallonius aquam lateris Chriſti ortam eſſe putat ex magnitudine dolorum Chriſti. 588
Defectus naturæ quinā eſſe potuerint in Chriſto. 303
Definitio conſtare debet genere, & differentia. 9
Definitio ſanguinis ab Ariſtotele aſſignata cur imperfecta 9. Perfectā sāguinis definitionē tradidit Alb. Mag. 9
Democritus intellectum, & animā idē eſſe dixit. 58
Dæmon primis parentibus quid pollicitus ſit, cum dixit. Scit enim Deus quod in quacunq; die comederitis ex eo aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut dij. 232. Dæmon fratri corpus Chriſti inaniter petenti ſe præbuit, & de fraudibus dæmonū dignoſcendis. 674
Deus ſanguinis comeſtionē Noe, & aliis prohibuit. 62. Ad res ſupernaturales declarandas ſæpè rebus vtitur naturalibus. 525
Deuteronomij teſtimonium de animatione ſanguinis. 61
Dydacus tella vult ſudorem ſanguinis ortū eſſe ex maximo conatu orationis Xpi, & ex mortis memoria. 308

D

Differentia ſanguinis vnde. 14
Diogenes aiā cognoſcētē facit. 58
S. Dionyſij Areop. vtile documētū in reb⁹ diuinis tractādis ſeruādum. 772
Directorium inquiſitorum vide Pius. 2
Diſcrimen inter pertinere ad veritatē naturæ, & eſſe de veritate naturę. 33
Diſcrimen inter pugnam ſenſus, & pugnam qualitatum. 200
Diſcrimen inter ſubſiſtentiam Chriſti, & aliorum hominum. 150
Diſtinctio ſanguinis vitalis, & nutrimēt. ex S. Th. 19. Diſt. iſta nō real. ſed rōis. 21
Diuinitas eadē rōne eſt ſub accidētib. vini, ac ſub accidentibus panis. 144
Diuinitatis Xpi argum. q̄ ex S. Chr. 496
Diuinitatē ab effuſo ſanguine ſeparatā quid probet. 730
Diuiſio operis totius. 1
Doctores aſſerentes ſanguinē eſſe partem corporis Chriſti. 40
Doctores nōviuere sāguinē docētes. 64
Dominici toto ſententia de vnione hypoſtatica ſangninis Xpi cū Ver. 135
Dominiū voluntatis in ſtatu innocētię quale ſupra potētias tùm animi tùm corporis. 340
Dormienti, & non cognoſcenti nihil præſens eſſe poteſt. 249
Duces exercituum Pop. Rom. ſpontè mortem oppetebant pro incolumitate exercitus. 312
Duplicis generis cauſæ ſanguineum ſudorem operatæ ſunt. 318
Durandus ſanguinem Chriſti in hypoſtaſim verbi non fuiſſe copulatū defendit. 108. Quo tēpore floruerit. 187

Effu-

E

EFfuſum ſanguinem Chriſti plures carere hypoſtatica vnione putant. 723
Effuſionum ſanguinis Chriſti numerus 206. Effuſiones quindecim recenſet auctor litturgiarum 213. Effuſionum ſanguinis Chriſti quænã vberrima. 434. Effuſus ſanguis Chriſti corruptionem non vidit. pag. 735
Electionis, & vocationis diuinæ ordo. 627
Elementa ſunt partes vniuerſi, & deſeruiunt alterationi. 47
Elementa in mundo, & Sanguis in corpore quo modo cõueniant. 47
Elementa in Mixtis integra remanere ſenſit Auicenna 579. Non remanere latè probatur. 581
S. Epiphanius ſcribit, nonnullos Catholicos metu arianorum ademiſſe verbum fleuit ex Euangelio D. Ioannis 19. & vt appropinquauit videns Ciuitatem fleuit. 222
Errore non caret negare Chriſtum veras paſſiones innoxias, quales noſtræ ſunt, non habuiſſe. 344
Error non eſt ſiue negare, ſiue affirmare Sanguinem Chriſti in terris reperiri. 870
Etherogeneæ partes quid ſint. 35
Eua ex ſiniſtro Adami latere cur formata. 647
Euchariſtia multoties Sanguinem fudit 668. Ex Euchariſtia manãtem Sanguinem verum Chriſti Sanguinem eſſe quę probent 675. Idem putat Alenſis. 679
Eutichius Verum Sanguinem, & veram Carnem in Chriſto poſt reſurrectionem negauit. 821
Euthymius putat teſtimonium S. Lucæ, & factus eſt Sudor eius ſicut guttę Sanguinis ſolam ſimilitudinem claudere. 231
Excrementis naturæ Chriſti Verbum non vnitum. 119
Exiſtendi modus rerum duplex. 135
Explicatio illius auctoritatis S. Pauli, quia ergo pueri communicauerunt carni &c. 190

F

FEbri laborantes cur vigente febris violentia non, ſed poſt tãtum ſudent. 279
Federici Cardinalis Borromæi Ambroſiani Collegij ac Bibliothecæ Amb. auctoris laus. 405
De fide non eſt effuſo Sanguini vnitam fuiſſe diuinitatem. 801
Fictio cum refertur ad ſignificandam veritatem non eſt mendatium. 690
Finales cauſæ, ob quas Chriſtus Sudorem Sãguineum effuderit, decem fuerunt. 330. vſq; ad 338
Finis Sanguinis multiplex. 21
Flagellatio Chriſti vna ne, an duplex fuerit 364
Flagellatio cur ei decreta, qui in Crucem agi debebat. 367
Flagellatio Chriſti ad columnam peracta eſt. 368
Flagellabantur aliquando Crucifigendi in itinere ad Crucem. 376
Flegellis nonnulli interempti. 367
Flagellorum Chriſti grauitas ex B. Brig. 441
Flagellum, quo Chriſtus cędabatur quale. 441
Flagello triplici Chriſtum percuſſum ſcribit S. Vincentius. 442
Fluxus Sanguinus hypoſtaticã vnionem non potuit impedire. 116

Fœmina lacte deficiente aliquando Sanguinem emittit. 261
Fœmur Chriſti Lancea Transfoſſum eſſe putat B. Vincentius. 650
Forma materię preſens eſſe non poteſt ſine informatione. 173
Forma Sanguinis vitalis, & nutrimẽtalis eadem apud Syluestrum, diuerſa apud Caiet. 24
Forma ſtabilita in Sãguine nulla. 25
Formalis effectus ſine cauſa formali eſſe non poteſt. 164
Formarum pluralitatem non admittendam. 118
Formæ Calicis verba vt à nonnullis explicentur. 465
Formę conſecrationis panis virtute an contineatur Sanguis, & vice verſa. 469
Franciſcus Burgenſis ſudorem Chriſti modico Sanguine tinctum putat 241. Chriſtum ante confortationem Angelicam Sanguinem Sudaſſe ſcribit. 249
Franciſcus Ferrarienſis animam ſimul actum, & potentiam appellat 89.
Franciſcus Toletus hęret, an multum temporis à morte Chriſti vſq; ad lateris foſſionem tranſierit. 526
Frigus cur prohibeat colorem exire. 267
Fundamentum Antiquorũ philoſophorum animam Sanguinem eſſe putantium. 58
Funibus Cruci nectebantur aliquando crucifigendi. 396

G

GAbrielis Biel, de vnione hypoſtatica Sanguinis Chriſti opinio 110. Quo anno floruerit 188. putat cauſam Sanguinei Sudoris fuiſſe maximam anxietatẽ ex luctu, & timore Chriſti inſurgentem. 311. Effuſo Sanguini vnionem hypoſtaticam non concedit. 723
Generatio Sanguinis quę, & qualis 38. Generatio quid ſit. 607
Generatio vnius alterius corruptio. 71.
Generationis definitio propria. 175
Generationem fuiſſe operationem illam, qua Deus aquam ex latere produxit 605. Creationem verò fuiſſe variè perſuadetur. 606
A Gẽtilibus Chriſtus flagellatus eſt. 380.
Gentiles in verberandis hominibus nullum determinatum numerum habuerunt. 448
Gloſſa aliquid vitale eſſe in ſanguine aſſerit. 62. Quo modo dictũ iſtud intelligendum. 73
Gluten quid ſit. 22
Gradus entis quatuor. 65
Gregorius Turonenſis de clauorum Chriſti numero ſententia. 404
Gregorius de Valentia exiſtenti nũc in terris ſanguini Saluatoris vnionem hypoſtaticam tribuit. 873. Errauit Gregorius. 876
Guttarum ſanguinis Chriſti numerus. 482

H

HElena Magni Conſtantini mater in monte Sion templũ extruxit, in quo & columna flagellationis Chriſti, & diſcipuli latuerunt tempore mortis Chriſti. 378
Helena Crucis Chriſti, & clauorum inuentrix. 404. 413
Henoch, & Elias quomodo in corruptam

tam vitam degant 599
Heretici, vt Catholicis illuderent Chriſti imagines, quas duobus Claiis transfoſſas notabant, vno clauo configunt. 412
Hæmorrohis ſerpentis morſus Sanguinis fluxum prouocat. 262
S. Hieronymus cur negaſſe videatur verum timorem in Chriſto 314. Eiuſdem clarum teſtimonium de timore Chriſti 316. Hirony. quid tradat de columna, cui Chriſtus alligatus eſt cum flagellaretur 369. Sententia Hieron. de illo S. Lucæ teſtimonio factus, eſt Sudor eius &c. 224. Putauit maximum orationis conatum fuiſſe cauſam Sanguinei Sudoris. 308
Hieronymus della Rua in Chriſto reſurgentem non agnoſcit Sãguinem ſiue in horto ſiue in circumſione effuſum. 832
D. Hilarius dubitauit an illud teſtimonium D. Lucæ, & factus eſt Sudor eius &c. verum eſſet nec ne 218. Cur dubitarit 222. Sudorem Sanguineũ Chriſti cõtra naturam appellat. 252. Eiuſdem Sententiæ triplex explicatio 257. Alia melior explicatio 258. Hilarij teſtimoniũ contra Caluinum, qui Chriſtum de ſua ſalute fuiſſe ſollicitum blaſphemat 296. cur in Chriſto videatur negaſſe timorem. 314
Hypoſtatica vnio corruptionem corporis Chriſti prohibere non potuit. 596
Hypoſtaſis Chriſti nunquam in duas hypoſtaſes diſeccata. 746
Homo abſq; capillis, & vnguibus viuere poteſt. 37
Homo ſiue Sanguine viuere nequit 37. Imò neq; per momentaneum timoris ſpatium. 49
Homines cur Sanguineum Sudorem non emittant, quamuis naturaliter illum emittere poſſint. 257
Honophrij Menaſcal. duplicis generis Sanguinem in Chriſto cõceſſit. 339 Eiuſdẽ de merito plagæ lateris Chriſti opinio. 906
In Horto effuſus Sanguis non totus reſurrexit. 833. vſq; ad 839
In Hoſtia cur Sãguis Chriſti, & in Calici cur Sanguis eiuſdem reperiantur. 458
Humiditas Sanguini accidentalis. 13
Hummor bipariam ſumitur. 12
Humoris nomen commune Sanguini, & reliquis humoris. 10
Humores Corporis humani. 4. & quæ 7
Humores à medicis corporis elementa appellantur. 161
Humidum nutrimentale quid ſit. 18
Humores nõ viuere aperta ratione oſtenditur. 69
Humidum radicale quid. 93
Humores ſic ſe habent in corpore, vt elementa in vniuerſitate. 94
Humores omnes quatuor Verbum aſſumpſit in hypoſtaſim 118. Sunt omnes 4. de veritate naturæ Chriſti ibidem futuri ſunt in corporibus ſancto rum ibidem. Poſt reſurrectionem Chriſtus eos habuit. 822

I

Idæa quid ſit. 542
Idiomatum communicationis natura, & definitio 787. De communicatione idiomatum errores hæreticorum 789. Cur inter abſtracta non detur communicatio idiomatum 790. Radix communicationis idiomatũ. 791. Prædicationes idiomatum contrariæ quomodo verę 794. A quibuſdam veris propoſitionibus idiomatum,

matum cauere debemus, & cur. 795
In rigore veritatis dici potuit, Deus eſt effuſus. 793. Ratio generalis ad communicationem idiomatum neceſſaria. 798
Iecori adnectitur ſanguis. 54
Immarciſcibilitas sāguinis Chriſti quo modo probari poſſit. 817
Immarceſcibilitatis corporis Chriſti probabiles aliquot rationes, 594
Impreſſa virtus neceſſariō concedēda. pag. 555
In ſacra ſcriptura cur non exprimatur, corpus Chriſti poſt reſurrectionem ſanguinem habuiſſe. 823. Auguſtini hac de re opinio. 161
In eadem materia non poteſt ſimul, & ſemel eadem forma acquiri, & deperdi. 71
Incanuiſſe homines breuiſſimo tēporis ſpatio certum eſt. 251
Innocentius III. aquam lateris Chriſti aquam elementarem eſſe ſtatuit. 570
Inteſtina Chriſti in cœlis perfectiſſimo humore, non tamē imbuta ſanguine. pag. 837
Ioannes Cardinalis columna è Orientalibus regionibus columnam, quæ nunc in templo S. Praxedis viſitur, Romam aſportandam curauit. 384
Ioannis Capreoli de mente S. Th. opinio, quo ad illas quæſtiones, an ſanguis eſſet pars corporis Chriſti, & an viueret. 86. Cenſura Capreoli in opinionem Durandi ſanguinem non fuiſſe aſſumptum hypoſtaticè docentis. 193
Ioannis Arborai ratio, quam de fine ſanguinei ſudoris adducit cautè legenda. 336
Ioannes Euangeliſta ſolus rectum flagellationis Chriſti ordinem tradidit pag. 373
D. Io. Chryſoſtomus non tam timuiſſe, quam timorem ſimulaſſe Chriſtū putat, 228. ſanguinei ſudoris cauſam putat fuiſſe conatum à Chriſto in oratione adhibitum. 309. Verum etiā in Chriſto timorem admiſit. 315. Quo modo intelligendus, cum videtur docere Chriſtum fuiſſe viuum, cum lancea peteretur. 500
Io. Maldonatus profanum eſſe cenſet negare, ſanguinem ex latere manantem fuiſſe miraculoſum. 521. ſcribit Luthetiæ Pariſiorum hominem ſudore ſanguineo maduiſſe. 264
Io. Gerſon apprehenſionem tormentorum futuræ mortis Chriſti, & ſummam animi lætitiam putat cauſam fuiſſe ſanguinei ſudoris. 301. Ter Chriſtum flagellis cæſum putat. 366
Io. Scotus quid ſenſerit de vnione diuinitatis cum effuſo Chriſti ſanguine pag. 729
S. Irenæus hiſtoriam S. Lucæ de apparitione Angelica Chriſto exhibita approbauit, licet contrarium Vaſquez velit. 225
Iſraelitici populi calceamenta, & veſtes 40. annis in Eremo non attrita. pag. 820
Iudæi qua ratione diei, & noctis horas partirentur. 517

L

LAc vita caret. 69
Lacryma quid ſit. 266
Lactantij Firmiani aduerſus opinionē eorum, qui animam ſanguinem eſſe putarunt, teſtimonium. 58
Lancea, qua Chriſti pectus trāsfoſſum, cur dira appelletur. 498. figura lanceæ qualis, in baſilica S. Petri Romę habetur. 652
Lateris Chriſti ſanguinem miraculosè profluxiſſe rationibus oſtēditur. 609

Lateris Chriſti ſanguis cuius naturæ. pag. 520
Lateris Xpi aqua quo modo creata dici poſſit, & quo modo genita. 609. Quo tempore producta. 611. vſq; ad 614. Locus productionis. 615. Miraculosè effluxit iuxta SS. Dam. & Thom. 619. In fluxu aquæ duo perpendenda. 620. Cur miraculoſus aquæ fluxus. 621. Diſcrimen inter aquæ, & ſanguinis fluxum. 622. Lateris aquæ quantitas ſoli Deo cognita 640. Magna fuit. 641. Sanguinis, & aquæ quantitas æqualis. 643
Latria tripliciter aliquid adorari poteſt. 878
Latus dextrum percuſſum lancea qui ſenſerint. 643
Latus ſiniſtrum vulneratum demonſtratur. 647
Latus Chriſti ſauciatum qua ratione in fractis oſſibus. 652
Leo galli voce conſternatur. 548
Leo Pontifex III. Mantuam venit viſum ſanguinem Chriſti. 855
Lex à Deo Iudæis data in flagellandis hominibus obſeruanda. 370
Liberè profluxiſſe ſanguineum ſudorē varijs rationibus probatur. 340
Lignum Crucis Chriſti latria adorandum ob contactum corporis, & ſanguinis. 779
Liturgiæ antiquæ Græcorum ea verba conſecrationis calicis, *æterni, & myſterium*, non habent. 481
Longini cæcitatem vnde falsò aliqui colligant. 664
Longinum lateris Chriſti percuſſorem multi putāt. 653. Hunc fuiſſe altero oculo cæcum, & ſanguine Chriſti illuminatum quinam doceant. 655
Longinus non fuit percuſſor lateris Chriſti. 659
D. Lucas cur vnius tantum orationis meminerit. 260. Lucæ auctoritas illa, Capillus de capite veſtro non peribit, bifariam intelligi poteſt. pag. 830
Lux, & tenebræ priuatiue opponuntur. 115

M

MAndragora ſomum conciliat. pag. 557
Manichæi hæreſis de humana Chriſti natura. 5
Mantuæ ſanguis Chriſti reperitur. hiſtoria huius ſanguinis, a quo fuerit eo delatus, in quo nunc reperiatur, & miracula eiuſdem. 853. vſque ad 856. Verus Chriſti ſanguis putandus eſt. 862
Manum Chriſti ſiniſtram prius fuiſſe clauis transfoſſam putant aliqui. 420
Manum ſiniſtram prius transfixam B. Brigita docet. 421
Manus Chriſti, ac pedes eodem tempore transfoſſi. 421
Manus Chriſti palma clauo traiecta. pag. 429
Manuale quod inter opera D. Auguſtini habetur, non eſt Auguſtini. 660
Marcionis error de Chriſto. 5
Maria Virgo cur Deipara dicatur. pag. 51
Maria Virgo ſanguineas lacrymas effudit. 260
Maria Virgo membranam præputij Chriſti vna cum ſanguine cuſtodiuit, ea nunc Romæ habentur. 856
Variæ Virg. corpus ab omni corruptione diuinitus præſeruatum. 594
Marſilius Ficinus cauſam cruentationis cadauerum in ſpiritus conijcit. pag. 550
Martino iuſta miraculosè perſoluit B. Ambroſius. 694

Martyres cur tormenta, & mortē deſpicerent, & cur Chriſtus mortem horruerit. 327
Martyres qua ratione dicantur aliqua tormenta ſenſiſſe, quæ Chriſtus non eſt paſſus. 402
Materia duplex compoſitionis, & alterationis. 45
Materia compoſitionis ſanguis. 46
Materia, & forma quo modo vniãtur. pag. 168
Materia formam naturali appetitu ſibi poſtulat. 169
Materia ſine quãtitate impartibilis. 50
Matthæus, & Marcus, cur in flagellatione Chriſti recenſenda anticipatione vſi ſint. 372
Apud S. Maximinum terra ſanguine Chriſti olim conſperſa ebullit, cum paſſio in paraſceue legitur. 857
Mayronis opinio de hypoſtatica vnione ſanguinis Chriſti. 110
Medici cur funeribus non interſint. pag. 531
Medicinæ mira vis inter duos amicos. pag. 548
Medium, quo duo vniuntur alterum neceſſitatis, alterum congruentiæ. pag. 737
Medula non viuit. 69
Membra corporis Chriſti non æqualiter ſudorem dederunt. 290. Quænã peculiariter membra plus, quæue minus ſudoris effuderunt. 292
Meruit Chriſtus in effuſione ſanguinei ſudoris. 336
Meriti, & neceſſitatis rationes quo modo in eadem re ſaluari poſſint. 346
Meritum cur ſanguini Chriſti præcipuè tribuatur. 896. vſque ad 903
Meritum exigit ſtatum viatoris. pag. 633
Metus, & afflictio non inflammarunt corpus Chriſti, neq; ad ſudorem ſanguinis prouocarunt. 328
Miracula triplicia eſſe poſſunt, & quæ. pag. 253
Miraculum inſigne noſtri æui. 669
Miraculum admittere in fluxione ſanguinis ex latere erumpentis nullus tenetur. 523
Miraculosè aqua lateris Chriſti efformata. 602
Modum ſubſtantialem intercedere inter materiam, & formam, quo inuicem vniantur, aliqui ponunt. 163
Mors Chriſti ex varijs capitibus grauior euadebat morte aliorum hominum. 401
Mortis Chriſti diſpar exitus à morte Principum. 496
Motus ratio duplex. 556
Mutatione nulla ſubſecuta ſanguis apparere poteſt in calice, quando. 681

N

NAtura Chriſti quo ſenſu vnius fuiſſe rationis dicatur, ſeu vna in atomo. 116
Natura Chriſti exiſtentiam naturalem, non verò ſubſiſtentiam naturæ debitam obtinuit. 135
Natura Chriſti ſub duplici ratione cõſiderari poteſt. 341
Natura diuina quantum ab humana diſtet & quæ ſit naturæ humanæ cõditio. 89
Naturale aliquid eſſe, quot modis cõtingat. 255
Naturaliter in Chriſto omnia operabãtur tempore paſſionis. 306
Neceſsitas ſanguinis ex Ariſtotele. pag. 37
Nexus ſubſtantialis inter Verbum, & ſanguinem nullus à ſuis extremis diſtinctus intercedit. 166
Nicodemi Euangelium apocryphum,

& cur. 501. 663
Nicolaus de Lyra ex vehementi anxietate ortum esse sudorem sanguineũ docet. 311
Niuem pertractantium manus cur calidissimæ. 319
Nix, gelu, glacies quo modo ab aqua distinguantur. 30
Nolite timere eos, qui occidunt corpus, quo pacto intelligendum. 323
Nomen partis apud Aristotelem nullo modo æquiuocum. 43
Nomina sanguinis Christi varia. Sanguis pretiosus, sanguis redemptionis, sanguis iustificationis, sanguis emundationis, & sanctificationis, sanguis ablutionis & aspersionis, sanguis propitiationis, sanguis testamẽti, sanguis victoriæ, sanguis ducens ad vitam æternam, sanguis acquisitionis. 2. 3. 4
Nutrimentalis sanguis ex toto genere superfluus non est. 27
Nutrimentalis sanguis quid apud Caietanum. 15
Nutrimentalis sanguis vnde dictus. 21
Nutrimentalem sanguinem Christi in terris remansisse putat Caiet. 16. & 18.
Nutrire sanguinis proprium munus. pag. 10
Nutritio proprie quid requirat. pag. 12
Nutritiuę potentiæ nullæ erunt in beatis, quia Deus earum vsus suspendet. pag. 51

O

OBedientia, & amor sudorem sanguineum non effecerunt. 329
Omogeneæ partes cur ab Aristotele simplices dicantur. 34
Omogeneæ partis definitio. 34
Onocrotalus, Platea, & Pelicanus eadem auis. 356
Operationes Christi cur infiniti valoris essent. 757
Opinio Caietani, & Syluestri de vitali, & nutrimentali sanguine non eadẽ. pag. 24
Orans Christus in horto quænam à patre peteret. 331
Oratio Christi in horto cur trina. 281
Orbes cælestes corpus Christi non immutarunt tempore mortis. 595
Ornamenti artificiosi conditio. 37
Ornamentum duplex, & vtriusq; natura. 36
Ossa sentiendi virtutem non habent. pag. 54

P

PArs potentialis, quæ. 38
Pars naturæ hominis proxima quę pag. 38
Partes humanæ naturę non omnes viuunt, sed nobiliores tantum. 77
Partes essentiales quid sint. 35
Partis definitio à Galeno tradita. 34
Partis nomine tria intelligi possunt. pag. 33
Partes ad compositum humanum concurrentes sunt duplicis generis. 78
Passiones quo pacto in Christo operarentur. 305
Patres cum dicunt Christum effudisse totum sanguinem qua ratione intelligendi. 475
Patres nonnulli quo modo conciliari possint cum vera sententia de causa sudoris sanguinei. 321
Patrum testimonia, quæ hypostaticã sanguinis vnionem probant. pag. 146
SS. Patrum consensio in ea re, quæ ad fidei regulam non spectat, haud necessario sequenda. 362

Paulus II. Pontifex Max. quo tempore floruerit. 189
Pedes Christi qua ratione clauis transfossi. 423
Pelagius omnia liberi arbitrij viribus tribuebat. 218
Pelicanus verum Christi symbolum. 348. olim in apice Crucis Christi collocabatur 161. Pelicani natura ex S. Hierony. 161. Mors Pelicani iuxta Incognitum. Inimicitia Pelicani, & serpentis symbolum inimicitiæ Christi, quam habet cum Diabolo. 350. Bedæ sententia de Pelicani natura. 350. Albertus Magnus, & Diony. Carthusianus quid de pelicani natura sentiant. 351. Pelicanus à pelle cana dictus. 352. S. Epiphanij doctrina de Pelicani moribus. 161. Isidori Hispalensis de Pelicano quid scribat. 353. Pelicanus suo sanguine non pascit filios. 161. Multiplex Pelicanorum genus. 356. vsque ad 364. Cur SS. Patres vulgatæ de pelicano proprietati assenserint. 363
Pericardij sedes, natura, & vsus. pag. 573
Pericardij humoris necessitas magna. pag. 574
Perturbatio animi, & corporis sudorē impedit. 277
Petri de Cabrera opinio de sanguinis differentia. 27
S. Petro peculiari priuilegio Christus apparuit. 693
Phænicis proprietas sanguinem ex fęmoribus eliciendi. 362. Vna est duntaxat, & cur à natura volita. pag. 831
S. Philomænus pluribus clauis transfossus. 399
Philosophorum veterum de anima hominis sententiæ. 58
Pilatus duabus de causis Christum flagellādū Iudæis tradidit ante latam mortis sententiam. 382. Cur Christū liberare volens flagellandum Iudæis dedit. 447. Cur subitam Christi mortem demiratus sit. 448
Pius II. declarauit quo modo esset intelligendum decretum illud Clemētis VI. quod nunc extat in Directorio inquisitorum, quo definire videtur Clemens, effusum sanguinem diuinitati remansisse vnitum. 814. Quo tempore floruerit. 188
Plagarum numerus apud Iudæos. 379
Portione superiori Christus mortem horruit. 304
Potentia altera naturalis, altera obediētialis, & vtriusque natura. 172
Potentia, & actus in rebus creatis quo modo opponantur. 87
Potentia pura quid. 87
Potentia diuina quantitas potest separari à materia. 50
Potentiæ per actus distinguuntur. 65
Potentiæ animi, & corporis Christi mirabiliter inter se dispositæ. 326
Pretium redemptionis humanę debuit esse infinitum. 139
Prædicatoriæ familiæ tres doctores, qui de sanguine Christi coram Pio II. disputarunt, quomodo à Caietani opinione differant. 123
Præsens quisnam iurè dicatur. 249
Præputij sanguis non assumptus in resurrectione. 835
Præputium nunc in Christo reperitur. 839. Non idem est quod cecidit tempore circumcisionis. 844. Præputiū circumcisionis nunc Romæ habetur pag. 847
A Principio vita carente effectus vita non carens, & vice versa esse potest. pag. 117
Prius natura aliquid bifariam dicitur. pag. 738

Prodigioſi ſanguinis ex Euckariſtia, & imaginibus effluentis variæ rationes pag. 671
Pudentes cur erubeſcant. 300
Pugna ſenſus, non qualitatum cur in Chriſto extincta. 201

Q

QVadripartita creationis diſtinctio pag. 608
Qualitates ſanguinis quæ. & quot. 11
Qualitates aliorum trium humorũ. 72
Qualitates alteratiuæ etſi poſſint eſſe æquales in gradu non tamen in virtute. 203
Qualitatum varietas non ſemper operatur verã diſtinctionẽ naturarũ. 30
Qualitatem corpori Chriſti ſuperadditã, qua corpus eius integrum remanſit, admittit Toſt. 597
Quantitas qua ratione hominis pars ſit pag. 50
Quantitatis proprietas. 161
Quantitatis paſſiones. 161
Quantum diſcrimen eſſet inter corpus Chriſti, & corpora aliorum hominum. 320
Quaſi quã ſignificãdi vim habeat. 232
Quaſi non ſolum nudam comparationem, ſed etiam veri ſpetiem ſignificat, quod exemplis probatur. 238
Quatuor cauſarum genera, quæ quo quo modo ad ſanguinem ſpectãt. 29
Quæſtionem de animatione ſanguinis aliqui faciunt problema dialecticũ. pag. 61
Quæſtionis titulus de vita sãguinis qua ratione intelligendus. 65
Quid ſit Verbum immediatè, & mediate ſanguinem terminaſſe. 138
Quid ex Angelico conſpectu Chriſtus acquiſierit. 318

R

RArefactionis cauſa calor. 321
Rationalis forma ſimplex virtute duas alias formas in ſe continet. 66
Rationes variæ ſanguinem humanæ Xpi naturæ partẽ eſſe probantes. 45
Rationes oſtendentes ter Chriſtum ſudorem ſanguinis emiſiſſe. 261
Rationes oſtendentes per triduum aliquid ſanguinis corpori Chriſti adhę ſiſſe. 463
Relatio vnione hypoſtatica poſterior. pag. 161
Reſolutio nulla in carne Chriſti, quæ generationi aquæ deſeruiret. 589
Reſolutiones partium corporis Chriſti, & ſanguinis neceſſariò concedendæ. 199
Reſurgenti Chriſto cur ſanguis neceſſarius. 18
Reſurrectio corporum cur naturaliter dari non poſſit. 174
Reſurgentium corpora cur ſanguinem habitura. 43
Reſtituti Presbyteri admiranda hiſtoria. 325
Romani crucifigendum prius flagellabant. 370
Romani duces cur mortem libenter paterentur. 325
Ros quid ſit. 22
Ruffinus certum numerum clauorum Domini non aſſignat. 408

S

SAcerdos latinus neceſſitate præcepti omnia illa verba. Hic eſt enim calix, vſq; ad illud remiſſionem peccatorum incluſiuè ſuper calicem proferre tenetur. 482
Sanguis quid ſit. 9
Sanguinis deſcriptio. 7

Sanguis cur in Chriſto neceſſarius. 6
Sanguis in alias corporis partes conuertitur. 10
Sanguis quo modo nutriat. 12
Sanguis duplex vitalis, & nutrimentalis. 15
Sanguis vitalis quomodo à nutrimentali diſtinctus. 15
Sanguis qui eſt de veritate naturæ, & qui non eſt de veritate naturæ. 16
Sanguis quo modo dicatur animam habere. 20
Sanguis totus commutationi obnoxius pag. 28
Sanguis non fuit pars eſſentialis naturę Chriſti. 35
Sanguis non fuit pars naturæ Chriſti ornans, potentialis, & ſimilitudinaria tantum. 36
Sanguis vera fuit corporis Chriſti pars. pag. 40
Sanguis ſimilaris pars. 42
Sanguinis præconium. 48
Sanguis an anima præditus. 57
Sanguinem aliqui opinati ſunt animæ ſubſtantiam. 60
Sanguinem augeri qua ratione contingat. 69
Sanguinem non augeri inualidè aliqui probant ex Ariſtotele. 68
Sanguis, neq; ſentit, neque propriè augetur. 67
Sanguis, quia feruet, & æſtuat viuere videtur, & ab Ariſtotele uiuus etiá appellatur. 74
Sanguis in glorioſo corpore Chriſti exiſtens non viuit. 79
Sanguis comparatus ad totum corpus, quid in corpore operetur, & ad partes corporis relatus quid faciat. 90
Sanguis quoad formam in quo à cæteris partibus diſtinguatur. 95
Sanguis alter generationi, alter nutritioni deſeruit. 98
Sanguis quo modo ab anima rationali perficiatur. 105
Sanguis Chriſti totus á Verbo aſſumptus. 125
Sanguis Chriſti quo modo remanere potuerit in terris, abſque detrimento naturæ Chriſti. 131
Sanguinem cur homines non ſudent. pag. 256
Sanguis cur aliquãdo colores varios habeat. 32
Sanguis Chriſti incorruptibilis reddebatur vnione hypoſtatica. 142
Sanguis Chriſti tenuis erat. 256
Sanguis martyrum in Sacris Scripturis cur non appelletur incorruptibilis. 143
Sanguis Chriſti cur potus dicatur. pag. 143
Sanguis creſcens in Chriſto vnionem hypoſtaticam habebat. 156
Sanguis Chriſti propriam exiſtentiã naturalem habuit. 159
Sanguis genitus ex cibis in vltima cæna ſumptis à Verbo aſſumptus pag. 177
Sanguinem Chriſti totũ à Verbo eſſe aſſumptum de fide non eſt. 180
Sanguis Chriſti valoris infiniti erat, etiãſi Verbo non eſſet vnitus. 184
Sanguis in Circũciſione effuſus merces ſalutis humanæ, & Symbolum redemptionis. 207
Sanguis Chriſti excrementis, & aquoſitate non caruit. 244
Sanguinis maior copia in Cruce effuſa. 440
Sanguinis in paſſione effuſi num aliquid ſit nunc in terris. 849
Sanguinis Chriſti pars nunc varijs in locis reperitur. 853. vsq. ad 860
Sanguinem priorem fuiſſe aqua in fluxu qui patres docuerint. 629

San-

Sanguinem ex hostia effluentem nõ esse sanguinem Christi rationibus probatur 683. Quo modo videri possit in Calice sine mutatione corporis glorioſi 695. Nunquam visus est, vt in spetiebus latet. 698. Deus verũ sanguinem in his euentis ꝓducit. 702. Deus quam obseruet rationem in ꝓductione huius sanguinis. 704. Cui rei accidentia sanguinis inhæreant. 705. Verus sanguis Xpi, quando lateat in sanguine miraculoso. 709. Sanguis nõ remanet sola quantitate existente, & corruptis cęteris accidentibus. 715. Duplici ratione defenditur præsentia sanguinis Christi esse sub sanguine miraculoso. 717

Sanguis Christi pro vita, & morte eiusdem in sacris litteris vsurpatur. 760. fuit latria adorãdus in triduo etiam si diuinitas ei nõ fuisset copulata. 763 Sanguis Christi etiam separata diuinitate cibus spiritualis appellatur. 770

Sanguis in terra relictus in effusione hypostaticã vnionem amisit 771. Sãguis Christi nullo modo corruptus 815. vsq; ad 821. Sanguis Christi fuit nostra iustificatio. 822

Scaliger spiritibus vitam tribuebat. pag. 70

Semen est sanguis essentialiter decoctus. 102

Sensus hominis quandam libertatis imaginem habent, & cur. 202

Siccitas sanguini accidentalis. 13

Sicut quid significet. 232. 238

Similitudo inter Christi sudorem, & aquam diù in repagulis retentam pag. 278

Simul, & semel totus homo assumptus est à verbo. 158

Sylvester triplicis naturę Sanguinem admittit. 22.

Sylvestri de animatione Sanguinis opinio problematica 24. Eius opinio de nutrimentali, & vitali sanguine 25. Eiusdem sententia de vnione sanguinis cum Verbo 125 Frustra stabilitam in sanguine formam admittit. 29

Syndon duplex, vtraq; sãguine Christi imbuta, & vbi reperiatur. 858

Smalcij, & Socini blasphemiæ in sanguinem Christi. 893

Socratis admiranda constantia. 312

Spinæ serti, quo caput Christi coronatum est ad cerebrum non penetrarunt. 438

Spina triplex cruore Domini infecta. pag. 860

Spiritus vapores sãguinis vulgò à medicis dicti 70. Origo Spirituum. Carent vita. 161. Vitales, & animales spiritus non sunt á Verbo assumpti. 120

Spiritus non sunt sanguis tenuissimus. ibi Spirituum ꝓprietas. 121

Suarez opinio de sententia Sylvestri de nutriment. & vitali sanguine. 24

Suarez opinio de Abulensis sententia, quoad hypostaticam vnionem sanguinis. 110

Subsistentia naturæ humanæ debita oẽs naturę partes terminat. 117

Subsistentiæ creatæ, & increatæ discrimen 137, Subsistentia hominis vna completa ex multis partialibus. 150

Sudorem Christi non esse sanguineũ plura probant. 231. Vero sanguine cõstabat sudor Xpi 233. Cur sãguine cõstaret 237. De ꝓfectione substantiali sudoris eiusdem 240. Sudoris sanguinei quantitas par fuit quantitati sanguinis cum sudore emissi. 243. Sudorem Christi simul cum

cum ſanguine profluxiſſe probabile. 246
Sudorem ſanguinis miraculoſum eſſe quid probet. 251
Sudor ſãguineus naturali virtuti Xpi adſcribendus 254. Quid ſit ſudor, & in qno contineatur 256. Sanguineum ſudorem, cur Chriſtus emiſerit 257. Sudor Chriſti cur dicatur miraculoſus 257. Fuit indicium maximi angoris 259. Fuit argumẽtũ veræ naturæ aſſumptæ 260. Quo in ſenſu intelligẽdum ſit fuiſſe naturalem ſudorem 216. Senſim emanabat, vbi verò ad cutim perueniebat in guttas conglobabatur 259. Conglutinationis cauſa. 161. Qua ratione dici poſſit neceſſarius, ſeu coactus 341. Qua ratione liberè pfluxiſſe ſuſtineri queat 342. Quibus alijs ſanguinis effuſionibus copioſior fuerit 438. Sudoris ſanguinei, & conſolationis Angelicæ Chriſto exhibitæ certitudo. 224
Superfluus ſanguis, qui, & nutrimentalis. 21
Superfluus ſãguis in Chriſto quinam fuerit. 21
Suppoſiti viuentis partes nõ omnes viuentes. 56

T

TAbella in Cruce Chriſti fuit, in qua pedes eius confixi ſunt. 425
Tẽpus eleapſum à morte Chriſti ad lateris ictum quodnam. 517
Teſtimonia SS. Patrum pro indiſſolubili vnione diuinitatis cum ſanguine Chriſti. 777
Teſtimonia, quæ ſanguinem viuere probant. 61
Theodolinda Regina Tẽplum S. Ioãnis Modouetiæ ædificauit. 409
Theodorus Balſamon, Armenos Codicis hiſtoriæ Lucæ deprauatores facit. 220
Theophylactus illam S. Lucæ auctoritatem, & factus eſt ſudor eius, ſicut guttæ ſanguinis &c. hyperbolicè interpretatur. 230
S. Thomas arbitratur aliquid ſanguinis Chriſti in terris remãſiſſe 883. Nulla tamen pars ſanguinis in paſſione effuſi reperitur in terris iuxta doctrinam eiuſdem 889. Nõ eſt ſecutus contrarias opiniones de natura, & differentia ſanguinis 20. Aliquorum mala de ſenſu S. Th. explicatio 82. Quid nutrimentalis, & quid quid vitalis ſanguis ſit in via S. Tho. 84. Cur ſit arbitratus nihil ſanguinis nutrimentalis fuiſſe in Chriſto tempore paſsionis 85. putat ſanguinem eſſe actualem partem corporis Chriſti, & etiam potentialem, neutram tamen viuere 87. Materiam primam voluit eſſe puram potentiam 87. S. Tho. pro eodem vſurpat has propoſitiones. Sãguis eſt pars actualis naturæ, & ſanguis pertinet ad veritatẽ naturæ. & ex aduerſo pro eodem has vſurpat. Sanguis eſt pars in potẽtia, & ſanguis eſt nutrimẽtalis 91 Quid ſit pertinere ad veritatem humanę naturę 97. Pluralitas formarum naturæ 97. Pluralitas formarum non concedenda 99. Excipiendi ſunt humores, quibus formam peculiarem concesſit. 100
Thomiſtæ plures non modò ſubſiſtẽtiam hũmanæ naturę Chriſti verũ etiam exiſtentiam non concedũt. pag. 137
Timor quid ſit, & deſcriptio effectus eiuſdem. 317
Timor Xpi ĩ horto, cuius nature 283

Timoris effectus qualis. 313
Timor Chriſti verus timor erat. 314
Timorem mortis cur Chriſtus habuerit. 323
Timor Chriſti maximæ charitatis ſignum. 326
Toſtatus quid ſenſerit de vnione hypoſtatica ſanguinis Chriſti 108. eiuſdem ſententię germanus ſenſus. 109
Toſtatus nihil ſanguinis in corpore Chriſti fuiſſem putat per triduum pag. 462
Totum quod fuit de veritate naturæ reaſſumpſiſſe Chriſtum in reſurrectione quo modo intelligendum. pag. 133
Tranſmutatio in res tãtum diſſimiles cadit. 55
Trepidãtium natura, & effectus. 285
Tria ſunt viuentium genera. 65
Triſtitia non fuit cauſa proxima ſudoris ſanguinei. 283
Triſtem fuiſſe animam Chriſti, vſque ad mortem, quo modo intelligendum. 304
Turrecrematę opinio de vnione hypoſtatica ſanguinis Chriſti. 134

V

VAlẽtini hęreſis de corpore Chriſti. 5
Valor ſanguinis Chriſti ratione Verbi infinitus. 140
Vapor quid ſit. 30
Vapores membranarum aquam non gignunt in mortuis corporibus. pag. 585
Vena nulla corporis Chriſti plena sãguine in triduo. 466
Venetijs duplicis ſanguinis pars aſſeruatur. 858
Verba conſecrationis calicis, quem ſenſum habere poſſint 477. An omnia ſpectent ad ſubſtantiam formę. 479
Verberum Chriſti numerus incertus. 452
Verbum diuinum quo modo dicatur carnem de Virgine ſumpſiſſe 51. Verbũ aſſumpſit quaſdam partes non viuentes 114. Nullam habuit cum ſanguine oppoſitionem. ibi. Qua ratione dicatur aſſumpſiſſe carnem, & ſanguinem mediãte anima 115. Quo modo naturę partes ſuſtentarit ſua ſubſiſtentia 137. Aſſumpſiſſe partes mediante toto quo modo intelligendũ 737. Quod ſemel aſſumpſit numquam dimiſit quo modo accipiendum 745. Verbum caro factum qua ratione dicatur 146. Verbo non repugnat vniri ſubſtantię fluxibili. 176
Veſtimenta Iſraelitarum 40. annis non attrita. 598
Veſtis Chriſti conſutilis vbi ſit. 859
Vgo aquam lateris Chriſti ſerum eſſe voluit. 566
Viega putat in corporibus mortuis aquam generari. 584
D. Vincentij de numero plagarum Chriſti ſententia. 452
Virium corporis, & animi concentus qualis. 560
Virtutum impreſſarum varia genera, & differentię. 563
Vita animalis quid. 60
Vitalis ſanguis vnde dictus. 21
Vitalis ſanguis quid apud Caietanũ. pag. 15
Vitalis ſanguis in terris non remãſit iuxta Caietanum. 18
Vitalem ſanguinem, qui admittant. pag. 60
Vitę alimentum ſanguis, vt oleum lucernæ. 58

Vitis braſicę aduerſatur. 548
Viuëtium ſanguis totus eiuſdē perfectionis ſubſtantialis. 28
Viuus dicitur ſanguis, quia vitam cōſeruat. 73
Vngues, & capilli non viuunt. 80
Vnio duplex matematica, & phyſica. pag. 55
Vnio hypoſtatica quinq; conditiones exigit. 158
Vnio aduenientis ſanguinis ſimul non producitur, & corrumpitur. pag. 176
Vnionis hypoſtaticę diſſolutionis exemplum. 204
Vnionis hypoſtaticę gratia excellētior gratia adoptionis. 785
Vnionis hypoſtaticę ſanguinis creſcentis modus qui 159. vſq; ad 168
Voces Chriſti, vt inſtrumenta diuinitatis miracula patrarunt, 759
Vox ſicut in illa auctoritate S. Lucę, & factus eſt ſudor eius, ſicut guttę &c. quid ſignificet. 239
Vucingartenſi in Cœnobio portio ſanguinis Chriſti reperitur. 857
Vueſtephalus hęreticus dubitauit, an Chriſtus eſſet crucifixus. 396
Vulnus lateri Saluatoris inflictum eſſe dum viueret Chriſtus aliqui blaſphemant. 492
Vulnus lateris Chriſti continet prę-clara myſteria; quæuę ſint. 483
Vultur vellicatis fœmoribus ſanguinem ciet, vt filios nutriat 362. Vultur miſericordię Symbolum, ibi.
Vximelle quid. 46

FINIS.

Errata ſic corrige.

Primus numerus paginam, ſecundus verſum ſignificat.

36. 12. abſtractione. 72. 30. hauſtum. 75. 7. ob hanc eandem. 95. 3. clari. 98. 23. quippe qui reſiduus. 119. 12. propius. 120. 1. in terris. 135. 4. perfectas. 131. 30. perfectiſſima. 184. declarationes. 187. & 191. Directorium. 192. 17. namq. 194. 17. & vbiq; 216. 12. nec. 22. tolle. ſecundū eſt. 241. 10. orationem. 256. 22. facillimè. 292. 15. munus. 303. in hoc ipſum intuenti. 319. 10. diſſoluerit. 366. 1. arte 394. & libro 441. 25. loris. 455. 16. patefecit. 350. 9. callidiſſimo. 480. 29. vim. 502. 14. tolle vti. 524. 3. Maldonatum eis vti. 538. 24. ſententia. 586. 16. præcordijs. 602. 5. veritatis. 612. 7. totum. 622. 6. tingeretur. 623. 13. eſt. 627. 1. in fluendo. 631. 2. vim. 661. 27. poteſtati ſubiectum. 669. 28. oppidum. 723. 7. propterea. 736. 11. tolle aſſerere. 777. 10. exiſtentiam. 842. 24. ſerti. 865. 18. compoſitio. 880. 1. ex 882. 13. auerſantur. 890. 6. explicaret. 890. 10. poſſe eſſe. 898. 9. quo. 897. 29 prouidit. 906. 1. dictu. 907. 3. de merito.

FRANCISCI COLLII

S. THEOLOGIAE, AC COLLEGII Ambrosiani Doctoris.

DE SANGVINE CHRISTI

LIBER PRIMVS.

Totius operis diuisio.

DE sanguine Christi verba facturus ab operis partitione exordior, atque diuido totam istam de sanguine Saluatoris quæstionem in libros quinque, in quibus dicam de natura, & proprietatibus Sanguinis Christi: de vnione hypostatica eiusdem: de sex effusionibus: de aqua, & sanguine ex vulnere lateris, percussis Christi imaginibus, & sacr synaxi effuso; ac tandem de cæteris omnibus, quæ d mortui, ac reuiuiscẽtis Christi sanguine tractari possũ

DISPVTATIO PRIMA.

De nomine, veritate, & natura sanguinis Christi.

CAP. I.

De multiplici appellatione sanguinis Christi.

VAria, ac multiplici appellatione in Sacris litteris Christi sanguinem vsurpari consueuisse reperio. Sæpè enim pretiosi sanguinis nomen obtinet, vti locuples testis est Apostolici ordinis princeps ita scribens. *Scientes, quòd non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis; sed pretioso sanguine quasi agni immaculati, & incontaminati Christi*; & meritò, cum certissimum sit eam esse sanguinis Christi dignitatem, & excellentiam, quæ mortales omnes, atq; terrenas opes longissimè vincit. Aliquandó etiam redemptionis sanguis appellatur, quia virtute illius saluator liberauit, ac redemit genus humanum, quod cæcis peccati, & ignorantiæ tenebris inuolutum satanica tyrannide opprimebatur. Sic enim legimus. Apocalypsis quinto. *Dignus es domine accipere librum, & aperire signacula eius: quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo*, & rursus ad Ephesios primo. *In quo habemus redemptionem per sanguinem eius (remissionem peccatorum) secundum diuitias gratiæ eius*. Et quoniã sanguinis Christi merito iustitiæ donum à Deo obtinemus; idcircò iustificantis nomen sanguis Christi adeptus est. *Multo igitur magis nunc iustificati in sanguine ipsius salui erimus ab ira per ipsum*. Ad Romanos 5. Pariter, quia peccati maculas abstergit, & coinquinata

Sanguis pretiosus.

Epistola prima c. 1.

Sanguis redemptionis.

Sanguis iustificationis.

Sanguis emũdationis, & sanctificationis.

vitijs

vitijs pectora noſtra purgando ſanctiora reddit, emundationis, & ſanctificationis nominibus in diuinis litteris appellatur; in quibus ſolemnes ſunt illæ voces. *Si enim ſanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis; quanto magis ſanguis Chriſti, qui per ſpiritum ſanctū ſemetipſum obtulit immaculatū Deo emundauit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſeruiendum Deo viuenti,* & mox. *Propter quod & Ieſus vt ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum extra portam paſſus eſt,* & rurſus *Sanguis Ieſu Chriſti emundat nos ab omni peccato.* Nonnūquam ſanguis Chriſti nominibus ablutionis, & aſperſionis notatur, vt videre eſt Apocalypſis primo. *Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo,* & rurſus cap. 7. *Hi ſunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine agni.* Ad hæc quia graues in Deo, & homine inimicitias non ſolū extinxit ſanguis Chriſti, ſed etiam ad amicitiam, conſuetudinemq. quodammodo, ſi ita loqui fas eſt, vtrūq. traduxit, ac Deum, quem meritiſſimè propter ſcelera noſtra infenſum habebamus, propitium nobis effecit, idcircò propitiantis, atque pacificantis nominibus dicitur Apoſtolo teſte. *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius.* Et ad Coloſſenſes 1. *Quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipſum pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cœlis ſunt.* Dictū ēt cōperies ſanguinē teſtamenti, quo videlicet datur hominibus aſpirādi ad cœleſtem illā bonis omnibus circumfluentem patriam, vbi reuelata facie Deum beati contemplantur Matthæi 27. *Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro vobis,* &

Ad Hebr. 9.

Ad Hebr. 13.

Ioannis 1.

Sanguis ablutionis & aſperſionis.

Sanguis propitiationis. Ad Romanos 3.

Sanguis teſtamenti.

uis, & pro multis effundetur, & ad Hebræos 13. *Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ouium in sanguine testamenti æterni Dominum nostrum Iesum Christum aptet vos.* Amplius partæ ab omnibus sanctis contra Cacodæmonem victoriæ dux dicitur Apocalypsis 12. *Et ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni, & propter verbum testamenti sui.* Sed quid plura? cum virtute huius sanguinis tutum iter ad æterna tabernacula patuerit non ipsi solum mediatori, verum etiam cæteris omnibus Euangelicæ doctrinæ fidem profitentibus, an non iure merito noua rursus appellatione ducis, ac comitis ad æternam vitam sanguis Christi donari potest? Sic scribente Apostolo. *Christus per proprium sanguinem introiuit semel in sancta æterna redemptione inuenta* ad Hebræos nono, & ad Ephesios 2. *Nunc autem in Christo Iesu vos, qui aliquandò eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi.* Dici etiam potest sanguis acquisitionis; quādoquidem *Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quā acquisiuit sanguine suo.* Possem alias huiuscemodi sanguinis Christi appellationes recensere, quibus solet significari, verum quia ad has, quas tetigimus, cæteræ reuocari facilè possūt, nobis ideo ad alia pergendum est.

Sāguis victoriæ.

Sāguis ducens ad æternam vitam.

Sanguis acquisitionis.

CAP. II.

De veritate sanguinis Christi.

AC inquirendum, quenam sit sanguinis Christi veritas; de quo etsi ita concors sit omnium catholicorum sententia, vt nulla ratione citra apertam hęresis

sis labem ambigi possit, quin in Mediatore nostro verus, ac naturalis sanguis reperiatur; attamen quia non omnes rectum veritatis catholicæ tramitem sunt sequuti, idcircò breuiter testimonijs diuinarum litterarum eos redarguemus, qui, vt de corporis Christi veritate commentitia, & omnino falsa opinati sunt, ita de eiusdem Saluatoris sanguine ea docuerunt, quæ salua catholica veritate sustineri nullo modo debent.

Hæresis Cerdonis, Marcionis Manichæi, & aliorum.

Etenim aliqui turpiter asserere non dubitarunt, nullam veram humani sanguinis particulam, sed adumbratam duntaxat sanguinis similitudinem in Christo domino fuisse. Quemadmodum amens Cerdon arbitratus est, impiè docens, Aeterni patris filium fictitijs solummodo membris instructum è cælo in terram descendisse, vt auctor est inter alios Patres Beatus Augustinus libro de hęresibus hæresi vigesima prima; cuius errori libenter subscripsit eiusdē Cerdonis discipulus Marcion, vti refert Philaster in eo libro, quem de hæresibus euulgauit. In eadem hæresi plures alij prætereà fuerunt; inter quos dux, ac princeps fuit Manichæus callidus mendaciorum parens, & magister, qui Diuino verbo non verum corpus ex terrenis quatuor humoribus conflatum, sed phãtasticum, & apparens duntaxat habuisse docuit. Enimverò licet hoc portentum Valentino plane non arriserit; haud tamen digniora de humana Saluatoris nostri natura loquutus est. Nam quamuis Christo domino concederet verum corpus, nolebat tamen illud esse ex terrea mole fabricatum, atque ex purissimis Dei genitricis Mariæ sanguinibus compactum, sed insulsè arbitratus est, fuisse quoddam corpus, quod secum ipse Dei filius de cælo asportarit, quodq; per vi-

Valentini error.

scera

scera immaculatæ Virginis, quasi per fistulam traxerit. Ex quibus clarè liquet, hos omnes hæreticos sibi persuasisse, Christum dominum non modo omni carne, verum etiam omni humana veri sanguinis substantia caruisse. Verum has hæreses perpetua quadam voce cùm diuina scriptura, tùm Sancti Patres ad vnum perabsurdas, & à Christiana fide prorsus abhorrentes execrantur. Nam quid sacris litteris Ioannis primo, & epistola eiusdem secunda, Lucæ 24. Prima Petri primo. Ad Hebræos 9. magis contrarium potest reperiri, quam non fuisse in Christo vera, ac naturalia humanæ naturæ membra? Quid sacris Concilijs Hispalensi secundo cap. 13. & Bracharensi primo cap. 4. atq; Tridentino passim incongruentius affirmari potest, quàm fictitium fuisse Saluatoris nostri corpus? Quid demùm Sanctis Patribus Irenæo libro aduersus hæreles 3. Tertulliano libro de carne Christi, Augustino epistola 146. Theophylacto in Lucam cap. 22., cæterisq; omnibus adeò oppositum fingi potest, quam singulare pretium, quo homines redempti, ac liberati sunt à Christo tollere, qui excellentissimo quodam, & ineffabili modo humanam naturam, eiusq; etiam minutissimas partes intimè sibi copulauit, vt perfecta, & omnibus numeris absoluta esset humana natura? atqui naturæ perfectio omnes componentes, & ad perfectionem spectantes partes sibi postulabat; igitur in Christo domino reperiri planè debuerunt non solum caro, & ossa, sed etiam sanguis omnium humorum nobilissimus, qui vnà cum omnibus alijs partibus perfectam, & absolutam corporis humani constitutionem absoluit. Hęc argumentatio meo quidem iudicio tam clarè, atq; manifestè in Christo sanguinem astruit, vt

nihil

nihil aliud magis opportunum ad hanc veritatem corroborandam exigi posse videatur; nisi fortasis affirmare quis vellet, in homine nullum reperiri sanguinem, quod esset ridiculum; quid enim potest esse tàm clarum, cum humana corpora sensibus ipsis intuemur, quàm in illis esse fluidam substantiam calore, & humido prędi-tam, colore rubram, sapore dulcem, & in omnibus venis, quæ in corporibus sparguntur, contentam, qua humanæ fabricæ membra alantur? Quòd si secus esset, qua ratione Philosophorum omnium assensu affirmare potuissent medici, humores, inter quos principem dignitatis locum sanguis obtinet, viuentium corporum esse elementa? quo item modo quatuor corporum temperationes dari possent; in quibus sæpè numero prædominatur sanguis? Vt quid prętereà tot varijs morborum generibus, tamque magnis humana corpora prèmerentur ægritudinibus, quæ sicuti ex nimia bili, & pituita, sic pariter ex nimia sanguinis copia sæpissimé oriuntur, si nullus in humano corpore sanguis reperitur? profectò qui in hominum corporibus sanguinem esse longiori oratione sibi vult persuaderi, curiosius id facit, quam necesse est. *Sanguis descriptio.*

Nam si Aristoteles vir subtilis, & in causis rerum naturalium indagandis solers secundo Physicorum eos, qui naturam demonstrare, rationibusq. comprobare attentassent, censet esse deridendos, cum naturam dari per se notum, sensibusq. ipsis apertum sit; an non pari derisionis vitio laborarent eę rationes, quibus sanguinem dari pluribus persuaderetur? cum sit veritas hæc etiam indoctorum virorum iudicio, certisq. naturæ experimentis comprobata.

CAP.

CAP. III.

De Sanguinis Christi natura.

COgnita sanguinis existentia proximum est, vt videamus, quam sanguis Christi naturam obtineat; at quoniam idem est de sanguine Domini, ac de totius humanæ mortalitatis sanguine negotium, omissis antiquorum philosophorum de sanguinis natura figmentis, quorum egregius, vt solet, oppugnator est Aristoteles cùm alibi, tùm in libris de anima frequentissimè, rem totam in præsenti quæstione perquirendam docebo; paucos enim memini fuisse adhuc, qui veram, perfectamq; sanguinis definitionem in mediũ proferre soliciti fuerint; quin immó Peripateticorũ coryphęus Aristoteles, qui longa, & accurata oratione sæpe numerò de sanguinis natura philosophatus est libro tertio de historia animalium cap. secundo, & decimonono libri eiusdem, & secundo de partibus animalium cap. tertio, quarto, quinto, & sexto, & alibi sæpius de hoc non curasse videtur, nam, & si pleraq. de sanguinis proprietatibus, differentijs, & effectibus subtilitè admodum tradiderit, perfectam tamen, omnibusq. numeris absolutam sanguinis definitionem non inuenitur assignasse.

Quòd si obijcias Aristotelem huius perfectæ definitionis memorem fuisse secundo de partibus animaliũ cap. tertio non procul à fine capitis, vbi de sanguinis natura loquens sic habet, *Cum autem omnis alimenti, omnisq; excrementi conceptaculum aliquod haberi necesse sit, ven-*

quasi

quasi vasa sint sanguinis, patet sanguinem esse animalibus sanguineis vltimum alimentum. Facili negotio obiectioni satisfaciam adhunc modum; non inficior vllo pacto hæc esse Aristotelis verba,& definitionem; sed quis, etiam si minus acuté videat,non videt tamen, eam definitionem insufficientem, imperfectam, & definitionis nomine indignam esse: vulgatum enim apud philosophos,& apud philosophorum parentem ipsum Aristotelem axioma semper fuit, veram definitionem constare genere, quo res definita cum cæteris conueniat omnibus eiusdem naturæ substantijs, & differentia, qua ab ijsdem distinguatur;at,vt de differentia taceam in præsens,vbi genus, quod in definitionibus est præcipuum, in allata definitione reperitur? certè cum nullum assignari queat genus vitiatam eam esse definitionem pro certo habendum est, quemadmodum sine dubio voluit, & ipse Aristoteles, cuius mens eo loco non fuit perfectam tradere sanguinis definitionem, sed magis recensere munera quædam sanguinis.

Est igitur sanguis humor nutriens, qui potentia est corpus in animalibus sanguinẽ habentibus; quã ego definitionem non ex meo duntaxat sensu depromo, sed ex manifestis doctrinæ Aristotelicæ locis elicio, partim videlicet ex libris de partibus animalium, & partim etiã ex libris de historia animaliũ anteà citatis, in quibus ea,quæ in definitione posita sunt, ad sanguinis naturam pertinere claré docet,eamq; ante nos intellexit,docuitq; Albertus Magnus in libro,qui de historia animaliũ inscribitur tertio de animalibus cap.quinto tractatus secundi in exordio capitis sic scribens. *Sanguis est humor nutriens,* *Sanguinis definitio.* *Albertus Magnus.*

qui potentia est caro in animalibus sanguinem habentibus, in quo sunt duæ qualitates, quæ sunt calidum, & humidum. Hæc ille. Cuius quidē definitionis perfectionem facilè cernere vnusquisque poterit, si ad eiusdem particulas mentem attenta cogitatione adijciat.

Incipiamus igitur eo ordine, quo definitio prodijt in medium, *Humor*, Primo loco sanguis appellatur, quò sanguini, cæterisq; alijs tribus humoribus, qui sic vulgò recensentur, sanguis, flaua bilis, seu colera rubra, pituita, seu phlegma, & nigra bilis, seu melancolia, eandem genericam naturam penitus competere intelligamus, cuius particulæ defectu allatam superiùs ex Aristotele definitionem tamquam inperfectam reiecimus, quare primum hoc definitionis verbum generis loco positum est; siquidem quatuor prædicta corporis elementa vno, eodemq; humoris nomine appellantur. *Nutriens*, Hoc verbo sanguis a cæteris tribus humoribus distinguitur, & differentiæ vicē gerit, seu, vt verius dicam, ipsamet differentia est, nam à natura solus inter quatuor humores institutus est sanguis, vt vltimi alimenti officio fungens, animalia sanguine pollentia alat, atque nutriat. *Qui potentia est caro.* His intelligimus sanguinem non esse viuentem, & principaliorem animalis partem, sed cum virtute caloris post perfectam cibi concoctionem, viuentis, dignioris q; partis formam induere, atque animalibus intimè consociari, dum in carnem, ossa, neruos, & huiusmodi membra conuertitur nutritiuæ facultatis vi, ac potentia, suntq; hæc verba meo quidem iudicio, manifestior quædam, & clarior verbi præcedentis declaratio, vt mox patebit. *In animalibus sanguinem habentibus.*

Pleraq;

Pleraq; ſiquidem animalia in rerum natura reperiuntur, in quibus, & ſi adſit humor, latè humoris vocem accipiendo, qui, & nutriens, & potentia corpus eſſe videatur, vt in animalibus ſanguine carentibus patet, haud tamèn humor ille dici, nominariuè ſanguis poteſt, qui propriè, & ſtrictè humoris nomen meretur. *In quo ſunt duæ qualitates, quæ ſunt calidum, & humidum.* Hæc ad extremum ponuntur, vt qualitatum diſcrimen, quod inter ſanguinem, aliosq; humores reperitur, innoteſcat; quas autem qualitates flaua bilis, pituita, & nigra bilis ſibi poſcant conſule Galenum, ſi placet in commentarijs in Hippocratem de humoribus, quoniam hæc ab inſtituto, propoſitoq; noſtro aliena ſunt.

CAP. IV.

Nonnullæ allatæ definitionis difficultates.

ET interim, quòd ad præſentem materiam facit, hoc loco in dubium verti poteſt, num ea omnia, quæ in aſsignata ſanguinis definitione recenſuimus, ſanguinis eſſentiam, & naturam intimè, ac intrinſecè tãgant, an verò aliqua minimè neceſſaria, ſeu, vt in ſcholis loquuntur philoſophi, eſſentialia illi admiſceantur. Et ſanè non vereor, quin dubitationi ſatisfaciendo affirmandum ſit, accidentale quidpiam in hac definitione reperiri, ſi enim ſtrictim, & preſsé definitionis verba ſumantur, prima duo tantum verba perfectæ definitionis partes conſtituunt, reliqua verò, vel ad maiorem lucem, & claritatem tantummodò, vel ad ſenſum illorum verborum facilius percipiendum, in definitione recenſeri

duco; quód, vt apertiùs dignoſcatur, exordiar ab ijs verbis; *qui potentia, eſt Caro*, quæ variata duntaxat verborum ſignificatione idem planè ſonant, ac illud verbum. *Nutriens*, Quod in definitione eſſentiale eſſe docuimus; ſi enim ſanguis humor eſt nutriens, proculdubio etiam potentia caro eſt, ſiquidem nutritio non alia ratione fieri poteſt, niſi quia ſanguis, qui pabulum, & totius corporis nutrimentum eſt, per intus ſuſceptionẽ iuxta triplicem longitudinis, latitudinis, & profunditatis dimenſionem, vt dicunt, tranſit in ſubſtantiam animalis, quod augetur, ac nutritur, hoc autem tunc ſolum euenit, cum idem ſanguis, qui proximè ad naturam carnis accedebat, eiq; ſubſtantialiter in identitatem naturę poterat copulari, de factò redacta in actum potentia illi verè vnitur.

Circa illa verba, *in animalibus ſanguinem habentibus*. Attende humorem bifariam conſiderari poſſe; primò rigorosè, & ſtrictè, qua ratione ſumptum in hac ſignificatione humorem nonnulli volunt animalibus tãtum ſanguine fæcundis conuenire poſſe; & rurſus latè poteſt humoris vocabulum ſumi, vt videlicet omnia, quæ humiditatem ſiue cum calore, ſiue cum ſiccitate coniunctam habent, complectitur; quo in ſenſu humoris ſignificatio cuiuſlibet naturæ animalibus non modo ſanguinis expertibus, verum etiam plantis competit, quorum doctorum diſtinctio, ſi veritati conſentanea eſt, ea verba ad definitionis eſſentiam non pertinere clarum erit, ſi in preſſa ſignificatione ſumatur humor, tunc enim verba illa plenior quędam erit explicatio præcedentium verborum, quandoquidem in hac ſignificatione ſumptus humor in animalibus ſanguineis tantum reperitur, atq; adeò

Humor bifariam ſumitur.

adeò minimè neceſſaria erunt hæc verba, *in animalibus ſanguinem habentibus*; ſecus autem opinandum eſt, ſi in laxioriſignificatione humor accipiatur; tunc enim erunt verba illa differentia contrahens latè patentem humoris naturam. *In quo ſunt duæ qualitates, quæ ſunt humidum, & calidum*; Si dicta hucuſq; circa hanc definitionem fortè fortuna difficultatibus non carent, certè verba iſta ab omni calumnia abſoluuntur, dum illa non eſſe definitioni intrinſeca aſſerimus, ad cuius dicti manifeſtam fidem confirmandam non alio, quam Ariſtotelico vtar iudicio, qui dum de ſanguinis calore diſputat, eum accidentāliter ad ſanguinis naturam pertinere docuit, ſic ſcribens ſecundo de partibus animalium cap. tertio. *His ita præfinitis, apertum iam eſt ſanguinem quodammodo calidum eſſe, videlicet eo, quale eſt ei ſanguini eſſe, perindè quaſi aquam feruentem nomine vno ſignificemus. At verò ſubiecto, & quod tandem cum ſit ſanguis eſt non calidus eſt, & quodammodo per ſe calidus, quodammodo non per ſe calidus, caliditas enim in eius ratione ineſt, quemadmodum albedo in albi hominis rationem, at eo quo ſanguis per affectionem ſiue paſsionem eſt, non per ſe calidus eſt.* Ex quibus duo colliguntur. Alterum calorem ſanguini non ineſſe per ſe; alterum calorem perinde ſe habere in ſanguine, ac calor in aqua feruescente, & albedo in homine ſe habent; at hæc duo ſine controuerſia extrinſecè, & per accidens aquæ, & ſanguini conueniunt.

Sanguis nō per ſe calidus.

DI-

DISPVTATIO SECVNDA.

De nutrimentali, & vitali sanguine Christi.

CAP. I.

An in Christo daretur nutrimentalis sanguis à vitali sanguine distinctus.

SEd de his, quæ ad propriam sanguinis definitionem inuestigandam spectabant, quantũ causæ nostræ satis esse poterat, diximus; nunc de sanguinis differentia pergamus aliqua explicare; inter quæ illud in primis est perscrutandum, quod magnam habere videtur difficultatem. An in Assertore nostro duplicis naturę sanguis daretur; quorum vnus vitalis, nutrimentalis alter esset, vt aliqui docuerunt; An potius vnius, & eiusdem essentialis perfectionis tota sanguinis Christi copia foret, quamuis in accidentali perfectione idem sanguis aliquod discrimẽ admitteret. Quia igitur totum discrimen, quod in sanguine aut esse, aut fingi potest ex duplici sanguinis facta inter se comparatione desumendum videtur; aut primò si existentem in Christo sanguinem sanguini in cæteris hominibus reperto cõparemus; aut secundò, si Christi Dei, & hominis nonnullas proprij sanguinis partes diuersis, alijsq; eiusdem sanguinis Christi partibus, vel certè aliquam sanguinis Christi particulam alteri sanguinis portioni opponamus. Primæ comparationis sensus est, an inter Christi sanguinem ex vna parte, & cæterorum hominum sanguinem ex altera substantiale discrimen

Propositæ quæstionis sensus.

ſcrimen deprehendatur. Secundæ diſtinctionis ſenſus eſt; ſit ne inter eiuſdem Chriſti domini varias ſanguinis portiones aliquod diſcrimen, itaut in Vindice noſtro ſanguis à ſanguine eſſentialiter diſtingueretur; in quo poſtremo ſenſu quæſtionis titulus intelligendus eſt, quādoquidem primus ille, & ex ſe patet, & amplius ex mox dicendis clarior euadet, præcipuè ſi attendamus ſimilē, & in ſpetie eandem ſanguinis Chriſti, & cæterorum hominum ſanguinis naturam fuiſſe.

Nonnulli igitur hoc in ſenſu prædictam difficultatem in dubium reuocantes, ſubſtantialem differentiam in ſanguine Chriſti dari putarunt; & duplicem non in Aſſertore tantum, ſed in qualibet vitali aura fruente hominis perſona ſanguinem diſtinxerunt; alterum, quem vitalem appellant, omnibus, quæ ſanguini attribui poſſunt, conſtantem perfectionibus, qui non tantùm ad congruam humani corporis conſtitutionem exigatur; ſed etiam, qui rationali anima, tamquàm propria forma ſecundùm vegetatiui gradus perfectionem viuificetur, quamuis rationalis anima non adeò perfectē ſanguinē, ſicuti alia hominis viuentia membra informet; alterum nutrimentalem, vt vocant, cuius ſors, & natura longe á priori ſanguine diſtat: ſiquidem iuxta illorū opinionem, neq; animam rationalem in ſe habet, neq; perfectus eſt, ſed impurus tantum, atq; imperfectus, quiq; non ſatis pro ſanguinis natura, & dignitate decoctus eſt. Huius autem doctrinę inuentor fuit Cardinalis Caietanus parte tertia, quæſtione quinquageſima quarta articulo ſecundo in reſponſione ad tertium, vbi quærens: an totus ſanguis Chriſti in paſſione effuſus cum eodem reſurrexerit,

Opinio Caietani.

Vitalis ſanguis quid apud Caietanum.

Sanguinis nutrimentalis natura iuxta Caietani placitum.

Caietanus 3 p. q. 54. art. 2.

xerit, se se à difficultatibus expedit hac sanguinis excogitata distinctione, docens sanguinem nutrimentalem in terris remansisse sine vlla temeritate sustinendum esse probabiliter. *Nihil prohibet in Christo fuisse passionis tempore sanguinem nutrimentalem, qui non est in resurrectione assumptus, quoniam non est maior ratio, quarè tunc non fuerit in Christo sanguis nutrimentalis, & aliàs fuerit, & rursus quare in ipso tunc non, & in alijs hominibus ætatis suæ sic, & rursus quarè tunc patiendo non, & si non fuisset tunc passus, fateremur in eo sanguinem nutrimentalem. Si autem in Christo tunc fuit nutrimentalis sanguis, constat, quod tunc effusus fuit, cum natura meliorem* (eũ videlicet qui pars corporis, & anima rationali præditus est) *quantum potuerit in finem reseruarit.* Sic Caietanus, qui etiam in fine eiusdem quæstionis eandem sanguinis distinctionem clariùs docet in hæc verba. *Certum est, & absq; hæsitatione qualibet constat Christi sanguinem nutrimentalem, qui dicitur in terra inueniri, etiam si in passione effusus sit, non esse vnitum verbo Dei personaliter, quoniàm numquàm fuit actu pars sanguinis, qui est de veritate humanæ naturæ.* Ex quibus postremis verbis, & dari sanguinem nutrimentalem distinctum à vitali sanguine, & à sanguine illo, qui ad humanæ naturæ integritatem, & veritatem pertinet, in Caietani sententia concedendum esse appareret, & quamuis nullibi apertiùs, quàm præsenti loco hãc doctrinam de sanguinis discrimine tradiderit, tamen eidem innixus fundamento similia tractauit prima parte quæstione centesima decima nona articulo primo ad tertium, & tertia parte quæstione quinta articulo secundo.

CAP.

CAP. II.

Opinionis Caietani rationes.

QVæ autèm fuerint rationes, quibus in hanc ſententiã ductus eſt Caietanus, ex his, quę habet prima parte quæſtione 119. articulo 1. & 3. parte quæſt. 5. articulo 2. & eiuſdem tertiæ partis quæſtione quinquageſima quarta articulo 2., cognoſcere licet; Nam principiò cum pleraq́; in S. Thomæ ſcriptis Caietano meditanti occurriſſent, in quibus Sanctus Thomas non vnam, & eandem ſemper de ſanguinis natura opinionem ſequutus videbatur, eſſet, nec ne ſanguis vera pars corporis, viuens, an ſecus, propterea vt ab ijs anguſtijs, in quas non modo Diui Thomæ doctrina, verùm etiam animus proprius redigebatur, liber eſſet Caietanus, hanc ſanguinis diſtinctionem adinuenit, quæ ex nõnullis Sancti Thomæ locis colligi poſſe videtur; nàm tertia parte quæſtione quinquageſima quarta articulo ſecundò in reſponſione ad tertium, ſanguinem ad humanæ naturæ veritatem pertinere putat Sanctus Doctor, & quarto ſententiarũ diſtinctione 44. quæſt. prima artic. 2. quæſtiuncula 3. & viuere ſanguinem, & veram corporis viuentis partem eſſe docet; cuius tamen rei oppoſitum, quaſi quodammodo traditæ citatis locis doctrinæ immemor nõ obſcurè inſinuat tertia parte quæſt. 5. quo in loco ſanguinis naturam conſiderans, *& adeo* inquit, *non debuit corpus Chriſti formari de carne, uel oſsibus Virginis, ſed de ſanguine, qui nondum eſt actu pars, ſed eſt potentia tantùm ut dicitur in libro de generatione animalium, & ideò dicitur carnem de Virgine ſumpſiſſe, non quòd materia corporis eius fuerit actu caro, ſed ſanguis, qui* eſt *potentia caro*; &

Caietani opinionis primum fundamentum.

S. Thomas 3 p. q. 5.

prima parte quæstione centesima decima nona articulo primo ad tertium in eandem sententiam hæc docet, *Sed humidum nutrimentale est, quod nondum peruenit ad susciendam perfectè naturam speciei, sed est in via ad hoc, sicut est sanguis, & alia huiusmodi.* Huius prætereà distinctionis ductu nullo negotio ostendere se posse putauit Caietanus rationem necessitatis, cùr resurgenti Christo opus fuerit sanguine, qui tamen, si ex omni parte tantùm nutrimentalis fuisset, nequaquàm requirebatur, propterea quòd Christi domini corpus nullo egebat alimento ob impassibilitatis dònum, quo decorabatur post gloriosissimam à mortuis resurrectionem, nàm etsi in corpore immortali Vindicis nostri non requireretur nutrimentalis sanguis ob assignatam rationem, perfectus tamen, animaq; rationali informatus, qui humanæ Christi naturæ pars, & complementum erat, in Christo esse omnino debuit. Qua etiam distinctione facilè ostendit Caietanus, quí fieri possit, vt aliqua sanguinis Christi particula in terris conseruari, & quo itidem modo totum sudoris sanguinei negotium posset explicari; ea enim in huius doctoris mente prævaluerat opinio, vt nullam veri, ac perfecti sanguinis Christi neq; in horto, neq; in toto terrarum orbe relictam esse partem iudicaret, certissimũq; arbitraretur; cum quo tamen ex alia parte aliquas, & sanguinis in horto, & in passione effusi in terris partes putabat conseruari; quæ tamen duo, vt patet non nisi præsuppositа sanguinis nutrimentalis á vitali distinctione stare poterant. Et tandem quod fuit potissimum huius opinionis fundamentum, hęc sanguinis distinctio ex doctoris angelici principijs euidenter eruitur quodlibeto quinto

Secundum firmamentum.

Tertium fundamentum.

Vltimum, & potissimum.

quinto quæſtione tertia articulo quinto corpore. Cuius verba ad maiorem huiuſce rei claritatem libet hoc loco recenſere. Sic autem habent. *In reſurrectione tàm Chriſti, quàm noſtra totum, quod fuit de ueritate humanæ naturæ reparabitur, non autem illa, quæ de ueritate humanæ naturæ non fuerũt; & quamùis circa ea, quæ ſunt de ueritate humanæ naturæ, ſit diuerſa diuerſorum opinio, ſecundùm quamlibet tamen non totus ſanguis nutrimentalis, ideſt, qui ex cibis generatur, pertinet ad ueritatem humanæ naturæ, cũ ergo Chriſtus comederet, &c. nihil prohibet in eo fuiſſe aliquem ſanguinem nutrimentalem, qui ad ueritatem humanæ naturæ non pertineret,* & poſt, *ſed quia ſpecialiter fit quæſtio de ſanguine in paſſione effuſo pro redemptione humani generis, de hoc uidetur magis dicendum, quod totus in reſurrectione ad corpus redierit.* Hactenus Angelicus doctor, qui ſanguinem nutrimentalem à ſanguine in paſſione effuſo non alia ratione diſtinguit; niſi quia ſecundus ad veritatem humanæ naturæ, non autem primus pertineat, à cuius opinione, & ſenſu, ne latum quidem vnguem diſcrepare videtur Cardinalis Caietani ſententia.

S. Thomæ quodlib. 5. q. 3. ar. 5.

CAP. III.

Caietani opinio refellitur.

VErùm enim verò, ſi quid ego de hac opinione ſentiam, liberè fateri poſſum, arbitror iſtud Caietani placitum in ſuis quodammodò marceſcere, ac deficere fundamentis; & in primo quidèm ruit fundamento, (nam, vt in preſens nihil de eorum reſponſione dicam, qui vti varia varijs in locis docuiſſe, & contrarijs

Vt quidam malè opinionem S. Thomæ interpretẽtur

adhæsisse sententijs Sanctum Thomam concedere non verentur; ità similitèr in hac materia idem feciſſe affirmant; siquidem solutionem hanc sine dubio tanto viro indignam arbitror, qui, vti fideliſſimus illius interpres Ioannes Capreolus asserit, eandem incommutabilem viam secutus est non in citatis tantummodò locis, sed in compluribus etiam alijs, qui in contrarium adduci possent, vt latius infra suo loco ostendam, dum de sensu doctoris angelici sermo erit ex professo;) ruit inquam in primo fundaméto, quoniàm sanguis nõ in actu sed in propinqua tantùm potentia animã rationalem habet; qua eadẽ responsione dictũ quarto sententiarũ distinct. 44. interpretandum, & explicandum est, dùm vitam viuere, & hominis forma nobilitari sãguinẽ videtur asserere S. Thomas. Nisi malueris dicere sanguinẽ anima informari; intelligi posse bifariã, aut formaliter, aut effectiuè, & in secundo, nõ autẽ in primo sensu Angelicum doctorẽ loqui dicas, cum viuere sanguinẽ, & anima rationali viuificari docet; quod videtur verissimum, quoniàm sanguis ab anima rationali vi, & virtute vegetatiui gradus esse suum habet. Nec subsistit in secundo, & tertio fundamento Caietani sententia; quid enim necessitatis est sanguinem nutrimentalem his duabus de causis fingere, cum verum, perfectumq; Christi sanguinem in terris remansisse testentur insignes doctrina, & pietate viri? quarè licèt demus Caietano in humanis corporibus cælesti gloria donatis ad illa enutrienda non exigi sanguinẽ, nihil tamẽ nobis officit istud: memorẽ enim velim Caietanum, sanguinem procreatum esse non ad hunc solummodò finem, sed etiam ad plures alios, nimirum ad hu-

Caietani opinio refellitur.

Bifariam sanguinem anima rationali informari cõtingit.

Cur in beatorum corporibus futurus sit sanguis.

humanæ naturæ oſtenſionem, ad venas replendas, & ad diſcriminandos, delineandosq; in illis fælicibus mẽbris varios colores, quæ omnia in reſurgentibus ad vitã æternam corporibus ad plenam, & conſummatam ſui ſtatus perfectionem, neceſſaria ſunt. Tandem in præcipuo labitur manifeſtè, & in ſanguinis vitalis, & nutrimẽtalis allata diſtinctione errauit Caietanus; neque enim illa diſtinctio eſt ſecundùm veram partium ſanguinis diuerſitatẽ, quaſi verò alia ſit ſanguinis nutrimẽtalis materia, & forma, à materia, & forma itidẽ vitalis sãguinis vere diſtincta, ſed eſt eiuſdẽ sãguinis, diuerſo, varioq; modo cõſiderati rõnis ratiocinatę, vt vocãt, formalis diſtinctio.

Ad cuius rei facilioręm intellectũ noſse oportet, vnius, eiuſdẽq; ſanguinis partes, munusq; propriũ eſſe, vt & alimentum corporis, & ſpiritus vitalis materia, & ſedes exiſtat; quæ duæ ſanguinis proprietates effecerunt, vt ſæpè numerò à doctoribus, (ſicuti in præſentia à S. Thoma obſeruatum eſt quodlibeto quinto,) idẽ planè ſanguis, quatenùs nutrit, nutrimentalis, quatenùs verò materia, & ſedes eſt vitalis ſpiritus, vitalis appellaretur, sũpta ab effectibus ſanguinis appellatione, cũ tñ vnius duntaxat naturę sãguis ſit in pfectione ſubſtãtiali, quamuis in accidẽtali diſcrimẽ aliq; in sãguine adinuenire facillimũ ſit.

Vitalis, & nutrimentalis ſanguinis nomen vnde ortum.

Quòd ſi hęc reſponſio diui Thomę auctoritati ex quodlibeto ductæ penitus nõ ſatisfacit ob tactam in oppoſito argumento rationem, aliud accipe reſponſum; ſanguinis videlicet nutrimentalis vocabulo non intellexiſſe doctorem Angelicum aliquam ſanguinis ſpetiem à ſanguine vitali vere diſtinctam, quæ nulla eſſe poteſt, ſed intellexiſſe ſuperfluum, & ſuperabundantẽ Chriſti ſanguinẽ, qui ob id impertinẽs veritati humanæ Chriſti naturæ

Quid ſanguinis nutrimẽtalis vocabulo intelligat S. Thomas.

á Diuo

à Diuo Thoma appellatur, nõ ea ratione, quòd non ſpectaret ad humanam illius naturam, ſicuti quilibet alius ſanguis in Chriſto exiſtens, ſed potius, quia impaſſibilibus Vindicis noſtri membris, immortaliſq; corporis gloriæ, quæ minori ſanguinis copia contenta eſt, non erat conueniens, & hæc eſt germana, ſaluo tamen meliori iudicio, loci illius Sancti Thomę explanatio, vt intẽta mentis acie prædictum teſtimonium meditantes cognoſcent.

Addo tandem vniuerſa Caietani fundamenta leuia eſſe, quoniám is, qui Angelicam doctrinam non profiteretur, quales permulti exiſtunt, rem totam paucis expediret, affirmando primum fundamentum ex contrarijs, & inter ſe pugnantibus, ſecundum ex inanibus, tertiũ ex minimè neceſſarijs, quartum, & vltimum ex falſis, & ad libitum fictis principijs proficiſci.

CAP. IV.

Syluęſtri ſententia de ſubſtantiali ſanguinis Chriſti diſcrimine.

ALij tripartitò ſanguinis naturam diſtingunt, in ſanguinem videlicet ſuo in genere perfectiſſimum, & quem ſolummodò dicunt abſolutè, & ſimpliciter ſanguinem eſſe appellandum; ſecundò in ſanguinem nutrimentalem; & vltimò in rorem, cambium, & gluten, quæ tria ſunt verus, ac naturalis animalium ſanguis, licét non ſanguinis vocabulo, ſed roris cambij, & glutinis nominibus dicatur, ratione diuerſarum, quibus ſanguis eſt obnoxius, traſmutationum. Primus is eſt, qui perfectiſſimo modo naturæ poſſibili ſanguinis formam, & mate-

Quid ſanguis abſolutè perfectus, quid nutrimentalis, quid ros, cãbiũ, & gluten

materiam possidet, quiq; ab anima non ordinatur, vt in fluxu, & via quadam sit ad recipiendam principalioris membri formam, quamùis à calore necessitate infallibili operante, possit plerumq; trasmutari. Secundus ille est, qui, etsi formam sanguinis habeat, tamen in perfectione, & modo eandem participandi, à primo, qui perfectissimi sanguinis forma decoratur, deficit, propterea quòd, dum ex cibis generatur vltimam sanguinis perfectionem haud potest obtinere. Vltimus est, qui sub forma sanguinis constitutus motu quodã naturali ad principaliores animalis partes ordinatur, vt vi trasmutationis membrorum formas acquirat; porrò autèm is, quatenùs in principio trasmutationis existit, ros, vt in medio reperitur, dealbariq; incipit, cambium, vt deniq; in fine est, gluten dicitur. Triplicem verò hanc sanguinis varietatem, non inani, sed prudenti consilio concedendam esse contendunt auctores isti, ob eam, quam in animalibus pastu egentibus, intuemur, necessitatem, vt enim animal viuat vitam corporalem, animamq; propriã fouere possit, primum; ne verò continua caloris operatione arterialis, perfectusq; sanguis absumatur, secundum, ne tandèm nutrimentales potentiæ, aliaq. animalis membra corruptionem patiantur, tertium sanguinẽ adinuenit solers, & rerum omnium parens natura.

Si huius doctrinæ auctorem ex me scisciteris, tibi adducã Sylvestrum de Prierio in Aurea Rosa, tractatu tertio quæstionum Euangelicarum, quæstione trigesima prima, vbi hanc eandem, quam retulimus doctrinam, habet, de qua qui sensus, quæue sit Sylvestri cogitatio non alienum ab hoc loco dubium oritur. Nam Franciscus Suarez

Aurea Rosa tract. 3. q. Euang. q. 31.

Opinio Suarez de mẽte Sylueſtri.

Suarez vir non mediocritèr in hiſce ſcientijs verſatus tomo primo diſputationum in tertiam partẽ Diui Thomæ quæſtione quinta diſputatione decima tertia ſectione ſexta non modo affinem, & ſimilem, ſed eandem eſſe Caietani, & Sylueſtri de nutrimentali, & vitali ſanguine opinionem arbitratur, quod ipſum Suarez antiquior Bartholomæus Medina tertia parte quæſtione quinta articulo ſecundo voluit, in quorum opinionem pedibus iuit Petrus de Cabrera Cordubenſis in eundem Sancti Thomæ locum.

Vera explicatio ſentẽtia Sylueſtri.

Verùm mea quidèm ſententia aliter ſe res habet, nec veſtigijs Caietani inſiſtit Sylueſter, ſed alio, diuerſoq; tramite à Caietani via recedit. Ille enim, vt vidimus, viuere perfectum ſanguinem, nequaquàm verò nutrimentalem, ſed diuerſis vtrumq; conſtare formis arbitratur. Hic autem eandem penitus formam cùm vitalem, tùm nutrimentalem ſanguinem habere docet perpetuó quęſtione trigeſima quæſtiuncula quarta, & clarius quæſtione trigeſima prima; quamuis fateatur in perfectione accidentali, iuxta perfectiorem, imperfectioremq; eandem formam habendi modum, ſanguinem nutrimentalem diſtingui à vitali ſanguine. Prætereá tantùm abeſt, vt in Sylueſtri via ſanguis nutrimentalis à vitali in forma diſtinguatur, quin potius diſcerni haud facile ſit, quid de animatione ſanguinis opinetur Sylueſter, an viuat ſcilicèt, nec ne; vtramq; enim negantem, & affirmantem ſententiam defendi poſſe docet quæſtiuncula quarta.

Adhęc cùm tripartitam facit idem auctor ſanguinis naturam, nullam verã inter naturas illas admittit diſtinctionem, cuius tamen rei oppoſitum approbauit Caietanus,

tanus, ſed totam ſanguinis, qui vnus eſt, materiam in ſuis partibus, quæ varijs muneribus iuxtà illarum perfectionem deſeruire poſſunt, conſiderat, ſicq; citato loco ratiocinatur. *Vnde ſanguis quo ad ſuam totalitatem habet formam ſtabilitam,* & paucis interiectis. *De ſanguine igitur* inquit *poſſumus loqui tripliciter, primò loquendo de ipſo totali ſanguine gratia partium ſuarum, quæ non ſunt in via ad perfectius habendam naturam ſanguinis, nec in via recedendi à forma ſanguinis, & tendendi ad formam principalium membrorum, ſed ſunt ſtabilitæ ſub forma ſanguinis nullam penitus habentes alterationem intentam ab anima promouente ad perfectiorem formam, quod dico propter eam, quæ eſt à naturali calore; & ſecundò loquendo quoad partes, quæ ſunt in generari ex cibis, ità quòd nondùm attigerunt ad perfectè habendam formam ſanguinis, & ſic dicitur ſanguis nutrimentalis; & tertiò loquendo de eo, quoad partes, quæ ſunt in motu à forma ſanguinis ad formam principaliorum membrorum, & ſic dicitur ros &c.* Ex quibus ſic mihi videor poſſe argumentari; ſecundus ſanguis á primo, & tertius à ſecundo diſtinguuntur tantùm iuxtà rationem perfectiùs, & minus perfectè eandem penitus formam participandi, atquí primus eſt ſanguis vitalis, ſecundus, & tertius nutrimentalis, ergo clarè ſequitur eandem eſſe vtriuſq; ſanguinis formam eſſentialitèr, quamuis in modo participandi vitalis perfectius, quàm nutrimentalis formam ſanguinis habeat, primus namq; ſanguis ſtabili quodammodò, ſecundus autem, & tertius in fluxu, & via formam poſsidet. Tandèm clarum eſt Sylueſtrum nullam veram formarum in ſanguine agnoſcere diſtinctionem, ex ijs, quæ profert in medium,

dùm problematicam de sanguinis vita disputationem habet, varia Sancti Thomæ dicta explicans loco citato quæstiunculæ quartæ. Et hæc hactenùs de proprio opinionis Syluestri sensu.

CAP. V.

Non esse approbandam Syluestri opinionem.

Auctoris de opinione Syluestri iudicium.

NAm de veritate sententiæ sic meo quidem iudicio videtur statuendũ. Quamuis sanguinis partes aliæ in accidentali perfectione alijs eiusdem sanguinis partibus præcellant; non tamen datur in sanguine simpliciter dicto stabilita forma, quæ intentis etiam ab anima alterationibus non sit obnoxia; assertionis prior pars, quæ & Syluestro arridet, & nulli aduersatur, clara est, & magis mox in subijcienda à nobis sententia declarabitur; posterior autem Syluestro contraria suadetur ad hominem.

Principiò hic auctor nullam suffragantem rationem, aut sue opitulantem opinioni auctoritatem reddit, sicuti profectò reddere nullo modo potest, ac proindè gratis, & sine vllo fundamento suam hanc persuadere studet sententiam. Præterea eo duntaxat fine stabilitã in sanguine formam adinuenit, quò in terris nutrimentalem, non verò vitalem sanguinem remansisse catholicæ fidei principijs non repugnare ostenderet, vt patet ex quæstione trigesima prima; quòd tamen frustra commentatus est, quandoquidem, vt infrà suo loco ostendam, concedi sine temeritate potest, vitalem sanguinem nobis diuinitus in terris reseruatum religiosè coli, quòd ma-

maximè concedere Syluester abhorret; quæ omnia pariter non nihil militant contra Petrum de Cabrera, qui citato loco, etsi vitalem, & nutrimentalem sanguinem velit esse eiusdem speciei, tamen falsò arbitratur, primum, quem arterialem appellat, esse de integritate naturæ, & sine eo viuere non posse hominem, secundum autem superfluum esse, ad naturę perfectionem non pertinere, & sine illius adminiculo vitali aura frui posse hominem. Nam esto, verum sit, aliquem esse sanguinem, qui nō requiratur, vt vitam viuat animal, hacq; ratione superfluus dici possit, falsū nihilominus est, nutrimentalē sanguinem ex toto suo genere superuacaneū esse, neq; naturæ integritatē iuuare; siquidem, vt posteà dicemus, vniuersus animalium sanguis solummodò nutrimentalis verè est, quamuis ratione diuersarum operationum nonnumquam vitalis, interdum verò nutrimentalis sanguis intercedente tātum inter sanguines illos rationis ratiocinatæ differentia appelletur.

CAP. VI.

Vera, & tutior de hac difficultate sententia.

COntrariam igitur Caietano, & ex parte etiam Syluestro sententiam equidem non modo probabiliorē iudico, verùm etiam longè veriorem, & certissimam arbitror, quæ fuit omnium sapientissimorum doctorum consensu probata opinio; Aristotelis de partibus, & de historia animalium pluribus in locis, Sancti Thomæ, vt opinor, tertia parte quæstione trigesimaprima articulo quinto ad primū, & alibi sæpè, Diui Bonauenturæ quar-

Mens auctoris.

to distinctione quadragesima quarta, articulo primo, quæstione prima ad secundum, Durandi quarto distinctione decima quęstione secunda articulo tertio ad quartum, Alensis in summa; Gabrielis in supplemento distinctione quadragesima quarta, quæstione prima dubio sexto; Scoti, Ricardi, Bartholomæi Medinæ, & cum Galeno libro quarto de vsu partium communiter omnis Medicorum cætus, quibus omnibus, si post Caietani ętatem datum foret viuere, insolens videretur, inuentam huiuscemodi nimis subtilitèr in sanguine differentiam assignare, cum totum animalis sanguinem, quidquid sit de maiori, & minori inter partes sanguinis assignabili perfectione, vna, & eadem forma constare, certissimum videatur.

Veritatis sententia præsidia. Prima ratio.

Porrò autem nostrę huic opinioni non inualidæ fauent rationes, vidimus enim in primis quæstione tertia huius libri verum, essentialemque sanguinem esse humorem nutrimentalem; at si nutriens humor sanguis est, quo iure nutrimentalem à vitali sanguine distinguit sanguinem Caietanus? certe si quid vspiam sanguinis in tota rerum vniuersitate reperitur, illud profectò viuentis alimentum sit, necesse est; quòd si nutrimentum; dubiò procul in illius, qui alitur substantiam, corporeamque materiam poterit commutari; at si totus huic obnoxius est commutationi, cur alterum sanguinem vitalem putat Caietanus? cum inter eiusdem rationis, & eiusdem formæ res substantialis conuersio, qualis est nutritio, saluari nequeat? Siq; præterea ex sanguine consurgit nutritio, quorsùm Sylvester fixam, & stabilem adeò in sanguine formam posuit,

poſuit, vt huiuſmodi ſanguis nequeat eſſe alterationi obnoxius?, enim veró ſi ſanguis vltimum eſt viuentis alimentum, cùm iſtud vi continuæ, ac perpetuæ alterationis naturæ aliti ſubſtantiali nodo vniatur; an non incaſſum perfecti ſanguinis formam ſtabilitam admiſit Sylueſter?. Ampliùs ex opinione Caietani ſequitur *Secunda ratio.* ſanguinem cum carne magis conuenire, & ſanguini carnem ſimiliorem eſſe, quam ſimilis ſit ſanguini vitali nutrimentalis ſanguis; in omnibus namq; præcipua ſimilitudinis, & conuenientiæ ratio forma eſt, quæ cum vna, & eadem ſit carnis, & ſanguinis vitalis, ſecus verò accidat nutrimentali, atque vitali ſanguini, qui duabus pollent diſtinctis, atq; diuerſis formis, maior vtiq; erit etiam inter carnem, & ſanguinem vitalem ſimilitudo, quam ea, quæ eſt inter ſanguinem nutrimentalem, & vitalem affinitas; quod vtrumq; etſi fortaſſis concedere vellet Caietanus, neutrum tamen iure merito admitti debet, cum iſtud abſurdi labem non poſſit effugere, vt communis eſſe videtur omnium ſenſus, qui ſanguini humano nullo diſcrimine, communia munera, ſimiles operationes, & maximam ſuarum partium inter ſe ſimilitudinem attribuunt. Amplius ſubſtantialis differentiæ ratio in ſanguine aſsignata in aliquod quatuor cauſarum *Tertia ratio.* genus referri debet; vel ergo in efficientem cauſam, vel in materialem, vel in formalem, vel in finalem reducatur opus eſt, quandoquidem nullum aliud cauſarum genus relinquitur, atquí non poteſt referri in primum; ſiquidē tēperatus vitalis calor, qui eſt ſanguinis cauſa efficiens, eiuſdē planè eſt rationis; neq. in ſecundū, quoniā eiuſdem naturæ cibi videntur eſſe eiuſdem perfecti tempera-

peramenti; neq; in tertium, illud est enim sufficiens ciborum concoctio, quæ vna existit, neq; tandem in quartum, quod est verum, & proprium animalis nutrimentum; consequens fit igitur falsam esse huiuscemodi essentialem sanguinis differentiam.

Quorundã responsio.

Sed video contrariæ opinionis auctores ad argumentum respondere posse, rationem substantialis differentiæ ex formali sanguinis causa assignando: hæc enim vel vna est, qua permotus Caietanus sanguinem nutrimentalem, vt potè crudum, minimeq; sufficienter decoctũ, à vitali sanguine, qui perfectioris est naturę, velit esse seiunctum. Sed responsum istud nullam nobis innectit difficultatem, sed facilem potius admittit solutionem.

Difficultatis explicatio.

Pro qua aduertendum non quamlibet in accidẽtibus disparitatem, & variam qualitatum vnionem sufficientẽ causam esse, qua naturæ, sèu materiæ illis affectæ accidentibus, in formis suis veram, & essentialem distinctionẽ sortiantur, vt meteorologicas scientias pertractantes philosophi asserunt de aqua, & vaporibus, de niue, glacie, & gelu in ordine ad aquam consideratis; nam apud illos in confesso est, vapores, niuem, glaciem, gelu, & sic deinceps essentialiter aquam esse, quamuis, vt sensibus ipsis patet, alia sit, & diuersa quodammodo vaporis, glaciei &c. fors, & conditio à statu naturalis aquę; vapor enim vi solis in sublime attractus in aeris regione leuium rerum naturam imitatus continetur, hucq; & illuc ventorum flatibus facile defertur, nix verò, glacies, & gelu densatis inter se aquę partibus solidioris cuiusdã sunt naturæ, quæ frigore concreta, & difficilius à contrario patitur, & in suo robore persistens aquarum oblita condi-

Quouis mutatio in accidentibus formã rerum immutare nõ potest.

conditione sistit, nec defluit; quod pari modo de sanguine philosophantes in subiecta materia asserimus; non enim cuiuslibet sanguinis particulę cruditas in sanguine potest substantialem operari distinctionem, sicuti in re non absimili de vaporibus, & aqua pari modo probauimus. Tandem frustra adinuentam esse sanguinis huiusmodi substantialem differentiam, illud certo mihi est indicio, quòd non modo rationibus probari, sed ne quidem ex signo, notauè aliqua exteriori discerni possit tale discrimen; nã si extrinseca sanguinis accidentia intueamur, lla vnius, & eiusdem rationis esse sanguinem clamant, quippe totus in arterijs, & venis continetur, colore simili afficitur totus, in vasculis suis totus sibi inuicem adhæret, & vltimò ad quem finem cuiusuis sanguinis minutissima pars valet, ad eundem totus deseruire potest. *Vltima ratio.*

At dices; hæc vltima argumẽtatio ad opinionis nostræ oppugnationem potius, quàm ad defensionem arma subministrat; nam diuersi coloris esse sanguinem non tantum persuadent ea, quæ Sylvester quæstione citata habet, in qua rorem, cambium, & gluten, quæ procul dubio á colore sanguinis absolutè dicti variant, verum esse sanguinem docet, sed etiam ea, quæ Aristoteles de historia, & partibus animalium, & cum Galeno de vsu partium omnes medici tradunt, qui omnes distinctis coloribus ornatum sanguinem, puta flauo rubro, nigro, & sic deinceps inueniri testantur; ergò si ex vnitate coloris, vt arguimus nos, formæ substantialis vnitas colligẽda est, ita pariter ex aduerso ex multiplici sanguinis colore formarum multitudinem colligemus, sicq; non

duplex

duplex forma solùm, sed multiplex etiam in Christi sanguine forma substantialis erit collocanda. Verùm facilis est responsio, nam præterquam quòd præsenti difficultati applicari possunt, & debent, quæ paulo ante de accidentali sanguinis varietate in medium protulimus, dicendum est, rationem vltimam nō de colore sanguinis per accidens, sed solummodó per se, vt loquuntur, considerato, intelligendam esse, qui vnus est, quiq; si suæ relinquatur naturę, rubeus est; quòd si forte fortuna sanguis alium, vel oppositum inueniatur habere colorem, id per accidens eueniet, vt fieri cō sueuit in ijs, qui aduersa vtuntur valitudine, quorum sanguis prauæ qualitatis, & malæ humanæ dispositionis nocumento plerumq; ob variam humorum mixtionem flaueſcit, & à proprio colore degenerans in alios conuertitur valdé dissimiles colores, quo in sensu Aristotelis, & medicorum verba sumenda sunt, dum varijs affici coloribus sanguinē dixere.

Sanguinis color.

Cur varios colores sāguis nonnunquam habeat.

DISPVTATIO TERTIA.

An sanguis Christi inter humanæ eiusdem naturæ partes sit constituendus.

CAP. I.

De prauijs quibusdam rebus ad sensum quæstionis explicandū.

QVod nos in præsentia sub assignato quæstionis titulo inuestigamus, alij alijs verbis expresserunt. An nimirum sanguis ad humanę Christi naturæ veritatem pertineat; vel an sanguis sit de veritate humanę naturæ, & quamuis nō me fugiat, multum

multum discriminis quosdam posuisse inter pertinere ad veritatem naturæ, & esse de veritate humanæ naturæ; propterea quòd primum illud significet non modo integrales partes, verùm etiam ea omnia, quæ naturæ accidere possunt, velut effectus consequentes, cuiusmodi sunt inclinationes, affectiones, operationes &c., vel vt causę naturam antecedentes, & id omne, quod naturalẽ aliquem, & necessarium ordinem ad naturam habet. Secundùm verò dicat ea duntaxat, quæ naturæ essentialia, & intrinseca sunt, vti in rebus corporeis, materia, & forma. Nos tamen posthabito quouis discrimine pro eodem vsurpamus hęc tria; sanguis est pars humanę Christi naturæ; sanguis pertinet ad veritatem humanæ naturæ; & tandem sanguis est de veritate humanæ naturæ; placet enim maioris claritatis causa in eodem sensu illa sumere, quemadmodum fecit Diuus Bonauentura quarto sententiarũ, distinctione quadragesima quarta, relicta semper suę probabilitati sententia eorum, qui discrimen inter illa admittere consueuerunt.

Verùm quia nomen partis latissimè sumptum plura sinu suo continet, de quibus non temerè in dubium verti potest, num sanguis sit pars illorum, ideo ęquum est videamus primò, quibus modis nomen partis soleat vsurpari; tùm proximè humanæ Christi naturę varias partes perpendamus, & ad extremùm inuestigemus, quę, & qualis pars eorum sit sanguis, an certè á partibus naturę humanæ Christi excludatur.

Est igitur ante alia aduertendum nomine partis tria intelligi posse. Principiò id omne, quod hominem, quoquomodo integrat, & complet, in qua significatione

Nomine partis tria intelligi possunt.

partis includuntur ea omnia, quæ siue ad veram corporis compositionem, siuè ad ornatum tantùm, siuè quauis alia ratione ad hominem pertinent, in quo sensu intelligenda est Galeni definitio partis libro de elementis. Secundò appellatione partis intelliguntur ea omnia, quæ ad verum hominis complementum strictim sumptũ deseruiunt, quales sunt etherogeneæ viuentis hominis partes, ad operationes vitales exercendas maximè necessariæ, & in hac exacta partis significatione, à parte hominis excluditur id omne, quod vitæ expers est. Tertiò tandem partis vocabulo intelligi potest id, quod ad humanum quidem complementum facit, non tamen ita latè, vt in prima significatione, neq; ita strictè, vt in secunda, sed media quadam via, vt nimirum perfectam totius corporis constitutionem ingreditur, & ad ornatũ pariter deseruire potest, quamuis omni vitali spiritu priuetur, qua in significatione sanguinem veram esse corporis Christi partem arbitramur.

Partes humanæ naturæ variæ.

Aduertendum vlterius est, multiplices esse humanæ Christi naturæ partes, nam aliæ essentiales sunt, aliæ integrales [sic enim in scholis loquuntur philosophi]. Integrales rursus aliæ etherogeneæ sunt, aliæ omogeneæ, seu similares, hæ ab Aristotele primo de historia animalium capite primo simplices, & incompositæ appellantur [non quidem eo sensu, quasi materia, & forma non constent] sed quia in comparatione ad etherogeneas, simplices esse videntur; definiuntur autem sic; omogeneæ partes illæ sunt, quæ in particulas sibi similes diuiduntur, vti sanguis in sanguinem, os in os &c. Illæ autem, quæ & compositæ dicuntur, sunt, quæ in partes dissimilis

Omogeneæ partes cur simplices ab Aristotele dicantur.

Omogeneæ partis definitio.

diſsimilis naturæ, ſpecieq; differentes diſtingui poſſunt, quemadmodum brachium in os, carnem, ſanguinem, & ſic deinceps partitur. Prætereà aliæ ſunt humanæ naturę partes, quæ vt decor, & vt debitum perfectionis naturalis ornamentum ſpectant ad naturam; & rurſus aliæ, quæ actu partes dicuntur, aliæ, quę poteſtate tantùm; aliæ tandem, quæ metaphoricè, ſeu per ſimilitudinem, eò quòd in aliquo cum veris humanę naturæ partibus conueniant, partis nomine appellantur; ex quibus partium acceptionibus varias elicere poſſumus aſſertiones. *Heterogeneæ partes quid ſint.*

CAP. II.

An ſanguis fuerit pars eſſentialis naturæ humanæ Chriſti.

QVarum hęc priori loco videtur cõſtituenda. Dignitas, & prerogatiua eſſentialis partis ſanguini humanę Aſſertoris naturæ nequaquàm eſt attribuenda. Cuius aſſertionis duplex nec obſcura, nec infirma ratio adduci poteſt; tùm quia eſſentiales corporis Chriſti partes materia ſolùm, eiq, reſpondens forma fuere, nemo autem eſt qui neſciat, ſanguinem neq; materiam, neq; formam corporis Chriſti fuiſſe, niſi fortaſſis inſanire vellet cum ijs, qui ſanguinem animam eſſe dixerunt, tùm etiam quia illę duntaxat eſſentiales partes appellantur, ſine quibus humana Chriſti natura, nec mẽte concipi, nec intelligentia valet comprehendi; certiſſimum autem eſt in claram noſtri intellectus cognitionẽ cadere poſſe humanam naturam, ſecluſa, ſeu nõ apprehenſa cuiuſcumq; ſanguinis cognitione, non igitur ſan- *Partes eſſentiales quæ.*

guis humanę Christi naturę pars essẽtialis cẽsendus erit.

Obseruandum tamen in præsentia est obiter, partis essentialis vocabulo hîc solum intelligi ea, quę tamquàm duæ totales, perfectæq; partes ex æquo humanam naturam inter se diuidunt; qua ratione tollitur difficultas, quæ oriri posset, si quis sanguinem partem esse essentialem contenderet, eo quòd alterius partis essentialis naturæ Christi, hoc est materiæ, partem esse sanguinem arbitraretur. Neq; vlterius silentio prętercundum est, nos de natura humana Christi in abstracto, vt dicunt, considerata nequaquàm inuestigare, quænam illius partes sint essentiales, quatenus natura illa sub abstractio, ne perpenditur, hoc enim non est nostri consilij, cum optimé teneamus naturam sub huiuscemodi abstractione conceptã, ab omni materiæ fece liberam esse, sed solùm essentiales humanæ Christi naturæ partes scrutari volumus, prout in concreto natura vsurpatur, idemq; ac hominem, seu humanam Christi personam significat.

CAP. III.

Sanguis non fuit pars naturæ Saluatoris ornans, potestatiua aut similitudinaria tantùm.

SEcundam subijcio assertionẽ, quæ sic habet. Sanguis nõ est humanæ Christi naturæ pars ornans, potentialis, aut similitudinaria duntaxat; cuius quidem tria conclusionis membra ordinatè declarabo, vt igitur à primo exordiar, duplex reperitur ornamentum, alterum quod vtilitatis humanæ consultrix parens omnium natura architectata est, nam sicuti plumas auibus, obductas piscibus squamas, bobus, ceruis, alijsq; cõpluribus animantibus cornua, cęteriśq; alia nõ ad vtilitatem modo,

Ornamentum duplex.

ùò, ſed etiam ad ornatum largè, copioſeq; comparauit, ita homini cæteris omnibus dignitate prę cellenti; capillos, & vngues non magis neceſſitati, quã decori conſulens, eadem parens natura largita eſt. Alterum ornamẽti genus eſt, quod pręſtans hominis ingeniũ, ſolertiaque artificioſè adinuenerũt, vti ſunt pretiosæ argento, & auro intertextę, & rigentes veſtes. In re autem noſtra, ſanguinem artificioſum humanæ Chriſti naturæ ornamentũ eſſe nullus fingere poteſt, ſi huius ornamenti naturã mentis oculis intueatur, eius enim natura eſt, vt extrinſecè tantùm rei, quam ornat, accidẽtaliter hęrere poſſit, à cuius natura, & officio planè diſtinctum eſt munus, & ſanguinis officiũ, qui toti humanę naturæ intrinſecè vnitur, eiq; ſalubri quodam tactu neceſſarias ad operationes vitales influentias impartitur.

Neq; ex oppoſito quiſpiã opinari poteſt, ſanguinẽ eſſe ſolũmodò naturalem ornatũ, quod enim decoris, dũtaxat, & ornamenti vices ſupplet, officioq; fungitur, & ex ſe deficere, & ab alijs, ſi opus fuerit, remoueri poteſt abſq; vltimo vitę hominis detrimento, aura ſiquidem vitali adhuc frui poſſe arbitror eum, cui capilli penitus eradicarentur, aut vngues omnino pręciderentur, & nihilominus amoto ſanguine ſpiritus animalis fugit, vitaq; cum morte ſtatim commutatur, quemadmodum auctor eſt peripateticorum parens Ariſtoteles, qui ponderans quanta ſit ſanguinis ad vitam animalis propagandã exigentia de hiſtoria animalium libro tertio cap. 10. in hãc ſententiã ſic loquitur. *Si multum ſanguis effluat anima deficit ſi nimium vita interit*; non erit igitur ſanguis tantum humanæ naturę ornamentum, ſed in corporeo hominis

Sanguinis neceſſitas ex Ariſtotele.

domicilio

domicilio præter ornandi munus, aliud nobilius, excellentiusq; officium, de quò posteà dicam, is habeat, necesse est.

Secundum patet, nam duobus maximè modis inter alios potestatiua pars aliquid dicitur, remotè scilicet, & proximè, seu, vt alijs placet potentia remota, aut proxima. Illud est cum res ea, quam partem potentialem vocamus, dissimilis est admodùm conditionis ab ea natura, in quam conuerti debet, & pluribus mutationibus, atq; alterationibus tandem ad naturam veræ partis attingit. Exemplo omnibus noto, & familiari totum hoc negotium declarari potest, ad hunc modum; cibus, qui quotidiè ad vitæ sustẽtationem, & ad partium perpetuò vi naturalis caloris resolutarum restaurationem sumitur, humanæ naturę est pars potestatiua, remotè tantùm, seu in potentia remota, nam, & longè in substantia discrepat ab humana natura, & post varias non nisi alterationes ad veritatem naturæ pertinere potest, dentibus enim callido naturæ artificio in ore cõstructis principio mandi, atq; ab ijsdem extenuari debet cibus, tùm in proximum ori stomachum illabi consueuit, qui cibi, & potionis receptaculum est, in quo caloris virtute decoctus confluit ad hepar, à cuius vi iterùm agitatus imperfectam sanguinis naturam sortitur, & tandem postremò ab eo seiunctus ad cor humanum prolabitur, vbi perfectissimè confectus, & extenuatus congruum alimentum fit, quo cæteræ corporis partes restaurantur. Hoc verò est, cùm ea pars, quæ eiusdem fermè conditionis est cum humana natura, sola, & vnica agentis alteratione ei in substantiæ vnitatem copulatur.

Quæst. sanguinis generatio.

Quibus

Quibus ita animaduersis, sanguinem non esse potestatiuam partem primo in sensu acceptam assero, cuius quidem assertionis illud ponam argumentum, quòd sanguis, vt pluribus in locis testatum reliquit Aristoteles, est vltimum viuentis alimentum, quod quia facillimè in humanam naturam vnica operatione abire potest, (quemadmodum nomen ipsum sonat manifestè) nequaquàm illi conuenire possunt ea, quæ remotæ diximus adscribi potentiæ; ex quo præterea, nisi meus me fallit animus, colligo apertã distinctionis secundi membri solutionem, in qua videndum supererat, an saltem sanguis pars potestatiua potentia proxima possit appellari; patet enim talem esse, quamuis, vt mox fusiùs demonstrabo, hoc minimè tollat, quo minus sanguis etiã vera pars sit naturæ Christi, nam eundem Assertoris sanguinem simul, & semel ratione diuersorum potestatiuam, & actualem partem existere posse arbitror.

Sanguis vltimum viuentis alimentum.

De tertio autem, an nimirum sanguis similitudinaria pars sit, hoc loco ferendum esset iudicium, sed quia, idem est negotium, ac illud, quo non esse sanguinem artificiosum ornamentum, statutum fuit, ideo tacitus in re clara, & rationum multitudinem non postulante pertransibo, & gradum faciam ad eam thesim, in qua quid simillimum vero, imò quid certissimum putem dignoscetur.

CAP. IIII.

Auctoris sententia.

EA autem talis est, sanguis non modo fuit potentialis pars, & ornamentum, sed etiam vera, & propria

pria omogenea, seu pars similaris ad humanę naturę Christi veritatem pertinens; quæ in prioris membri conclusionis explicationem, & confirmationem desiderari possunt, satis, vt arbitror, ex superioribus conclusionibus plana esse possunt, neq; longiori egent approbatione ea, quæ nullum hostem, & aduersarium habent.

In secunda autem conclusionis parte, etsi non omnes conueniant, opinantur siquidem nonnulli nõ esse actualis partis dignitatem sanguini ascribendam; pro ea tamen enixè pugnarunt graues doctrina viri in quarto distinctione quadragesima quarta, qui omnes hac ipsa conclusione ducti in reuiuiscentium corporibus futurum sanguinem attestantur. Sic Sanctus Thomas quarto distinctione quadragesima quarta quęstione prima articulo secundo quæstiuncula tertia, & tertia parte quæstione quinquagesima quarta articulo secundo ad tertiũ, Diuus Bonauentura loco citato quæstione prima numero septimo; Gabriel Biel in supplemento ibidem quæstione prima dubio sexto; Soto quæstione vnica articulo 3. in secunda articuli parte, & quarto distinctione decima quęstione prima articulo secundo, Durandus quarto distinctione decima quęstione prima numero decimo nono. Bartholomæus Medina tertia parte quęstione quinquagesima quarta, & Ricuffola tertia parte quæstione quinta articulo secundo, cuius opus manuscriptum in Bibliotheca Ambrosiana asseruamus.

Verùm, vt prędens sententia melius intelligatur, & ea, quę in hac re facere possunt difficultatem, facilius explicentur, admoneo in primis merito id omne corporis Christi partem actualem censendum esse, quod ad perfectam,

fectam, & omnibus numeris absolutam, & substantialem corporis constructionē eo fine exigitur, vt eam componat, atq; perficiat, siquidem multa, & varia ad humanam hominis naturam perfectè, substantialiterq; constituendam necessaria sunt; neq; enim homo vna est simplex natura, quemadmodum à Deo producti censentur Angelici spiritus, à quibus longè quælibet vera partium cōpositio remouetur; sed ex pluribus est compacta partibus, ex quibus tamquàm ex diuersis, vt dicunt, partialibus naturis vna quædam conflata est natura totalis, & perfecta, quæ humana nuncupatur, ad eum fermè modum (si ex rebus alioquì dissimilibus in multis similitudinem aliquam petere licet,) quo in magnifici alicuius domicilij opificio contingere solet, quod non ex vno, aut altero tantùm genere lapidum consurgit, sed ex pluribus componitur, calce nimirū, lapidibus, lignis, lateribus, & sic deinceps, quæ omnia aptè, congruenterq; ordine suo dispositа, & opificis arte, peritiaq, simul compacta illustrē ędis vnius constructionem absoluunt. Quare vt in allato exemplo variè recensèri possunt ædificij partes, ita pariter corpus humanum carne, ossibus, neruis, cute, sanguine, alijsq; huius generis rebus, tamquā varijs est constructum, atq; concinnatum partibus, quę inuicem substantiali modo cōnexæ (qua in re ab exemplo adducto distinguitur) perfectum, nobile, & omnibus conspicuum humanæ Christi naturæ opificium reddunt.

Aduerto præterea duas dari humanæ Christi naturæ partes, perfectas videlicet, quæ solidæ, firmæ, ac stabiles sunt, & imperfectas, minusq; constantes, quæ etsi vltimā naturæ perfectionem non attingant, veræ tamen sunt, & *Sāguis qua & qualis pars naturæ Christi.*

integrales corporis Christi partes, in quorum postremo genere sanguis est constituendus.

Moneo tandem tenere me optime, nõ omnes eos doctores, quos in huius sententiæ patrocinium adduxi, asseruisse, sanguinem humani suppositi partem esse ob iam tactum à me fundamentum; sed potius multi partem esse hominis sanguinem arbitrantur, propterea quòd sanguis vitam viuat; persuadent namq; sibi, omne illud, quod non viuit, veram corporis Christi partem haud appellandam esse, vt Medina loco citato, & ante illum Caietanus, alijq; docuerunt, à quorum opinione discedens, & omnino diuersis innixus ego principijs arbitror sanguinem, eo quòd simul cum cæteris corporis Christi partibus humanam cõstituat naturam modo superius explicato, veram esse humanæ Christi naturæ partem, quidquid sit de ea quæstione, viuat nec ne sanguis, de cuius veritate infra quęstione sequẽti disputabo.

Sic igitur explicatam opinionẽ nostram tuentur ante alios Aristoteles, qui partiũ similariũ naturã explicans, apertè sanguinem prẹcipuam animalis partem appellat tertio de historia animalium capite secundo, cui titulum fecit de partibus animalium similaribus, vbi statim sub initium capitis sic inquit. *Similarium sanguis potissimùm communis animalibus sanguineis omnibus est* &c., idemq; docens secundo de partibus capite secundo. *Partium* ait *similarium aliæ moles, & humidæ sunt, aliæ duræ, & solidæ. Humidæ vel omnino, vel quandiu in constitutione naturæ manent, sanguis &c.*

Aristoteles

Sed audio oppositum conclusionis meæ sustinentes dicere, largè tantùm, & iuxta iactatam in vulgus opinionem

nionem partis nomen citatis locis vſurpaſſe Ariſtotelē; verùm quàm ſit infirmum hoc eorum confugium facilè is intelliget, qui benè perpendetit totius capitis ſeriem, in qua non minus Ariſtoteles oſſibus, neruis, venis, & ſpinis, quam ſanguini, ſeuo, & medullæ idem omnino nomen partis tribuit; ex quo efficitur, vt qui dicit ſanguinem eſſe lato modo corporis humani partem, is etiā neceſſariò dicere teneatur, contra communem omnium philoſophorum opinionem, os, nerum, & reliqua, eſſe impropriè, & lato modo corporis noſtri partes, niſi affirmare vellet his in locis æquiuocè, & in varia ſignificatione nomen partis vſurpaſſe Ariſtotelem, latè ſcilicet, cum ſanguinem, ſtrictè verò, cum os &c. eadem partis appellatione nominat, quæ reſponſio tanto eſt indigna philoſopho, quippèquæ eum, qui verborum, & ſententiarum propriam ſemper, & vſitatam ſignificationem adhibere conſueuit, præſenti in locō, & ſuæ præſtantiæ, & propriæ verborum appellationis immemorem & inimicum facit.

Præterea idē Ariſtoteles ſeptimo phiſicorum textu vndecimo, & duodecimo manifeſtè quaſdam animalium partes actuales animę expertes reperiri teſtatur, qualem eſſe corporis humani ſanguinem demonſtrabo, ni igitur philoſophus ſuis repugnātia principijs multa admittat, ſanguinē inter veras humanæ naturę partes recēſere tenetur. Eandē vlterius opinionē defendūt Diuus Bonauentura loco citato, vbi reddens, & aſſignans rationē, cur in reuiuiſcentium corporibus ſanguis neceſſariò futurus ſit, non aliam adducit rationem, quàm quia ſanguis eſt pars integralis, & ad conſumatam ſubſtantia-

Ariſtoteles.

S. Bonauentura.

lem corporis humani perfectionem pertinens, sicque ad primum argumentum respondens hisce verbis ratiocinatur. *Dicendum, quod aliquid est de veritate humanæ naturæ tripliciter, aut quantum ad esse necessarium, sicuti membra principalia, aut quoad esse integrum, & completum, vt ea, quæ faciunt ad corporis perfectionem, nempe substantialem, aut quoad esse decorum, propterea necesse est resurgere quoad totalitatem. Sed quæ secundo, & tertio modo congruum est resurgere, secundum illud, quod faciunt, ad complementum, & decorem, & quia humores* inter quos præcipuus est sanguis, *ad plenitudinem, & integritatem faciunt, resurgent*; ex quibus non obscurè mens nostra habetur, cum sanguinem non modo ad ornamentum, sed etiam ad integram, & ad perfectam humanæ naturæ constitutionem exigi doceat. Similia tradunt Gabriel Biel, Dominicus Soto supra, quibus omnibus addi posse videtur auctoritas præstantissima Sacrosancti Concilij Tridentini Sessione decima tertia capit. tertio, vbi sanguinem inter alias, corporis humani partes, tamquàm veram, propriamq; partē constituit, dum in admirabili Sanctę Synaxis mysterio sub speciebus panis etiam Christi sanguinem docet reperiri. *Vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui iam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur.*

D Bonauē iura.

Concilium Tridentinum.

CAP. V.

De varijs rationibus sententiæ superioris capitis.

VErùm quia hactenus commemorata sunt, quæ in libris suis nostræ non incongrua opinioni prodidere Aristoteles, & alij, nunc prosequamur deinceps eas rationes, quæ eidem sententiæ fidem astruere possunt

possunt, quæq; partim ex naturali philosophia, partim ex reuelata diuinitus doctrina petuntur. Nos in præsenti capite prioris generis rationes attingemus tantùm, mox visuri et in sequenti capite secundi ordinis fundamenta.

Prima igitur ratio est. Omnia corporis humani membra officialia ex partibus similaribus constant, inter similares autem partes maximè reperitur sanguis, sãguis igitur humani corporis vera pars censeri debet; hęc argumentatio ad hunc modum cõfecta, Dominici de Dominicis, qui præsentem quæstionem problematicam arbitratur, eludit eam distinctionem, qua duplicem facit materiam, compositionis nimirum, vti sunt lapides, & ligna in constructione domus, & alterationis, quemadmodum panis dicitur materia sanguinis, quia per alterationem panis corrumpitur, ex quo postmodùm generatur sanguis; eludit inquam Dominicum, qui si semel concedat, vt certè concedit, officialia membra constare ex similaribus, locum in argumento à nobis facto non habet illius distinctio, cum inter similares compositionis partes constituendus sit sanguis, vt supra ex Aristotelis sententia vidimus, atq; adeò certum erit ex datis, & concessis argumentum. Nam si in hoc argumento, quod sibi Dominicus ex Sancto Augustino libro de spiritu, & anima obiecerat. Corpus cõstat ex mẽbris officialibus, officialia cõstant ex similaribus, similaria ex humoribus, sanguis autem est præcipuus inter humores &c.; si inquã cum dicitur officialia constant ex similaribus, particula, ex, dicit compositionis, non autem alterationis materiã, inficiari nõ poterit, officialia ex sanguine tãquã ex vera, actualiq; parte cõstare, cũ in partibus similaribus sanguis *Prima ratio.*

guis constituatur ab Aristotele; quòd si quis Dominici doctrinæ studiosus propugnator, contendat id dixisse Dominicum, quoniam ad repellendam vim argumenti ab eo propositi, ita loqui expediebat; cæterùm de eius mente nequaquam esse cõcedendum absolutè primam argumenti propositionem, sed potius esse distinguendã ita ut, particula, ex, quatenus partes similares siccas, vt os, neruum &c. respicit, materiam compositionis significet, quatenus verò humidas, puta sanguinem, phlegma &c. importat, materiam alterationis dicat, non is mihi planè satisfaceret; percipere enim nequeo, cur cùm tota sanguinis substantia, quæ in venis continetur, non ita alterationi exposita sit, vt vno tempore, & simul alteretur, simulq; in substantiam principalium membrorum transeat, sed plurimæ eiusdem sanguinis partes ab alterationibus liberæ sint, corpus repleant, & ad perfectam consistentiam illud reducant, videre inquam nequeo, cur vera compositionis materia non sit dicendus sãguis.

Si iterum respondeant causam esse, quoniam sanguis est institutus, vt materia sit alterationis, non autem compositionis, fallitur manifestè; nam esto faciamus sanguinem, tamquam materiam alterationi deseruire, hinc nõ statim consequens fit, eundem sanguinem simul compositionis materiam esse non posse, dandum enim, & libere concedendum est aliquid, quod in rerum natura nõ minus ad alterandum, quam simul, & semel ad componendum idoneum sit, quod non modo lubens admittit Dominicus in aceto, & melle, quæ ambo in vxi melle cõpositionis, & alterationis muneribus funguntur, sed etiã non obscurè conuincit ea ratio, quæ ex Angelico doctore

re ſumitur quarto diſtinctione quadrageſima quarta quæſtione prima articulo ſecundo queſtiuncula ſecunda ad tertium ducta ex elementis, quæ cum ſuaptè natura partes ſint vniuerſi naturales, ac proinde compoſitionis materia (neq; enim vndequaq; perfectum eſſet, neque integrum mundi opificium, ſi ei deeſſent elementa,) & adhuc tamen nulla, vt omnes humanæ, & diuinæ philoſophiæ doctores volunt, perfecta alteratio dari poteſt, ad quam elementa proprijs ſubſtantijs, & qualitatibus non concurrant; cum igitur ſanguis non minoris virtutis ſit in humano corpore, quam ſit in tota rerum vniuerſitate elementa, quid erit impedimenti, ne quemadmodum illis duobus muneribus elementa, ſic ijſdem pariter officijs aptus, & congruus ſanguis exiſtat? certe nullum afferri poſſe videtur impedimentum; nam quòd in ſuæ opinionis defenſionem adducit Dominicus: videlicet non ſubſiſtere ſimilitudinem datam inter elementa, & mundum ex vna parte, & inter corpus, & ſanguinem ex alia, propterea quod elementa ſint vniuerſi partes, non autem ſanguis ſit pars humani corporis, ludicrum videtur; ſiquidem id, quod in quæſtionem vertitur, diſcriminis, & rationis loco aſſignat; ſed iam alias rationes videamus. Quarum ſecunda hæc eſſe poteſt; quemadmodum pars ſe habet ad totum, ita natura incompleta ad completam, ſed illa ad totum tendit, totum expetit, & naturali quodam impetu ad totum fertur, vt tandem illi vnita abſolutam totius naturam componat, atq; perficiat, pari igitur ratione ſanguis, qui naturam habet incompletam, ad perfectum, & ſubſtantiale corporis humani complemẽtum erit eo fine ordinatus, vt in humano

Secunda ratio.

no corpore, tamquàm in naturali domicilio conquiescens, totius humanæ naturæ perfectionem operetur. Deindé, vt recenſere ſuperſedeam ſanguinem eſſe naturæ theſaurum, ſpiritus vehiculum, fontem affectionum, & hominis paſsionum præcipuum, & neceſſarium ad naturales animæ operationes exercendas organum; illud vrgeo, ſi ſanguis non eſt humanæ naturę pars, quid cauſæ erit, cur homo non modo completus, & integer, ſed neq; quouis modo eſſe, aut conſeruari poſsit naturæ viribus ſine ſanguinis auxilio? certè cum totum hominis compoſitum ſuis omnibus partibus conſtans, & perfectum durare, atq; diu conſeruari cernamus, an non indubitata omnibus erit argumẽtatio [ſi oppoſitorum, vt inquit philoſophus, oppoſitæ ſunt rationes] ſanguinem hominis partem eſſe, cum abſq; illo neq; eſſe, neq; viuere, neq; conſeruari poſsit homo?

Sanguinis præconium

Quidam præſentem difficultatem expedire ſe poſſe arbitrati ſunt duobus modis; primo negant non poſſe tempore breuiſſimo ſine ſanguine vitã propagari, ſicq; communem ſenſum vna voce dicentium, abſq; ſanguine non contingere homini vitam interpretati ſunt, non quidem quaſi ita re ipſa contingat, ſaltẽ ad breue tempus, ſed potius quia longiſſimo temporis ſpatio, diuq; vitali aura potiri non poſsit homo: Secundo concedunt vnà cum omnimoda ſanguinis effuſione ſimul etiam hominis vitam effundi, ſed hinc non elicitur, inquiunt, ſanguinem eſſe hominis partem, ſed ſequitur tantùm eſſe aliquid ad vitam propagandam neceſſarium; non ſecus ac in quantitate [ſi exemplum huiuſce rei deſideretur] contingere poſſet, quæ adeò neceſſaria eſt, vt

ſine

ſine illa nequeat homo eſſe, & tamen quantitas non eſt humanæ naturæ pars. Verùm hæc eorum dicta nequaquã tollunt difficultatem; etenim, quod ad primum attinet, confugere ad moram temporis imperceptibilem, in qua poſſit eſſe hominis vita poſt ſeparatam ab humano corpore ſanguinis ſubſtantiam, & nullam aliam confugij ſui reddere rationem, commentum videtur, maximè cum oppoſitum ſuadeant cùm eæ ipſæ rationes, quas ſibi ipſi proponit Dominicus, quarum valorem, & robur agnoſcens ægrè admodùm ſolutionem datam approbat; tùm etiam quia neq; in imperceptibili temporis momento fieri poteſt, vt cauſa formalis abſque effectu ſuo formali, & ex aduerſo formalis effectus ſine cauſa formali reperiatur, eſt enim hæc conſtans omnium philoſophorum opinio; atqui vegetare, & nutrire formalis effectus eſt vegetatiuæ animæ, qui abſque ſanguine dari non poteſt, cum ſanguis ſit proprium vegetatiui gradus fulcimentum; fieri igitur non poterit, vt vegetans, ac proinde ſentiens, rationaliſq; anima [quandoquidem ſunt eadem res ſimpliciſſima] corpori adſint, niſi itidẽ ſanguis in corpore reperiatur.

Secundum etiam adumbratam duntaxat veri ſpeciẽ habere puto; ait enim Dominicus, eſſe quippiam ad vitam tuendam perneceſſarium; ſ... quale eſt iſtud neceſſarium? num vera humanæ Chriſti naturæ pars? at repugnat hoc eius opinioni, & ſine reſponſionis allatæ præiudicio concedi non poteſt? ſed dicet, opinor; non eſt pars corporis Chriſti; quid igitur erit? certè quid tutò reſpondere poſſit, haud facilè inueniet; prætereà explicet naturam eius, quod ad vitæ ſuſtentationem

necessarium appellat, vt vera ne, an falsa sit explanatio deprehendamus, nam cum ad totius compositi conseruationem non nisi partes exigantur, si sanguis pars non est, esse poterit in rerum natura corpus omni sanguine denudatum contra prædicta, & secundam huius doctoris solutionem; exemplum porrò ex quantitate petitum; vtrum faueat illi, an aduersetur magis, nescio; nam, vt taceam longè differentem esse sanguinis separationem á corporibus humanis, ab ea separatione, quæ in allato exemplo contingeret; illa enim prior separatio humana virtute, hæc verò ex diuino non nisi contingere posset miraculo, sileamq́, in præsens sermonem esse non de eo, quod tantùm absoluta Dei virtute effici, sed quod viribus naturę fieri posset circa veras humani corporis partes: Addi potest quantitatem, sine qua esse non valet homo, partem esse eiusdem hominis verissimam, nam licet accidens, quale est quantitas, non sit de intrinseca ratione substantiæ simpliciter, & absolutè dictæ, neq; pars illius, est tamen essentialis, & pars humanæ naturæ, seu hominis, sumpto homine in eo sensu, in quo vertimus in quæstionem; an sanguis sit Christi Dei, & hominis pars; per hominem enim, vt supra monuimus, corpus intelligi debet humanum triplici quantitatis proprietate affectũ longitudine scilicet, latitudine, & profunditate; quocirca vti homo seu humanum suppositum beneficio quantitatis duntaxat, & partes inuicem copulatas, & alias partes ab alijs distantes partibus habet, impartibilis siquidem, & indiuisibilis sine quantitate est materia; quis inficiabitur, quantitatem corporis trifariam dimensi nõ esse veram partem, seu, vt verius dicam, causam intrinsecam,

Quantitas qua ratione hominis pars esse possit.

Quantitatis proprietas.

ſecam, ad illius conſtitutionem pertinentem? quandoquidem corpus hac ratione ſumptum neq; dari, neq; ſine quantitate concipi poteſt. Et hæc de phyſicis fundamentis.

CAP. VI.

Theologicis rationibus idem ſuadetur.

QVibus præterea theologicæ rationes plurimum ſuffragantur. Nam in primis Diuinum Verbu, vt catholica veritas habet, non alia ratione ex Virgine matre humanam naturam aſſumpſit, quam quia corpus ſibi efformauit ex puriſſimis Mariæ ſanguinibus, quod ſine dubio mea quidem ſententia ſanguinem eſſe humanæ naturæ partem infert, nam ſi ſanguinem, qui neque fuit natura, neq; naturæ pars integerrimæ Virginis accepit Verbum, quo iure ex immaculata Virgine naturam aſſumpſiſſe humanam dicetur? aut quo pacto virgo mater potuit appellari, cum nullam naturæ ſuæ, & ſubſtantiæ actualis partem quamuis minimam auguſtiſſimo, ſacerrimòq; fœtui ſubminiſtrarit? Amplius cur poſt glorioſam à mortuis reſurrectionem in immortali, & in impaſsibili Aſſertoris noſtri corpore debuit eſſe ſanguis? Quam item ob cauſam in communi corporum reparatione, quam in extremo iudicij die diuina virtus operabitur, conſurget ſanguis? ſi è corporeis partibus ſanguinea ſubſtantia eliminatur? certè cum neq; ad alēda corpora in fæliciſſimo illo beatorum ſtatu ſanguine opus ſit, ſiquidē in corporibus iam gloria, incorruptionis prærogatiua, & impaſſibilitate donatis omnis nutrientis potentiæ virtus, & operatio ceſſabit, Deo eius v-

Prima ratio.

Beatiſſima Virgo cur Deipara dicatur.

Secunda ratio.

sum suspendente; neq; ad eadem corpora honestanda tantùm sanguis exigatur; potior enim quædam ratio, & exigentia sanguinis, quam capillorum in resurrectione esse debet, vt communis est Theologorum opinio; cum igitur illi inquam in corporibus resurgentium duntaxat futuri sint ad decorem, profecto sanguis nõ modò ad ornatum, sed etiam ad nobiliorem, præstantioremq; finem reparabitur, nempe ad integrandam naturam, atq; in perfecto, absoluto q; statu constituendam.

Capilli in beatis corporibus futuri ad decorem.

CAP. VII.

De ijs, quæ aduersus opinionem nostram adduci possunt.

Prima argumẽtatio

SEd age, hucusq; vidimus, quæ pro nostra opinione pugnent, nunc quæ pariter eam oppugnent, videamus. Et primo quidem loco clarissimum est *Aristoteles.* Aristotelis testimonium secundo de partibus capite decimo, vbi non esse sanguinem sensu præditum ideo asserit philosophus, quoniam inter animalis partes recenseri non debet sanguis; *Vis enim,* inquit, *sentiendi, nec vlli exangui data est parti, neq; sanguinis propria est, sed cuidã ex his, quæ sanguine proueniunt, delegata est, quoniam pars nulla exanguis eorum, quæ sanguinem habent sentire potest, nec ipse sanguis sensu præditus est, quippe qui pars nulla sit animalium.* Hæc Aristoteles, ex quibus apertè habetur sanguinem animalis partem non esse. Amplius corpus humanum, quod vnum est, constare debet ex his partibus, quæ affinitatem, & inter se similitudinem habent, vt naturam perfectam constituere possint, sanguis autem est naturâ quędam in omnibus ferè alijs corporis humani partibus absimilis.

Secũda argumẽtatio

absimilis. Præterea natura vna substantialis, & connexa, qualis humana esse videtur, ex partibus continuis, substantialiterq; inuicem copulatis constitui debet; sanguis autem nullo substantiali nodo alijs humani corporis partibus copulatur, sed in venis, ceu in vase continetur, & instar aquæ labentis sæpè fluit, refluitq; in arterijs; non erit igitur substantialis Christi domini corporis pars. Adhæc sanguis est vltimum viuentis alimentum, quo corporis membra nutriuntur, atqui alimentum est diuersæ substantiæ à membris, quæ aluntur, vt non semel dixit Aristoteles, pars igitur dominici corporis esse non potuit. Deinde pars in eiusdem naturæ partem non conuertitur, secus actio, contra communem philosophorum doctrinam, dari posset inter similia, & tamen sanguis in ossa, carnem, neruos, & alia corporis membra conuertitur; nam, vt inquit Beatus Augustinus libro de vera religione, alimẽta carnis (nempe sanguinem intelligens) in membrorum fabricam migrãt. Quid? nec obscurè, nec vno in loco Angelicus doctor no esse sanguinem hominis partem tradidit, tertia enim parte quęstione trigesima prima artic. quinto, & quodlibeto quinto inquit dari sanguinem nutrimentalem, qui naturæ humanæ pars non est. Ad extremum partes suppositi viuentis vita pollere debent, atqui sanguis non est præditus anima, nequibit igitur sanguis eius naturæ pars esse, cuius viuere proprium est.

Tertia argumentatio.

Quarta argumẽtatio.

Quinta argumẽtatio.

S. Augustinus.

Sexta argumentatio.

S Thomas.

Vltima argumẽtatio

CAP.

CAP. VIII.

Solutiones rerum obiectarum.

VErùm ad hæc omnia refellenda facilis labor erit; nam citatus Aristotelis locus meę opinioni nihil officit, siquidem voluit tantummodo philosophus asserere sanguinem non sentire, quia non est pars animalis anima sentiente prædita, quare particulæ illæ, *quippe qui* &c. sunt ratio, seu formalis causa, quã assignat Aristoteles, cur sentiendi virtutem sanguis non obtineat; secus deceptio manifesta in opinione Aristotelis deprehenderetur, quoniam, si sanguis idcirco sensu careret, quia nulla est pars animalis, pariter ex oppositio inferri posset, ossa, quæ animalis partes existunt, sentire, contra non ipsum Aristotelem modo, sed etiam contra cõmunem philosophorum assensum, qui sentiendi virtute ossa carere passim docent.

Ossa nõ sentiunt.

Secunda argumentatio soluitur ex ijs, quę in sententię nostræ explamationem adduximus; prętereà dici potest; eam habere sanguinem conuenientiam sufficiẽtem, quæ ad naturam varijs partibus constantem perfectè componendam exigitur, neq; enim eiusdem rationis partes ad constituendam hominis naturam requiri putamus, quandoquidem hinc consequens esset, vt componi minime posset humanum corpus ex ossibus, pelle, neruis, & sic de reliquis, quæ plurimum inter se innaturis, & qualitatibus distant.

Tertię rationis solutio erit; saluari seriem ad necessariam totius substantialis perfectionẽ in sanguine, quippe qui coniunctus est substantialiter cum iecore, qui quodammodò,

dammodò, vt ita dicam, sanguis coagulatus videtur. Addi potest ad substantiale compositum non exigi eam vnionem, qua omnes illius partes inter se copulentur; caro enim substantialis est pars hominis, & tamen ossibus non continua, sed conglutinata est. Ad extremum affirmo humanæ naturæ vnitatem bipartito considerari posse, mathematicè videlicet, & physicè, primo modo vnio est substantialis, & perfectissima coniunctio, qualẽ arbitror esse in omnium perfectissimis cælestibus globis, qui cum vniformi natura polleant, nobilissima etiam gaudent vnitate; & secundo modo considerata vnio nõ expetit adeò perfectam inter se partium vnitarum copulationem, sed magis admirabilem quãdam continuationem, atq; seriem physicam, qua partes inuicem nectantur, vt simul singulis, & omnibus aptè inter se colligatis absq; vllo impedimento anima vtatur ad vitales, & necessarias operationes præstandas, ad quod munus secunda tantùm, non verò prior illa vnitas exigitur.

Sanguis ex iecore copulatus.

Vnitas duplex.

Calorum perfectissima unitas.

Ad quartam argumentationem negatur consequentia, nam licet diuersam substantiam à substantia aliměti habeant animalia; (neq; enim ni in forma discreparent viuens, & alimentum, nutritio sequeretur, quæ cum sit substantialis transmutatio, in rebus simili forma gaudẽtibus saluari nequit,) nõ tamen efficitur sanguinem verã non esse hominis partem; certum enim est in opinione eorum, qui formas partiales cõcedunt, diuersarum naturarum esse ossa, neruos, & carnem, & tamen certissimũ pariter est, omnia illa substantialem, vnam naturam conflare.

Transmutatio in res dissimiles solùm cadit.

Ex quibus satis manifestè quarti argumenti solutio eruitur,

eruitur, quia enim diuersa est ab alijs partibus sanguinis forma, ob id inter partes illas substantialis transmutatio cadere facillimè potest.

In sexti confutatione nõ est immorandum, siquidem infra de propria Angelici doctoris mente sermo instituetur, vbi, quid admittendum, quidue negandum sit, in germana Sancti Thomæ via, aperiam.

Vltimi tandem difficultas tollitur primam negando argumentationis propositionem, quæ tantummodo veritatem habet in omogeneis naturis, cuiusmodi sunt carnes, ossa &c., quæ constant partibus eiusdem planè rationis, non verò in heterogeneis, ad quarum compositionem dissimilium rationum partes concurrunt, inter quas nonnullæ vna, alia verò formæ aliæ gaudent. Verùm quia non leuis est ponderis, & momenti, quod in hoc postremo argumento inuoluitur, inuestigandum est; An sanguis Christi domini anima præditus foret, vt hinc magis dubium omne euacuetur, quod facilius inpetrari posse arbitror, si in liberiorem campum orationem deducens, paulo altius aliqua de antiquis veterum philosophorum erroribus circa sanguinis animationem tetigero.

DISPVTATIO QVARTA.

An ſanguis Chriſti anima præditus eſſet.

CAP. I.

De ſanguinis animatione nonnulli veterum philoſophorum errores.

VErùm enim verò non eſt ſilentio prætereundum, ſed accurata perſcrutatione dignum videtur, quod in ſuperiori capite tactum, & in hanc quęſtionem reiectum fuit; vtrum ſanguis anima præditus ſit. Etenim in antiquorum quorundam philoſophorum animis ſic altè egerat radices ea opinio, quę vitalem eſſe ſanguinem arbitratur, vt ij non ſolum affirmantem ſententiam amplexati ſint, verùm etiam ſanguinis dignitatem plus æquò extollere volentes in maxima abſurda prolapſi fuerint, ineptè, turpiterq; animam ipſum eſſe ſanguinẽ aſſerentes; ſed quid mirum, portentum iſtud placuiſſe Critiæ, quem, ſicuti plures alios præteritis æui philoſophos, non niſi fabularum, ac mendaciorum figmenta delectabant, & cui nulla erat oborta lux diuinæ veritatis, cuius auxilio ignorationis, errorumq; tenebræ fugantur, vti nunc diuina fauente gratia ab imbutis Chriſtiana fide pectoribus expelluntur, & abſunt? Porrò autem hoc Critiæ portentum non tàm differente, quàm ſomniante philoſopho dignum ex rudi quadam imaginatione mentis videtur profluxiſſe, qua omnia naturę arcana ſic ſenſibus metiebatur, vt ea etiam quæ occulta, penituſq; abdita erant, non, vt par erat, ſedula meditantis animi cogitatione, ſed ſenſibus ipſis venari, & *Critiæ error.*

manu propria quodammodò pertractare se opinabatur, cum igitur cerneret ex multa sanguinis effusione, & debilitari corpus, & languere animam, & ex tota sanguinis emissione vitam, & animam sic è vitali corpore euolare, vt simul cum sanguinis effusione effusa pariter, & extincta anima videretur, hinc certissimum quoddam collegit argumentum, quo sanguinem ipsam animam esse asseruit; cuius falsi erroris fundamenta redarguens egregiè Lactantius Firmianus, vir sane, vt præclara ipsius opera testantur, in disciplinis physicis subtiliter edoctus, & in Catholicis institutionibus apprimè versatus libro de opificio Dei capite decimoseptimo, cui titulum donauit, *de anima, deq; ea sententia philosophorum* hunc in modum ratiocinatur. *Non enim si anima sanguine aut per vulnus effuso, aut febrium calore consumpto videtur extingui, continuo in materia sanguinis anima ratio ponenda est, veluti si veniat in quæstionem, lumen quo vtimur, quid sit, & respondeatur oleum esse, quoniam consumpto illo lumen extinguitur, cum sint vtiq; diuersa, sed alterum sit alterius alimentum. Videtur ergò anima similis esse lumini, quæ non ipsa sit sanguis, sed humore sanguinis alitur, vt lumen oleo.* Hæc Lactantius contra falsam Critiæ opinionem, quam ego sempiterna oblivione dignam esse probare possum vel ipsis iudicibus antiquis philosophis; quorum aliqui non prorsus alienam à veritate sententiam suis scriptis de animę essentia prodiderunt; nam Diogenes, si Aristoteli fidem præstamus, libro primo de anima cognoscentem animam facit. Democritus intellectum, & animam idem esse dicebat. Anaxagoras etiam melius de anima sentiens,

Lactantius Firmianus.

Antiquorū philosophorum de anima hominis sententia.

etsi

ætſi aliquam inter animam, & intellectum diſtinctionem admittat, vtriſq; tamen velut vna natura vtitur ſic ſcribente Ariſtotele loco citato textu trigeſimo primo. *Anaxagoras autem videtur quidem aliud dicere animam, & intellectum, vtitur autem vtriſq; tamquàm vna natura, verumtamen intellectum ponit principium omnium maximè, ſolum enim dicit ipſum, eorum, quæ ſunt, ſimplicem eſſe, immixtum, & purum.* Hæc ille, & tandem, vt Ariſtotelem, & alios, qui de animæ ſubſtantia vera litteris conſignarunt, omittamus, prodeat in medium Alcemæonis opinio, qui catholicam fermè attingens de anima ſententiam, animam immortalem eſſe docuit. Quocirca ſi agnoſcens, vt Diogenes, ſi intellectus, vt Democritus, & Anaxagoras, ſi immortalis, vt Alcemæon, eſt anima, quî fieri poterit ſanguinem animam eſſe, qui intelligentia caret, cognitionis expers, & marceſcibilis eſt naturæ? , profectò tam abſurda eſt Critiæ ſententia, omniumq; fermè philoſophorum placitis incongruens, & contraria, vt incaſſum omnino putem ſuſceptum eſſe laborem ab eo, qui his breuiter dictis non contentus eam philoſophicis rationibus oppugnare contenderet, tùm quia abſurda eſt, & exſibilatione potius, quam ſeria confutatione digna videtur; cùm etiam quia verba facimus cum ijs, apud quos in certiſſimis ſacroſanctæ Eccleſiæ dogmatibus etiam ſine ratione, fidei valet auctoritas, quæ non ſanguinem, ſed ſpiritualem ſubſtantiam, immortalitate præditam, diuinæq; mentis exemplarem naturam, animam hominis eſſe docet. Maneat ergò ſanguinem nullo modo animã eſſe, ſicuti ratum, firmumq; pariter eſſe debet,

sanguinem non esse animæ substantiam, quemadmodum stultè arbitrati sunt aliqui, vt testatur Clemens Alexandrinus primo pedagogiæ capite sexto ferme circa medium, quorum opinionem hæreticam prauitatem redolentem destruunt ea ipsa momenta rationum, quas aduersus Critiã attigimus, & vlterius redarguere potest hæc ratio. Etenim tandiù vitam viuit animal, quandiu animæ substantia corpori adest, vita enim animalis, vt scitè quidam protulit, *est substantia animæ corpori præsens*; atqui multoties in animali mortuo sanguis reperitur, nõ igitur sanguis animæ substantia esse poterit contra antiquos.

Clemens Alexandrinus.

Vita animalis quid

CAP. II.

Varia scholasticorum doctorum de vita sanguinis Christi opiniones.

QVorum veluti inanes fabulas ipse prętermittens venio ad doctores Scholasticos, qui sunt in magna dissensione constituti.

Prima sententia.

Etenim aliqui reperiuntur, & hi quidẽ magni, & nobiles, qui totam sanguinis naturam diuidunt in duas partes, in essentialem, & nutrimentalem; primum docent esse animatum, secundum verò inanimem esse putant; sed ego in prẹsens ad hanc sanguinis distinctionem propulsandam non immorabor, quandoquidem aduersus Caietanum huius assertionis principem satis, superq; disputatum est; cum an in sanguine substantiale discrimen reperiretur, inuestigarem; quare tantùm veritas primi, in quo viuere sanguinem, & probabilitas secundi, in

di, in quo vita carere nutrimentalem ſanguinem admittit, eſſent examinanda; verùm quia communia hæc ſunt Caietano cum cæteris philoſophis, ea hic non attingã, ſed perſcrutanda in alias differam opiniones, quas nulla interpoſita mora proferam in medium.

Alij igitur fuerunt, qui hanc quæſtionem de ſanguinis animatione faciunt problema dialecticum, ea potiſſimum de cauſa ducti, quoniam nihil certi, indubitatęq; veritatis nihil in hoc negotio apparere poſſe videtur vel non negligenter perpendenti rationes, & fundamenta, quibus vtraq; cùm affirmans, tùm negans opinio innititur; arbitrantur enim facili negotio diſſolui, & declarari poſſe omnia, quæ quoquo modo vtriq; opinioni fauere poſſunt, vt videre fas eſt in Sylueſtro in Aurea roſa tractatu tertio quæſtionum Euangelicarum quæſtione trigeſima articulo quarto, & in Dominico de Dominicis tractatu ſuo quæſtione prima. Verùm quia fieri non poteſt, vt contrariarum opinionum plus vna vera ſit, & vlterius, nec obſcuræ nec debiles ſunt doctorum auctoritates, ponderaq; rationum, vti oſtendemus, quæ manifeſtæ falſitatis affirmantem ſententiam coarguunt; propteteà Sylueſtri, & Dominici opinio mihi nequaquã probatur. *Secunda opinio.*

Tertio loco placuit alijs opinari totum ſanguinem nulla diſtinctione facta viuere. Sic Bartholomæus Medina tertia parte quæſtione quinta, articulo ſecundo, alijq; recentiores. Ad hanc opinionem probandam afferri poſſunt nonnulla Sacræ paginæ teſtimonia, nam Deuteronomij capite decimo ſeptimo numero vndecimo legimus Deum ſanguinis comeſtionem Iſraelitico *Tertia opinio.* *Deuteronomium.*

populo

populo prohibuisse; eo quòd hominis vita in sanguine sita sit. *Homo*, inquit Deus, *quilibet de domo Israel, & de aduenis, qui peregrinantur inter eos si comederit sanguinem obfirmabo faciem meam contra animam illius, & disperdam eum de populo suo, quia anima carnis in sanguine est*, & numero decimo quarto eiusdem capitis subdit, *anima omnis carnis in sanguine est. Vnde dixi filijs Israel sanguinem vniuersæ carnis non comedetis, quia anima carnis in sanguine est.* Eodemq; ni fallor, spectasse videtur diuinum illud mandatum, dum Noe, eiusq; filios alloquens idem Deus cuncta terræ animalia, volucres, pisces, & quæcunq; diuina virtus in nascentis mundi primordio molita fuerat, illis ita donauit, vt non modò in ea dominari, verùm etiam illis ipsis in cibum vti possint, & tamen vnicam sanguinis comestionem vetuit subdens Genesis nono. *Excepto quod carnem cum sanguine non comedetis.* Corroboratur præterea vitalem esse sanguinem ex glossa, quæ hæc & alia scripturæ loca ponderans aliquid vitale in sanguine reperiri testatur, & Sãctus Augustinus quęstione quinquagesima septima in Leuiticum per animam, quæ in sanguine esse dicitur, vitã sanguinis exponit. Id quod manifestè sensisse videtur Aristoteles tertio de historia animalium capite decimo nono, vbi motum viuentis proprium non modo sanguini accenset, verùm etiam eidem animam tribuit in hanc sententiam. *Palpitat intra venam sanguis omnium animalium, pulsuq; simul vndiq; mouetur, soluq; omniũ humorũ sparsus per totum corpus animaliũ est, & semper quandiu vita seruatur, sanguis vnus animatur, & feruet*; quo quid clarius ad vitã sanguinis declarandã desiderari potest? Amplius idem Aristoteles tom. sexto operum suorum libro

Genesis. 9.

S. Augustinus.

Aristoteles.

Sãguis feruet.

libro de ſpiritu, augeri, nutririq; ſanguinem docet, quę operationes, cum ſint vitales, à viuente principio, quale eſt anima, proficiſci debent.

CAP. III.

Quibus rationibus eadem ſententia perſuaderi poſsit.

SEd quia in diſputando nõ tàm auctoritatis, quæ plurimũ valet, quàm rationum ẽt momenta quærenda ſunt, ob id rationes, quæ præſentem ſententiã probent, videamus. Prima igitur erit huiuſcemodi; anima, vt pleno ore fatentur Theologi omnes, tota eſt in toto, & tota in qualibet minima corporis parte, ſanguis autẽ, vti in quæſt. præcedenti ſtatutũ eſt, inter veras corporis humani partes conſtituitur, collocanda igitur erit in ſanguine rationalis anima. Deindè ſanguis eſt de veritate humanæ naturæ, atqui huiuſcemodi veritas proficiſci debet ab ea forma, qua humana natura conſtituitur, alterutrum igitur erit neceſſariò fatendum, vel non eſſe ſanguinẽ de veritate humanæ naturę, vel certè ſanguinẽ informari, viuificariq; anima humanam naturã fouente. Ad hæc ſi ſanguis inanimis eſſet, nulla ratio congruens aſſignaretur, cur in reſurgẽtium corporibus ſanguis futurus ſit, maximè cum reſurrectio noſtra reſurrectioni Aſſertoris futura ſit ſimilis iuxta diuinũ magni Pauli decretum, in Chriſto autem nunc illę duntaxat partes ſunt, quę anima perficiũtur rationali, feliciſſimę .n., ac beatiſſimę ad dexteram patris cõſtitutę ſaluatoris naturę tribui non debent ea, quę vitali principio carent, quò fit, vt ſi in nobis reſurgentibus ſanguis concedatur, is ſine dubio vita polleat, neceſſe ſit. Ad extremum ſanguinem vita frui oſtendo hac ratione à maiori ad minus

Prima ratio.

Anima tota eſt in toto &c.

Secunda ratio.

Tertia ratio.

ducta;

ducta ; si quod minus videtur viuere viuit, cuiq; minus vita conuenire, conuenit tamen ; certè à fortiori, quòd videtur magis viuere, viuet, eiq; libentius vita erit concedenda, sed vngues, & capilli viuunt, qui tamen minus ad naturę Christi integritatem, dignitatemq; pertinent; potiori igitur ratione sanguis, qui vera pars est humanę naturæ, pulchritudiniq; ac decori eiusdem plurimum confert, viuere debet.

CAP. IV.

Probabilior opinio eorum, qui sanguinem Christi viuere negarunt.

Sanguinem non viuere quinà doctores arbitrentur.

VEruntamèn contraria superioribus opinionibus longè verior videtur sententia, quæ sanguinem inanimen facit, quam sequuntur Sanctus Thomas pluribus in locis, Ioannes Scotus quarto distinctione octaua. Richardus quarto distinctione quadragesima quarta quæstione secunda. Durandus quarto distinctione decima quæstione prima numero 19. & quarto distinctione quadragesima quarta quæstione secunda ad secundum, Paludanus ibidem quæstione prima articulo secundo numero 18. Herueus Brito quarto distinctione decima quæstione prima articulo primo, versiculo *ad cuius euidentiam est sciendum*. Ioannes Capreolus eodem loco quæstione secunda articulo tertio ad quartum. Ricussola in codice manuscripto in tertiam Diui Thomæ partem quæstione quinta articulo secundo conclusione prima. Dominicus Soto quarto distinctione decima quęstione prima articulo secundo, & distinctione quadragesima

drageſima quarta articulo tertio concluſione ſecunda, Gabriel Biel, Franciſcus Suarez, Vaſquez, & alij, ſed quid iuuat recẽſere ſingulos cum ferè omnium illis paucis exceptis, quorũ ſententias ante retulimus, hęcſit cõmunis opinio? quæ vt clarior fiat, aliqua obſeruanda videntur.

Tria viuẽtiũ genera

Nam principiò in hoc noſtrate mundo tria viuentium genera reperiuntur, quędã enim nutritiua tantùm, nonnulla nutritiua, ſenſitiuaq; ſimul, aliqua etiam alia his duabus nobiliori forma, hoc eſt rationali anima pollent; primum genus animæ conſtituit ſecundum entis gradum, in quo ea, quę nutriuntur, tantummodoq; augentur, recenſeri debent, quales ſunt plantæ, arbores, herbæ, & cætera huius generis viuentia; ſecundũ, quod tertium genus entis conſtituit, amplectitur ea, quæ præter nutritionis, augmentationiſq; munera, etiam ſentiendi officium poſſident, vti ſunt omnia fermè animalia, quæ ratione carent. Tertium verò, quartum, & poſtremũ entis gradũ ſtatuẽs, prędictis animabus addit excellentiorẽ naturã eorũ, quæ rationali anima p̃dita ſunt.

Quæſtionis ſenſus.

Cum igitur vocamus in quæſtionem; an ſanguis viuat, ſenſus quæſtionis eſſe poteſt, vtrùm ſanguis aliquo genere è tribus allatis ſpeciebus animarum gaudeat; de omnibus enim illis quæri poteſt.

Actus per obiecta, & potẽtias per actus diſtinguitur.

Obſeruandum prętereà, actus per ea in quæ tendunt, & potẽtias per actus diſtingui cõſueuiſſe, vt auctor eſt Ariſtoteles ſecũdo de anima; quarè ſicuti optimè ex perfecta cognitione eius rei, quę actui obijcitur, pfecta actus cognitio haberi ſolet, ita ex perfecta cognitione actus ſolet perfecta in nobis gigni potentię cognitio, ac proinde, q̃ ad rẽ pręsẽtẽ attinet, facilè deprehendimus, qũo anima

viuat sãguis, si in actus, & operationes animarũ peculiares mẽtis aciẽ intendamus, nam si verũ est, potentias nõ modò distingui, verùm ẽt cognosci per actus, profectò animaduertere tutissimum erit, an in sanguine aliqua operatio appareat, quæ vel vegetatiuæ, vel sensitiuæ, vel ad extremum rationali animæ conueniat, quo viuat ne sanguis, an potius vita careat, agnoscatur.

Rationalis forma simplex.

Obseruandum postremo animam rationalẽ esse verè vnam simplicem rem immortalem, & infinito à parte post, vt dicunt, tempore duraturam, quamuis formaliter, vt Scoto placet, & ex natura rei, seu ratione raciocinata, vt Thomistæ arbitrantur, sit triplex anima, eo quod vel formaliter, vel virtualiter, vel ex natura rei, vegetatiuam, sensitiuamq; animas in se habeat, eadem quippe rationalis formæ virtute propria homo nutritur, sentiendi munere gaudet, & ratiocinatur, quamuis nõ æqualiter hæc tria in omnibus corporis partibus, quarum forma anima est, munera obeat, certum enim est animam rationalem ossibus nutritionis, & augmenti operationes maximè, nequaquàm vero sentientis partis munera impartiri, sicq; nihil officit simplex animæ substantia, quominus tota reperiatur in aliqua corporis parte, & tamen non omnes eidem parti operationes tribuat. Quibus ita habitis, duabus assertionibus, quid hac de re sentiam, expono.

Anima rationalis non æquè munera sua in omnibus corporis partibus exercet.

CAP.

CAP. V.

Neq; rationali, neq; ſentiente, neq; vegetante anima præditum eſſe ſanguinem Chriſti.

PRima aſſertio eſt. Si formaliter verba faciamus, neq; rationali, neq; ſentiente anima viuificatur ſanguis: eſt communis omnium doctorum, quorum etſi nonnulli, vt vidimus ſanguinem eſſe animatũ velint, nequaquàm tamen arbitrati ſunt, hanc ſanguinis vitam ab anima rationali, aut ſentiente formaliter prouenire, neq; enim in ſanguine, aut oculis viſitur, aut ratione deprehenditur ratiocinandi, aut ſentiendi operatio, ex quibus cognoſci poſſe diximus animæ ratiocinantis, aut ſentientis præſentem in ſanguine ſubſtantiam, vt teſtatum reliquit Ariſtoteles tertio de hiſtoria animaliũ capite decimo nono non procul à principio capitis, vbi de ſanguine loquens. *Tactum* inquit *nullo genere ſentit, ſicut excrementa in aluo contenta ſenſu carere certum eſt.* *Prima aſſertio.* *Ariſtoteles. Sanguis nõ ſentit.*

Secunda aſſertio eſt. Sanguis Chriſti vitam nõ viuit vegetantem, quæ concluſio eſt communis eorum doctorum, qui in vltima ſententia adducti ſunt contra Medinam, Caietanum, Sylueſtrum, & alios. Solent autem in huius ſentẽtiæ confirmationem adduci nonnulla Ariſtotelis teſtimonia ſecundo de partibus animalium capite quinto, & de hiſtoria animalium capite decimo nono; ſed vt liberè dicam, nullum robur ad præſentem concluſionem tuendam habent eæ ipſæ auctoritates ijs in locis aſſignatæ; nam, vt legentibus patere poteſt, de anima ſenſitiua dumtaxat loquitur Ariſtoteles, quandoquidem ſenſu tantum carere ſanguinem teſtatur, quod *Secũda aſſertio.*

ad præsens institutum confirmandum nihil prodesse potest; nouimus enim apprimè, etiam os sentiente anima esse spoliatum, & nihilominus certum est vegetatiuam in se animam habere. Melius igitur ex Aristotele probari posse conclusionem censeo ex tertio de partibus animalium capite quinto, & secundo de generatione animaliũ, quibus in locis sanguinem esse vltimum viuẽtis alimentum dixit philosophus, de ratione autem eiusmodi alimenti est, vt alterius sit naturæ, & quod ex hoc sequitur, vt diuersam, distinctamq; formam habeat, ab eo, quod recipit alimenti præsidium, sicuti idem Aristoteles testatur secundo de anima; cum igitur partes illæ, quæ sanguine nutriuntur, viuentes sint, formaq; earum sit rationalis anima, neq; vitam, neq; eandem rationalẽ formam habere poterit sanguis, qui alimenti officio fungitur; præterea hæc opinio non pessimis rationibus co m muniri potest, & principiò non viuere sanguinem ex præiactis superius fundamentis probo apertissimè; etenim vbi nulla vitalis operatio cõspicitur, ibi nec vitale principium esse potest; causa namq; formalis sine effectu formali, neq; vice versa effectus formalis sine causa formali datur, sed sanguis neq; augetur, neq, nutritur vera, & propria nutritione, aut augmentatione, quæ fiat per intus susceptionem, vt loquuntur philosophi, secundum trinam quantitatis dimensionem, careat igitur sanguis vita, necesse est.

Aristotelis testimonia qua sanguinem nõ viuere ostendunt.

6.45.

Prima ratio.

Quod si quis occurat argumento asserens manifestam contineri in augmento falsitatem; quandoquidẽ in iuuenili ætatis flore existentibus nobis maiorem, ac maiorem in dies sanguinis copiam, & accretionem fieri manifeste

manifeſtè patet, fatebor equidem id viuentibus cõtingere; at hinc tamen non eſt ſubitò inferendum, augeri, nutririuè ſanguinem, nam ſanguis ille nequaquám per intus ſuſceptionem, ſed per alterius ſanguinis additionem duntaxat, & vt ita loquar per nouam quandam ſanguinis ſuperadditi admixtionem augetur, nõ ſecus, ac modica aquæ vis maioris aquæ additione nutriri, augeriue dicitur, quam nihilominus augumentationẽ nullus ſanæ mẽtis philoſophus vitalẽ eſſe operationẽ dabit. *Sanguinem non augeri.*

Quid? inanimem eſſe ſanguinem, an non omnia eiuſdem ſanguinis accidentia, conditioneſq; manifeſtè innuunt? fluidus enim, quaſi in proprio alueo flumen, labitur in venis, nulla donatus eſt figura, ex inflicto carni vulnere ſine moleſtia, & dolore profluit, nulliq; animatæ parti, iecore excepto, adhæret; quorũ tamen omnium oppoſitum ijs rebus, quæ vitam viuunt, accidere videmus. Amplius ſi adeps, medulla, lac, & cætera huiuſmodi inanima ſunt, vt rectè dixit Ariſtoteles libro ſecundo de partibus capite quinto, pluribuſq; alijs in locis, quæ nihilominus ſunt ſanguis eſſentialis, vt iam patuit, quî fiet, ſi à maiori ad minus valet argumentum, vt ſanguis, qui in accidentali perfectione illis eſt inferior; animatus ſit? Præterea cum nihil interſit inter ſanguinem, treſq; humores alios, quandoquidẽ omnes eiuſdẽ corporis ſunt materies, ex quibus ſanitas, ęgritudoue oritur animãtium, & plerumq; miſceantur inter ſe eodẽ in loco ſimul; profectò, qui ſanguini vitam tribuit, eandem vitam, & tribus alijs humoribus tribuat, neceſſe eſt; quod etſi cõcedant nonnulli, immerito tñ illud faciunt, vt ex incõmodo, quod hinc ſequitur palã omnibus eſſe *Secũda ratio.* *Tertia ratio: Ariſtoteles.* *Quarta ratio.*

poteſt;

poteſt ; expuens ſiquidem phlegmaticum humorem , animatam expelleret à ſe partem, quod videtur ridiculũ.

Quinta ratio. Ad hæc, ſpiritus , qui ex ſubtilioribus ſanguinis partibus, ijſdemq; perfectioribus, & puriſſimis oriuntur non ſunt anima præditi , non poterit igitur ſanguis pariter vitam viuere animalem , cum enim non aliter ſe habeat

Spiritus sãguinis vapores. ſpiritus ad ſanguinem , quam ad aquam vapor , vulgò enim ſpiritus ſanguinis temperati vapores appellantur, fit , vt quemadmodum eandem ſubſtantialem formam vapor , & aqua participant , ita ſpiritus, & ſanguis eandem ſubſtantialem formam ſimiliter habere debeant .

Scaliger exercitatione 280. Et Cardanus 2. cõtradictionũ med. tr. 3. concor. 9. Et quamuis non recipiant aliqui primam argumenti propoſitionem , eam tamen communiter amplectuntur alij doctores , non ſolum quia ſpiritus tenues , & fluitantes ſunt, & à partibus corporeis ſeiuncti, quoſq; propterea, vt potè ſitu diſtinctos, neq; ſimul nexu communi

Spiritus nõ viuunt. copulatos informare non valet anima vna , & inpartibilis ; verùmetiam tantummodo à natura progignuntur vt inſtrumenta ſint facultatis nutritiuæ , generatiuæ,

Sexta ratio. aliarumq; potentiarum . Deinde nulla vera ratione nutriuntur ſpiritus , vt non ſemel docuit Ariſtoteles libro de ſpiritu , & tandem à corde per partiam ſubtiliorum extenuationem produci conſueuerunt , cuius ge-

Vltima ratio. nerationis ratio nullius rei viuentis propria eſſe poteſt. Ad extremum reſpuit animus credere eandem penitus animam etiam in brutis vno , eodemq; temporis ſpatio in eadẽ materia deperdi ſimul, atq; acquiri , ſimulq; generationi, atq; corruptioni obnoxiam eſſe , quam tamẽ abſurditatis maculam effugere nequeunt ij, qui animantem ſanguinem faciunt ; nam, vti anteà non ſemel dictũ

eſt

eſt omnium philoſophorum aſſenſu, nutritio ſubſtantialis traſmutatio eſt, quæ tunc ſolùm conſurgit, cum ſanguis in humani corporis membra conuertitur, conuerſio autem iſta ſine prioris formæ corruptione fieri nequit, ſiquidem, vt fertur communi axiomate, generatio vnius alterius exitium, & corruptionem molitur, cũ igitur ex ſanguine generatur caro in eadem ſanguinis materia, eadem ſubſtantialis vegetans anima in noua carnis generatione acquiritur, & depditur ſimul ob ſubſtantialem ſanguinis in carnes traſmutationem, ex quibus fit, vt ſi ſanguis anima vegetante polleat, eadem ſimul, & ſemel anima incipiat, deſinatq; eſſe in eadem ſanguinis materiæ parte, quod abſq; dubio maximum eſſe abſurdum nemo non videt.

CAP. VI.

Diluuntur argumentationes tertij capitis.

NVnc tandem reſtat reſponſum ad ea, quæ contrariam nobis ſentẽtiam probant. Et primò quidem, quod ſupra ex auctoritate ſcripturæ Sacræ petitum eſt teſtimonium ſanguinis animationem minimè aſtruit, nam germanus illorum verborum ſenſus (anima carnis in ſanguine eſt) hic eſſe videtur; Nimirum animam, qua omnis caro, ſeu quodlibet animal viuit prę- ſidio quodam ſanguinis ſpeciali foueri in corpore, ac ſingulari quadam ſanguinis proprietate, & ſalubritate in viuentium corporibus animam conſeruari, cuius ſolutionis veritatem, quò facilius intelligas.

Animam carnis in ſanguine eſſe quo modo intelligẽdũ.

Attende quòd quemadmodũ pleræq; partes in noua corporis

corporis constructione exiguntur, vt rationalis anima artus mortales viuificet, ita pariter totidem, vt eadem anima in corpore sita conseruetur, necessaria sunt, inter quas singulari quadam, principaliorique necessitate sanguis requiritur, cùm ad recentem animæ in corpus introductionem, tum ad eiusdem iam introductæ conseruationem; licet enim verum sit tres alios humores ad hoc ipsum opus concurrere, per sanguinem tamen quam per alium humorem ad corpus informandum animæ facilior patet aditus, caduci siquidem hominis vita duobus maximè fulcitur æque fundamentis, humido nimirum radicali, calidoque naturali, quibus quodammodo pascitur, vt ita dicam, atque nutritur; cuius rei manifestum in dies periculo nostro cernimus experimẽtum in hominis, & aliorum morte, quæ ex defectu horum cõtingere solet. Porrò duo hæc vitæ humanæ fulcimenta non in alio magis, quam in sanguine reperiuntur, in quo ea humiditas, & temperatus calor, qui ad animæ præsentiam in corpore protegendam necessarius est, reperiuntur; quod in alijs humoribus non ita facilè inuenire possumus, vt inductione patet, phlegma enim frigore, & humido alios præcellit humores, cuius prior qualitas animalis inimica potius, quam amica appellari potest, colera item, & melancolia qualitatibus etiam ad vitæ corruptionem trahentibus non carent. Quibus de causis animam carnis in sanguine esse dicitur, quocirca particula, in, non materialem causam, in qua comoretur anima, sed causam efficientem significat, per quam anima humano corpori præest, aliter, vt scite dixit Dominicus ea ratione, qua Deus sanguis haustam sanguinis

Duobus maxime hominis vita conseruatur.

Sanguinis qualitates.

Qualitates humorum.

pro-

prohibuit, eadem etiã ratione carnibus homines veſci, prohibere debuiſſet idem Deus, cum non minus carnem, quàm ſanguinem anima rationalis informet: Ad quod reſpiciens gloſſa in ſanguine reperiri vitale quippiam dixit; hoc eſt, non quòd ſanguis anima, vitaue excellat, ſed potius, quia ſanguis vitam tuetur, & animam in corpore degentem conſeruat, vel vt in ſcholis loquuntur, non quia ſanguis ſit actu, & formaliter animatus, ſed tantùm effectiuè ea ratione duntaxat, qua cibus ſanus appellatur, non quod ſanitatem in ſe formaliter contineat, ſed potius quia ſanitatem conſeruare conſueuit, non ſolum, vt neceſſariò quædam requiſita diſpoſitio, velut aliqui putarunt, verùm etiam tamquam vera, & peculiaris pars humanæ naturæ.

Cardinalis S. Petri ad Vincula in ſuo tractatu.

Huius autem interpretationis probatorem habeo diuum Auguſtinum, qui loco antea memorato ſuper hæc ipſa Leuitici verba ad hunc modum loquitur. An quia & tale aliquid eſt in ſanguine, quia per ipſum maximè in carne viuitur, qui in omnibus venis, & corporis iunctura diffunditur, ipſam vitam corporis vocauit animam, non vitam, quæ migrat ex corpore, ſed quæ morte finitur qua locutione dicimus iſtam vitam temporalem eſſe, nõ æternam, mortalem, non immortalem, cum ſit immortalis animæ natura. Sic Auguſtinus, qui late hanc eandẽ ſuam interpretationem comprobans ſubdit. Quærendæ etiam locutiones per id, quod continet id, quod continetur, vt, quoniam anima ſanguine tenetur in corpore, nam ſi fuerit effuſus, abſcedit, per ipſum aptius ſignificata ſit anima, & eius nomen ſanguis acceperit.

Leuitici 17

Sic Augustinus, qui libro aduersus Adimantum Manichæi discipulum cap. 12. de hac eadem diuini eloquij sententia, qua anima sanguis esse dicitur hunc in modũ loquitur. *Et dicunt si sanguis est anima, sicut Moyses dicit, nulla inuenietur anima posse regnum Dei adipisci. Cui calumniæ primò ita respondendum est, vt ipsi cogantur ostendere, vbi scriptum sit in libris ueteris legis, quod anima humana sanguis sit. Nusquam enim hoc inuenient in illa scriptura, quam lacerare miseri quamdiu conantur, nullo modo permittuntur intelligere. Quòd si de anima humana nihil tale ibi dictum est, quid ad nos pertinet, si anima pecoris aut læd. ab interfectore potest, aut possidere regnum Dei non potest?*, In qua B. Augustini explanatione cernis, lector, eam scripturæ sententiam in solius bruti, non autem hominis animam quadrare. Quãquam ad calcem eiusdem citati capitis figuratè, & per similitudinem tantummodo citatum scripturæ sacræ testimonium rursus interpretetur sic scribens, *Tamen illud, quod lex dixit, fundendum esse sanguinem, quia sanguis est anima, esse positum dicimus, sicut alia multa, & pænè omnia scripturarum illarum sacramenta signis & figuris plena sunt futuræ prædicationis, quæ iam per Dominum Iesum Christum declarata est. Sic est enim sanguis anima, quomodo petra erat Christus, sicut dicit Apostolus: Bibebant enim de spirituali sequente eos petra, petra autem erat Christus.*

1. Cor. 10.

Neque Aristotelis adducta auctoritas ex tertio de historia animalium cap. 19. nobis aduersatur, quoniam illa accipienda est non quidem secundum rei veritatem, sed secundum apparentiam, sanguis enim efferuescens ob eam, qua pollet, motionem, viuere videtur, & animari; ita siquidem apud nos comparatum est, vt ea, quæ con-

concitantur, & æſtuant, viuere dicamus, quemadmodũ communi voce viuum argentum appellatur, aqua viua, ex quo vtrumq; motu quodam cieri cõſpicimus; in qua loquendi conſuetudine inſiſtens Ariſtoteles vitam viuere ſanguinem dixit, ſicut apertè etiam innuit idẽ philoſophus ſectione decima problematum problemate decimo, vbi hanc eandem aſſignatam à nobis cauſam, calorem, qui motionis eſt principium, quaſi viuentem appellat. Quocirca non ſunt audiendi illi, qui aduerſantes ſibi citatos Ariſtotelis textus explicare volentes, cõmuni quodam, inaniq; effugio vim potius doctrinæ effugiunt, quàm explicent, inquientes Ariſtotelem ſecundùm iactatam in vulgus opinionem hæc prodidiſſe; nam futilis eſt, hæc eorum reſponſio, vti textus ſeriem ponderantes facilè dijudicabunt, loquitur enim ex propria peculiariq; opinione philoſophus, vt meridiana luce clarius eſt.

Sanguinem viuere quo in ſenſu intelligendũ.

Vana quorundam doctrina Ariſtotelicæ explicatio.

Tandẽ quod ad vltimo loco productum ex Ariſtotele teſtimonium ſpectat eo in libro non reperitur, neq; legẽti mihi ſe ſe obtulit huiuſcemodi philoſophi decretum; ſi autem in Ariſtotelis ſcriptis forte fortuna huiuſcemodi auctoritatem comperies, nutritionis vocabulum latiſſimè ſumpſit ad eum modum, quo ignis flamma noua lignorum ſtrue ſubminiſtrata paſci, nutririue dicitur.

Ad primam verò rationem in contrarium adductam reſpondeo. Axioma illud non eſt accipiendum de qualibet animalis parte, ſed tantùm de diſſimilaribus, nec non etiam deſimilaribus præcipuis tamen, & nobilioribus; non vero de imperfectis, atq; ignobilioribus, qualis eſt ſanguis, nam ſicuti eadem rationalis animæ ſub-

ſtantia tota rationalis, tota vegetatiua, & ſenſitiua tota eſt, & tamen non omnes corporis partes informat ſecundum ratiocinandi, ſentiendi, & nutriendi gradus, oſſa enim animalium priora duo beneficia ab anima non recipiunt, ita fieri poteſt, vt aliquas corporis partes non viuificet etiam quoad tertium, nutritionis videlicet, gradum, vti re ipſa in ſanguine putamus contingere. Præterea dubia admodùm later in illo axiomate ſententia; etenim animam totam eſſe in toto, & totam in qualibet parte bifariam intelligi poteſt, vel ex parte ſubſtantialis animę informationis, quam circa corpus exercet; itaut ſenſus ſit, vitalem animæ præſentiam non modo toti, verum etiam ſingulis, & quibuſcunq; corporis partibus ſic intimè adeſſe, vt illud vera pars non ſit appellanda quod animæ præſentia non gaudeat; vel certè intelligi poteſt ex parte modi, præcipuæq; rationis, qua rationalis anima corpori, & partibus ſe ipſam vitali modo largitur, itaut illius aſſertionis ſcopus ſit ſolummodo diſcrimen oſtendere, quod reperitur inter rationalem animam, & cęteras animalium vitales formas; longè ſiquidem in exiſtendi modo in proprijs corporibus differunt, etenim brutorum animæ, quæ materiæ fæcem, quantitatiſq; dimenſiones habent, etſi totum corpus viuificent, materiæ tamen, & quantitatis conditionem, & ſortem ſequi neceſſario tenentur; ac proindè ſicuti vnumquodq; ſubſtantiale corpus vna duntaxat totali quantitate ſic afficitur, vt, etſi tota totum extendat corpus, alia nihilominus ſit quãtitatis pars, qua caput protenditur, ab ea quantitatis parte, qua pes, aut manus ſuam ſortitur dimenſionem, (fieri enim nullo modo poteſt,

Animam eſſe totam in toto, & totã in qualibet parte bifariam intelligi poſſ.

Brutorum animæ materia & quãtitatis facem ſarent.

teſt, vt corporis alicuius quantitas tota capiti, tota pedibus, & tota humeris inhęreat ſine partium penetratione, quæ non niſi diuino miraculo contingere poteſt, ſed pars quantitatis corporis parti, & tota toti reſpõdet) ita anima bruti, & ſi toti corpori præſens tota adſit, ratione tamen materiæ, et quantitatis non tota animæ ſubſtantia quamlibet partem, ſed pars vna quantitatis vnam duntaxat corporis partem, alia aliam, & ſic deinceps viuificat; at rationalis anima, quæ ſimplex, ſpiritualis, immortalis, & impartibilis eſt ſubſtantia, non ad eas conditiones, quibus obnoxias eſſe vidimus irrationalium animas, arctari poteſt, ſed excellentiori, ſublimioriq; modo ſuæ materiæ ſic vnitur, vt tota totam, & tota etiam quantum libet minimam corporis partem informet, quæ à natura, vt capax vitæ eſſet, obtinuit. Secundo autem non primo modo tritum illud philoſophorum prouerbium interpretandum eſt, vti omnes rectè ſentientes non ignorant, quo pacto facilè eluditur argumentatio, quæ ad primum, non verò ad ſecundum ſenſum reſpexiſſe videtur. Quarè breuiter ex illa philoſophorum ſententia ſolum modò haberi poteſt rationalem animam non modo totam toti, ſed etiam totam informatiuè, vt dicunt præeſſe cuilibet parti, in qua degere illa potis eſt; nõ curantibus illis, ſed tãquàm à mẽte ſua alienũ, iudicio ſapientũ permittẽtibus ſcrutari, quænã ſint illę partes, in quibus anima rationalis reperitur.

Secunda ratio hoc accipiet à nobis reſponſum. Non eſt abſolutè cõſentaneũ veritati, vt oĩa illa, quę ad humanæ naturæ veritatẽ ſpectãt, anima rationali potiãtur, ſed hoc ſolũ nobiliorib⁹ naturę humanę partib⁹ cõcedi ſolet.

At inquies: data ſolutio reprehenſione digna eſt, quippe

quæ

quæ haud congruit cũ Aristotelis doctrina, qui secundo de generatione animalium capite primo fermè in fine capitis dilucidè omnes corporis partes viuentes esse arbitratur, addens eas partes, quæ vita carent non veras animalium, sed metaphoricas tantùm partes appellãdas esse. *Sed habeat ne*, inquit Aristoteles, *semen animam, nec ne ratio èadem, atq; de partibus reddenda est; nec enim anima ulla esse potest in alio, nisi in eo cuius est, neq; pars vlla esse potest, quod particeps animæ non est, nisi æquiuoce, vt mortui oculus*. Sic Aristoteles, cui non puto satisfactum, si dicatur, eum loqui de partibus dissimilaribus, nõ autem de similaribus, qualis est sanguis, vt exemplum illud mortui oculi innuere videtur; oculus enim dissimilaris pars est; Nam ibi philosophus inuestigat, vtrum viuat semen, quod in partibus similaribus constituitur. & viuere respondet, propterea quòd semen actualis, & vera pars sit animaliũ, ergo quia arbitrabatur Aristoteles similares etiam partes, si nomine partis essent appellandæ, necessario vitales esse oportere.

Aristoteles.

Quare ad solutionem huius difficultatis opportuna erit illa distinctio, qua duplicis generis partes statuuntur, aliquæ enim partes sunt etiam similares, quæ corpus humanum complent non quoquo modo, sed vt corpus viuum; nonnullæ vero sunt aliæ, quæ etsi ad corporis cõpositionem concurrant, tamen quia præcipuus naturæ finis est, vt præter perfectam constructionem, corporis conseruationi, atq; vitalibus humanis functionibus inseruiat, propterea illæ non cõcurrunt ad corpus constituendum, vt totum quoddam vitale est, sed vt totum quoddam substantiale perfectum, & ideo quotiescunq;

Duplicis generis partes.

ponit

ponit hic, vel alibi Ariſtoteles proprias animalis partes viuentes eſſe, de primis duntaxat, non autem de ſecundis doctrina illius militat, vti ex eiuſdem textus ſerie cõfirmari poteſt; nam mortui oculum æquiuocè partem vocat Ariſtoteles, quod eſt maximè veritati conſentaneum, ſi corpus, vt viuum eſt, perpendatur, nam ſi ex aduerſo mortui corpus, vt ſic, conſideretur; nemo certè negabit mortui oculum mortui, & extincti corporis non eſſe propriam partem.

Ad tertiam. Negatur nullam fore rationem, cur ſanguis reſurgentium corpora irriget; inficiandumq; pariter eſt, Chriſti domini ſanguinem in glorioſiſſimo corpore nunc exiſtentem viuere, vt ſuo loco demonſtrabimus. Neceſſitatis verò cauſas, cur in reſurgentibus futurus ſit ſanguis, lepidè proſequitur Richardus de Media Villa, quarto diſtinctione quadrageſima quarta quæſtione ſecunda, quas volo, vt lector eiuſdem Richardi ore cognoſcat, qui præſentem difficultatem conſiderans hunc in modum ediſſerit. *Humores neceſſario exiguntur, quoniam non tantùm ſunt propter neceſsitatem nutriendi, & reſtaurandi deperditum, ſed etiam quia eorum debita proportio iuuat ad debitam membrorum operationem, & ratione ſuæ formæ, & quia in ijs eſt aliqua influentia uirium animæ, quamuis ab ipſa anima non perficiantur; ſunt etiam ad virtutis naturalis oſtenſionem, & ad corporis maiorem decorem, & ad ſecundariam eius perfectionem.* Hactenus Richardus.

Richardus. Cur in beatorũ corporibus futurus ſit ſanguis iuxta Richardi ſententiã.

Quartum argumentum, etſi ſpecialem inuoluat difficultatem, quæ longiori, quam ea, quæ in ſolutione argumenti comprehendi poteſt, & accurata diſcuſſione indigeat, quia tamen res eſt quodammodo aliena à præſenti

Vngues, & capilli anima experites.

senti instituto, propterea breuiter dicam vngues, & capillos nullam in se viuentem formã continere, quamuis huic doctrinæ non subscribant omnes, sunt enim, qui viuentes capillos, & vngues faciunt ob eam, quam in se habere videntur, viuentis animæ operationem, accretionem, & nutritionem videlicet, augentur siquidem in animalibus pili, & vngues, vt quotidiana testatur experientia; verùm quia capilli, & vngues non nisi ex humorum superfluitatibus suam trahunt originem, neq; perfectè secundùm trinam quantitatis dimensionẽ crescunt, & augentur, sed solummodo longiores euadunt vi, & expulsione quadam naturali ob sucedentẽ in capillorum, & vnguiũ loca nouam excrementi partem, ideo opinionem, quæ inanimes esse capillos, & vngues arbitratur, plus veritatis habere existimo.

DISPVTATIO QVINTA.

De mente doctoris Angelici circa hactenus agitatas quæstiones.

CAP. I.

Quid in via Diui Thomæ sentiendum sit de illis quæstionibus, an sanguis sit humanæ Christi naturæ pars, & an sit vegetante saltem anima præditus.

NVnc quoniam refutauimus opiniones eorum, qui de sanguine quod ad rem nostram attinebat, senserunt aliter, quam veritas habet, deinceps pergemus ad perscrutandam mentem, verumq; Angelici doctoris sensum; An videlicet, puta-

putauit ſanguinem eſſe veram corporis Chriſti partem, an potentialem tantùm, & rurſus an eundem ſanguinem arbitratus ſit viuere, necne; eſt enim hæc quæſtio magna ſine dubio huius negotij, eaq; difficilis portio, & ad perfectam ſanguineæ Aſſertoris naturæ cognitionem vtilis, & neceſſaria, cùm ob Sãcti Thomæ auctoritatem, (quę, vti plurimum in ſe valet, ita apud me maximi eſt ponderis, & momenti) tùm quia, non pauci doctores ex ijs, quos aliarum difficultatum patronos eſſe vidimus, præcipua ſuarum opinionum ex Sancto Thoma duxerunt fundamenta, & tandem, vt omni errore ſublato eorũ, qui ſecus, quam res patitur Diui Thomæ doctrinam interpretantur, plana ſit omnibus eius opinio. Aggredior igitur, & ſumo mihi ad illuſtrandum id, quod homines in Thomiſtarum diſciplina verſatiſſimos non ſemel torſit; tanta enim ſententiarum diſſenſio hac in re eſſe videtur, vt ad eam tollendam varij varia excogitarint.

Prima opinio de mẽte S. Thomæ.

Et in primis decretum fuit aliquorum, qui vt facilius ſe ſe expedirent ab ijs difficultatibus, quas incurrunt, varia Sancti Thomæ teſtimonia conciliantes, aſſerere non formidarunt, diuerſum fuiſſe huius doctoris placitum, dùm in Magiſtri ſententias commentaria ederet ab eo, quod vltimo loco, dum ſummam Theologicam moliretur, approbauit: addentes inſuper id duntaxat ratum, firmumq; habendum eſſe, quod in ſumma litteris conſignauit. Verùm hæc opinio magis declinandæ difficultatis opportunitati, quã S. Doctoris dignitati conſulit; neq; hęc eſt legitima nodos diſſoluẽdi ratio, ſed oppoſita & contraria Sancto Thomę adſcribendi deteſtabilis conſuetudo, quaſi in animum eorum, qui diuinę, humanæve

Prioris opinionis confutatio.

philosophiæ studio tenentur, sensim repat, nihil profectò vel in philosophorum parente Aristotele, vel in sanctorum Patrum testimonijs, ita reconditum, prorsusq; abditum, & ab oculis, sensibus, captuq; nostro tàm longè remotum erit, quod hac vna ratione non explicetur, dijudicetur, atq; omnino aperiatur, aut certè nihil tàm cõtrarium in vno quouis doctore dari poterit, quod hac ratione non componatur. Adde, si placet, temerè fictam esse hanc opinionem, quę putat Sanctum Thomam contraria admisisse in ea re, quam firmiter, & constanter suorum principiorũ memor perpetuò docuit immutato tantùm cortice verborum, sicuti in explicatione opinionum, quas statim recensebo, illuminatius videbitur.

CAP. II.

Caietani, & Syluestri de sensu Angelici doctoris iudicium.

HVic confutatæ explanationi proxima est eorum doctorum opinio, qui ad libitum proprias vias sibi imprimentes confusionem magnã, verum Angelicæ doctrinæ sensum quærentibus, reliquerunt; arbitrantur siquidem isti vtramq; contradictionis partẽ de mente Sancti Thomæ posse sustineri, vt re ipsa docere conantur, dum argumentis sanguinem non esse viuentem, neq; veram corporis partem probantibus, & è contra, alijs argumentis, & viuere sanguinem, & partem esse humanæ Christi naturæ ostendentibus satisfacere studeant. At equidem horum doctorum laudarem ingenium potius, quàm approbarem iudicium; persuadere enim mihi ipsi nequeo Diuum Thomam, qui ob excellentem

lentem ingenij diuinitus illustrati vim, & præstantiam sine hæsitatione vlla in vnoquoq; difficultatis nexu veritatis apicem attingere consueuit, hac in re problematicam amplexatum esse disputandi rationem. Posteà, qui eum hac ratione interpretatur, nescio, an dissentiat à superioris opinionis recitatæ auctoribus, à quibus tamen dissentire velle palàm profitetur; parum enim, aut nihil fermè interest inter hunc, & primum iàm allatum Sancti Thomæ doctrinam interpretandi modum, nec sententiarum hæc videtur; sed verborum parua dissensio.

Principes verò huiusce opinionis rationes sunt varia Angelici doctoris testimonia, quę & nihil alienum à præsenti interpretatione innuere, & facilem ad vtrumq; sensum explicationē admittere videntur, quæ omnia paulò post vna cum aliarum sententiarū fundamentis, (eodem enim omnia tendunt,) expendam; vbi cæteras, quæ supersunt in medium aduxero interpretationes, quibus alij Angelicam doctrinam explicant.

Tertia opinio.

Quarum tertio loco recēseri potest Caietani sententia, qui duplicem sanguinem dari ratus patentem sibi campum aperuit, quo varia Sancti Doctoris dicta ad concordiā reduceret; putat igitur in via Sancti Thomæ Caietanus alium esse vitalem, nutrimentalemq; alium esse sanguinem; primùm anima præditum esse, vitam habere vegetatiuam, & veram esse corporis partem, secundum esse inpurum, & imperfectum, totius vitæ expertem, neq; actualem, sed potentialem tantùm corporis humani partem esse.

Opportunam autem huiusce sententiæ adinueniendę

occasionem Caietano, & alijs dederim ea, quæ apud Angelicum doctorē leguntur in quodlibetis quodlibeto quinto quæstione tertia articulo quarto compone; Nam ibi quærens Sanctus Doctor, an totus ille sanguis, qui fuerat in passione effusus ad corpus in resurrectione redierit, supra tactam sanguinis distinctionem cōcedere videtur, vt latius capite primo, & 2. disputatione 2. huius libri demonstratum est. Sed esto, detur in via Sancti Thomæ alter sanguis, qui nutrimentalis sit, & alter qui vitalis, seu substantialis appelletur; at quo iure dicet Caietanus primum non viuere, neq; corporis esse partem, talem maximè vero esse secundū? cum nullibi ex allato Sancti Thomæ testimonio colligi possit hoc Caietani placitum, quod magis voluntarium, quam veritati consonum videtur; per nutrimentalem enim sanguinem eam intellexit Angelicus doctor sanguinis partem tantùm, quæ ad vitam conseruēdam non adeo exigitur, vt sine illa hominis vita non possit consistere; nempè sanguinem intellexit superfluum, qui ex cibis, potionibusq; vel temperatissimis generatur, qui etiam in Christo domino rectè admitti potest, cum ante passionem cibo, & potione corporis vires reficeret, non autem intellexit sanguinē nutrimentalem eo in sensu, quem verum, & germanum esse putat Caietanus. Porrò nostra hæc expositio non modo ex ipsis Sancti Thomæ verbis clarè comprobatur, dum per sanguinem nutrimentalem se intelligere eum dixit, qui ex cibis generatur; sed etiā ex prima ratione ab eodē Sancto adducta citato quodlibeti loco apertè ostenditur. Quocirca nomine sanguinis ad naturæ veritatem pertinentis significare duntaxat voluit, cum, qui ad humanam

Quid sit nutrimētalis, & quid vitalis sāguis in via Angelici doctoris.

naturam

naturam conseruandã pertinet, quiq; minimè supernacaneus est, vt omnibus manifestam fidem prima ratio facit, quæ ideo in Christo extremã patiente tantum sanguinem ad veritatem naturę pertinentem admittit, quoniam in perfectissima Christi domini ætate superflui nihil in sãctissimo Assertoris corpore reperiri poterat; ex quo fit, vt ex hac S. Doctoris auctoritate hoc solũ colligatur, nisi quis ad oppositum S. Thomã trahere immeritò contẽdat. Videdus Caietanus 3. parte quæst. 54. artic. 2. in fine cõmentarij, qui huic sanguinis distinctioni mordicus adhærens facile omnes nodos ex varijs doctrinæ Angelicæ locis emergẽtes dissoluit, de sanguine n. vitali, & perfecto locum S. Thomæ 4. distinct. 44. quæst. 1. artic. 2. quæstiuncula 3. ad tertiũ, & quotquot loca adduci possunt, sanguinẽ, & viuere, & veram humani corporis partẽ esse significantia, interpretatur, quemadmodũ pariter de sanguine nutrimẽtali arbitratur esse intelligendum eundẽ S. Doctorem, cũ tertia parte quæstione 31. articulo quinto ad primũ inquit sanguinẽ nõ esse actu partẽ; quo eodẽ modo explicat omnes alias auctoritates idẽ penitus innuẽtes, quas passim in S. Thomæ scriptis offendet lector: quamuis ẽt addat sanguinẽ dici actu partẽ ratione totius animalis, vt viuit, & vt est sãguis materia actu permanẽs in toto animalis corpore, sicuti potentialẽ subdit etiam sanguinem appellari, quatenus sanguis animæ expers est, & est materia transiens partium posteriorum corporis, carnis, ossis &c. sic enim loquitur Caietanus.

Verum hæc illius doctrina haud cũ Angelici doctoris sententia congruit, nam præcipuum, quo in hanc sententiam conceſsit Caietanus, fundamentũ, rem propriã nõ iuuat, immo ex hic, & alibi dictis labefactatũ corruit

trahens

trahens secum manifestam ruinam earum rationum quæ illi innituntur.

Caietano igitur posteriores aliqui doctores, dum tutius, vt sibi videbantur, iter aggredi putarunt deuios omnino secuti sunt anfractus, & dum planiorem, vulgatioremq; deserere semitam voluerunt, per præcipitium lapsi sunt, affirmantes omnem sanguinem sublato quouis discrimine, veram, animatamq; humani corporis Christi partem esse. Qua ego opinione remotius nihil, nihilq; incommodius in sana doctoris Angelici via dici posse censeo, vt mox aperiam; huius opinionis fuit Bartholomæus Medina tertia parte quæstione quinta.

Bartholomæi Medinæ sententia.

Alij tandem fuerunt, qui nullam sanguinis partem vita prędita esse, ac quod hinc illis videbatur consequi, nullam fuisse corporis humani propriam, veramq; portionem esse opinati sunt. Consulendus Ioannes Capreolus quarto sententiarum distinctione decima quæstione secunda articulo tertio, ad quartum.

Capreoli opinio.

CAP. III.

Auctoris interpretatio, & iudicium.

VErùm quia vniuersè opiniones allatas de germano Sancti Thomæ sensu planè non sequor, (in qualibet enim, quod non approbem reperio,) nunc restat, vt sententiam mihi præter cæteras approbatam, declarē; quod, vt exequar, tria de mente Sancti Doctoris statuenda esse arbitror.

Primum. Sanguis vera pars fuit naturæ humanæ Christi, & ad corporis eius integritatem per necessaria.

Secundum

Secundum. Idem tamen ſanguis potuit dici vera pars potentialis eiuſdem corporis Chriſti. Tertium, & vltimum, neq; ea pars, quam potentialem, neq; ea, quam actualem corporis partem appellamus, anima, vitaue prædita fuit.

Nonnulla tamen animaduertere oportet, vt & cognitu faciliores ſint concluſiones, & ea, quæ ex prima, & ſecunda ſuboriri fortaſſis videtur contrarietas, tolli poſſit; clara enim inter illas apparet oppoſitio; nam ſicuti actus, & potentia eidem rei nequeunt conuenire, ob in ſitam illorum proprietatem, qua alterum alteri opponitur, ita idem planè ſanguis [quandoquidem nullum in ſanguine ſubſtantiale diſcrimen admiſimus] actualis pars humanæ naturæ, & rurſus potentialis pars nequaquàm eſſe poſſe videtur, ob eam contrarietatem, quæ inter actum, & potentiam eſſe apparet.

Quid actus ſimpliciter dictus, quid pura potentia. Quid actus, & potẽtia in rebus creatis

Quare ſcito longè diuerſum eſſe verba facere de actu ſimpliciter, & abſolutè ſumpto, & potentia pura, vt loquuntur, & aliud eſſe loqui de actu, potentiaq; vt inueniuntur in rebus creatis, finitis, & certis quibuſdam perfectionis terminis circumſcriptis; nam ille actus purus eſt, qui omnis prorſus paſſiuæ potentiæ [de hac enim in præſentia loquimur] eſt expers, ſummumq; ſimplicitatis, puritatis, & actualis exiſtentiæ gradum habet, quo neq; maius quidquam nouit natura, neq; melius, aut perfectius, qualis actus eſt ſolus præpotens Deus; cui ex aduerſo opponitur materia prima, quæ, vt Sanctus Thomas arbitratur, nullum prorſus in ſe actum claudit, ſed pura, vt inquit, potentia, omni planè actu denudata, dicitur. De quibus verum eſt eidem rei actum, & potentiam

tiam nequaquam attribui posse, actus enim, & potentię passiuæ rationes oppositæ sunt, siquidem vnius ratio in perfectione, alterius verò in imperfectione, & priuatione consistit, quo pacto intelligenda est trita illa Aristotelis actus, & potentiæ distinctio, quam sæpius in metaphysicis libris, & alibi tradit; At si potentiam, actumq, in posteriori significatione vsurpemus, fieri optimè poterit, vt idem actus, & potentiæ officijs fungatur; si minus ratione vnius, & eiusdem rei, plurium saltem ratione; quod ne in via Angelici doctoris temerè fictum à me arbitreris, nullum non fuerit operę pretium hoc idem Sancti Thomæ decretis confirmare; Nam prima parte quæst. septuagesima septima articulo sexto quęrens, an potentiæ animæ ab eius essentia fluant, subdensq; ibidem illas, & ab anima fieri, & in eadem, tamquàm in sede propria recipi, haud obscurè declarat, animam esse posse simul, & semel actum, agens, & effectiuum principium, quatenus videlicet potentijs esse largitur; eandemq; rursus animam potentiam, patiens, materialeq; principium dici posse, quatenus eadē anima a se productas, denuò in se ipsa recipit potentias. *Manifestum autem ex dictis*; verba sunt Sancti Thomæ in corpore articuli, *quod subiectum animæ est, vel ipsa anima sola, quæ potest esse subiectum accidentis, secundum quod habet aliquid potentialitatis, vt supra dictum est* [quæstione videlicet septuagesima quinta articulo quinto] *vel compositū; compositum autem est in actu per animam. Vnde manifestum est, quod omnes potentiæ animæ, siue subiectum earum sit anima sola, siue compositum, fluunt ab essentia animæ sicut à principio, quia iam dictum est, quod accidens causatur à subiecto, se-*

cundum

cundum quod eſt actu, & recipitur in eo ſecundùm quòd eſt in potentia. Ex quibus liquidò cernitur idem non minus in actu, quam in potentia eſſe poſſe, quod ego in præſentia duntaxat comprobare volui. Idem etiam non minus clare docet ad ſecundum, vbi *dicendum*, inquit *quod ſubiectum eſt cauſa proprij accidentis, & quodammodo actiua, & etiam, & materialis, in quantum eſt ſuſceptiuum accidentis.* Sic ille; cuius locum ponderans Franciſcus Ferrarienſis inter Diui Thomæ diſcipulos non infimus, & obſcurus doctor primo contra gentiles cap. decimo tertio, verſiculo *ſed remanet dubium*, nobiſcum cõgruit, docens eandẽ, animã potentiã, actumq; ſimul poſſe appellari. Alia nõ deeſſent mihi de hoc S. Doctoris teſtimonia, niſi iam allata ſufficerent, & alia opportunioribus locis reſeruarem. *Franciſcus Ferrarienſis.*

Cuius quidem doctrinæ rationem ſi quis ex me ſciſcitaretur, non aliam adducere poſſem, quam eam, quę ex rei creatæ natura colligi poſſe videtur; nam cum vnaquæq; res creata longiſſimè diſtet à natura, ſeu ab hypoſtaſi Diuina, quæ ab omni concretione, & potentia paſſiua ſegregata eſt, & ineffabili modo nulli ſubiecta paſſioni omnes omniũ perfectiones perfectiſsimè poſſidet; ex aduerſo tñ creatura eſt multis obiecta paſsionibus, & mutationibus, quarũ vi, poteſtateq; nunc in actu, nunc in potentia, ſæpè proprijs orbata perfectionibus, nonnumquàm verò ijſdem decorata eſt; immò cum terrena ſit, non niſi pluribus foueri partibus poteſt non modo ad humanæ vitæ tutelam, neceſſarijs, verum etiã ijs, quæ ad pabulum, & nutritionem præſtantiſsimarum corporis partium deſeruire poſſent, vt in ſanguine factum eſſe demonſtrauimus.

Ex his colligo, si à pari certum aliquod eruere licet argumentum, non plus eidem sanguini actualis, & potentialis rationem repugnare, quàm repugnent animę rationes actus, & potentiæ, agentis, & patientis, & tandem esse in actu, & esse in potentia. Quare si, vti ostendimus, hoc secundum in via Sancti Thomæ sustineri potest, et debet, ita similiter, et primum planè indubitatum erit. Præcipuè cum sanguis ad duo referri, seu cõparari possit, nempe vel ad totum hominis corpus, vel certè ad singulas nobiliores, præstantioresq; corporis eiusdem partes; ex qua duplici sanguinis comparatione hoc discrimen consurgit; nam sanguis ratione primæ comparationis est humanæ naturæ pars actualis; ratione verò secundæ potentialis tantum pars sanguis est censendus; primum illud veritati congruit; cúm quia sanguis ad perfectam, substantialemq; corporis integritatem perneceſſarius est, nam, vt prudenter monuit *Caietanus* Caietanus tertia parte quæstione quinquagesima quarta articulo secundo, versiculo *ad hanc quæstionem dicitur*, est materia permanens totius corporis, túm etiam quia sanguis tamquam pars ad integrandum, conflandumq; animal in actu exigitur. Triplex enim, vt ex Aristotele secundo de partibus idem collegit Caietanus, in vera ho- *Triplex in homine cõpositio reperitur.* minis compactione concedenda est, atq; admittenda compositio; quarum prima fit ex quatuor humoribus quæ ex parte quatuor elementorum omnino ad mixti compositionem necessariorum, se tenet. Secunda, quæ ex similaribus, atq; omogeneis cõstituitur partibus, puta, ossibus, neruis, carne &c. Vltima, quę ex dissimilaribus, heterogeneis partibus consurgit. Quare sicuti in con-

fessò

feſsò eſt apud omnes, ea, quæ ad ſecundam, & tertiã animalis compoſitionem concurrunt, omnia eſſe actuales animalis partes, ita citra litem habendum eſt, ſanguinem, reliquosq; humores, quæ primam efficiunt, atque operantur hominis compoſitionem, eiuſdem eſſe proprias, actualesq; partes.

Illud etiam vltimo loco aduertendum videtur, conſueuiſſe Sanctum Thomam pro eodem vſurpare iſta, ſanguis eſt pars actualis naturæ, ſanguis pertinet ad veritatem naturæ, & ſanguis eſt de veritate naturæ, ſicuti apud eundem pariter idem omnino iſta ſonant, ſanguis eſt tantùm pars potentia, ſeu in potentia, ſanguis non eſt actu pars, & ſanguis eſt nutrimẽtalis. His igitur ſtatutis.

CAP. IV.

Auctoris opinio Sancti Thomæ teſtimonijs comprobatur.

TRanſeamus ad Sancti doctoris auctoritates, ijsq; aſſertiones noſtras comprobemus. Primam igitur, quæ etiam Caietano placuit, docet Angelicus doctor tertia parte quæſtione quinquageſima quarta articulo ſecundo ad tertium his verbis. *Dicendum quod totus ſanguis, qui è corpore Chriſti fluxit, cum ad veritatem naturæ pertineat, in corpore Chriſti reſurrexit, & eadem ratio eſt de omnibus particulis ad veritatem, & integritatem humanæ naturæ pertinẽtibus.* Quod etiam cõcedit in quodlibetis, quodlibeto 5. quæſt. 3. artic. 5. corpore, dum in Chriſto fuiſſe sãguinẽ, qui maximè ad veritatem perſonę pertinebat, in hunc modũ perſuadet, *& quamuis circa ea, quæ ſunt de veritate humanæ naturæ ſit diuerſa diuerſorum opinio, ſecundum quamlibet opinionem tamen, non totus ſanguis nutrimentalis,*

ideſt, qui ex cibis generatur, pertinet ad veritatem humanæ naturæ; ex quibus verbis ſine dubio inferri poteſt ſanguinẽ dari, quem ad veritatem naturę pertinere dicimus, quod ſtatim comprobans idem Sanctus Thomas clarè oſtendit Chriſti domini ſanguinem in paſſione effuſum ad humanæ naturæ integritatẽ, veritatemq; ſpectaſſe his verbis; *quorum prima ratio accipi poteſt ex ætate Chriſti patientis; paſſus eſt enim in perfectiſsima ætate, in qua maximè ea, quæ in homine inueniuntur*, inter quæ præcipuus erat ſanguis, *ad veritatem humanæ naturæ pertinere videntur, tamquàm ad maximam perfectionem adducta*. Sic S. Thomas. ex cuius ore intelleximus ſanguinẽ ad veritatem humanę Chriſti naturę pertinere. Prętereà quarto ſententiarũ diſtinct. 44. quæſt. 1. artic. 2 quæſt. 3. verſic. *ad tertiam quæſtionem*, inter corporis partes ſanguinẽ connumerat ſic ſcribẽs. *Dicẽdum quod quidquid pertinet ad integritatem humanæ naturæ in reſurgente, hoc totum in eo reſurget*; & paulo poſt quęrẽs, quid ſit de integritate reſurgẽtis ſubdit, *quædam eſt humiditas, quæ habet aliquam formam determinatam, ſecundũ quam continetur inter partes corporis, ſicut ſanguis, & alij tres humores, quos natura ordinauit ad membra, quæ ex ijs generantur, ſed tamen habet aliquas formas determinatas, ſicut, & aliæ partes corporis, & ideo reſurgent cum alijs partibus*. Hactenus ille, qui expreſſis verbis ſanguinẽ, & ad integritatẽ naturæ pertinere, & partẽ eſſe corporis aſſerit; multa alia huiuſmodi tradidit S. doctor, quæ nũc differo, qm̃ alijs locis opportuna erũt.

Secũdam aſſertionẽ noſtrã multis in locis perſuadet, & principiò quidẽ 1. parte quęſt. 119. art. 1. in reſpõſione ad tertiũ nõ dignatur sãguinẽ nomine actualis, ſed potentialis dũtaxat partis, vbi *ad tertium* inquit *dicendum*

quod

quod ad humidū radicale intelligitur pertinere totum id, in quo fundatur virtus ſpeciei, quod ſi ſubſtrahatur reſtitui non poteſt, ſicuti ſi amputetur manus, aut pes, ſed humidū nutrimentale eſt, quod nondū peruenit ad ſuſcipiendū naturam ſpeciei, ſed eſt in uia adhoc, ſicuti eſt ſanguis; quod idem eſt, ac ſi diceret, ſanguinem ex natura ſua, neq; actualem eſſe corporis partem, neq; principalium corporis partium naturam attingere, ſed eſſe in potentia tantùm proxima, vt & pars fiat corporis, & carni in vnum copuletur, ſeu vt in carnem tranſeat. Neq; aliud meo iudicio voluit affirmare 3. par. quæſt. 31. art. 5. ad primū, cū dixit non ex alia aptiori Beatiſs. Virginis ſubſtantia corporali ſacrā Redēptoris noſtri naturā formari decuiſſe, quā ex ſanguinis ſubſtātia, quæ cū nulla eſſet actualis pars naturę Virginis, potuit citra corruptionem Virginei corporis in locū generationi aſſignatum à naturali facultate deciſa ſeſe recipere, *Cum enim Beata Virgo*, verba ſunt Sancti Thomæ, *fuerit eiuſdem naturæ cum alijs faminis, conſequēs eſt, quod habuerit carnem, & oſſa eiuſdem naturæ, carnes autem, & oſſa in alijs fœminis ſunt actuales corporis partes, ex quibus conſtituitur integritas corporis, & ideo ſubtrahi non poteſt ſine corruptione corporis, vel diminutione. Chriſtus autem, qui venerat corrupta reparare, nullam corruptionem, aut diminutionē integritati matris eius inferre debuit, & ideo non debuit corpus eius formari de carne, vel oſsibus Virginis, ſed de ſanguine, qui nōdum eſt actu pars, ſed eſt potentia totum, vt dicitur in libris de generatione animaliū, & ideo dicitur carnē de Virgine ſumpſiſſe, nō quod materia corporis eius fuerit actu caro, ſed ſanguis; qui eſt potētia caro.* Et tandē ſimile quippiā 3. ſententiarū diſt. 30. quæſt. 2. art. 2. & alibi nō ſemel prodidit, quæ paſſim, vbi de sāguine ſermo inſtituitur, legi poſsūt; ego .n. oīa perſequi-

sequi non arbitror necessarium, quamuis illud clarissimum Sancti Doctoris testimonium, & solidum nostræ sententiæ fundamentum tacitus nequeam pertransire, quod quarto distinctione quadragesima quarta quæstione prima articulo secundo quæstiuncula tertia legitur, eo siquidem loci arrepta Sanctus Thomas sibi occasione ex eleganti, & ingeniosa quatuor simplicium corporum similitudine egregiè, vt solet, primæ, & secundæ nostræ assertionis fundamenta iacere, & iacta in altum erigere voluit, declarans simul, & semel sanguinem esse actualem, & potentialē humani corporis partem; nam quemadmodum elementa, & actuales sunt vniuersi partes, quia ad eius integritatem non secus, ac mixta corpora concurrunt, & rursus potentiales eiusdem vniuersi partes sunt, quoniam ex elementis quælibet alia orbis terrarum corpora constituuntur; ita pariter sanguis quatenus perfectū corporis cōplementum iuuat, pars actualis, quatenus autem ex eodem sanguine cætera hominis membra pascuntur, & nutriuntur, potestatiua pars appellari debet. Sed præstat, vt illud quod pressius dixi, largius ex ore Angelici doctoris audiamus, qui citato loco sic loquitur. *Ad tertium dicendum, quod sicut sunt elementa in via generationis respectu corporum mixtorum, quia sunt eorum materia; non autem ita, quod semper sint in transeundo in corpore mixto, ita etiam humores se habent ad membra, & propter hoc sicuti elementa in partibus vniuersi habent formas determinatas ratione quarum sunt de perfectione vniuersi, sicut corpora mixta, ita, & humores sunt de perfectione corporis humani, sicut & aliæ partes; nec elementa habent ita perfectas formas sicut mixta.* Sic Sanctus Thomas ex quo colligo tantum hoc

esse

eſſe diſcrimen inter oſſa, & carnem ex vna parte, & ſanguinem, cæteroſq; humores ex altera; quòd etſi forma ſanguinis eam ſanguini conferat dignitatem, qua inter corporis partes mereatur computari, ſicuti aliæ eiuſdem corporis portiones [in quo æqua ſors, & conditio eorum eſt] ex alio tamen capite oſſibus, & neruis ſanguinis forma concedit, ſiquidem illa ſic á proprijs formis actualiũ partium dignitatem, & præſtantiam habent, vt & in ſtatu perfecto collocentur, et varijs alterationibus nequaquám ſint obnoxia, quarum violentia ſuis formis ſpolientur, atq; in aliorum membrorum materiam trasferantur; ſed in certa quadam, ac quieta propriarum formarũ poſſeſſione conſtituta ſunt; at verò ſanguis quandiu vitam nos viuimus animalem, varias formas oſſis, carnis, et aliorum membrorum; dum nutritio peragi ſolet, cogitur ſuſcipere. Porro hæ Sancti Thomæ auctoritates, mea quidem ſententia, adeo illuſtres, et apertæ ſunt vtriuſq; concluſionis noſtræ perſuaſiones, vt nullũ mihi relinquant ambigendi locum; quin ſit hæc tutior de mente Angelici doctoris, et probabilior ſententia.

CAP. V.

Refelluntur quædam ſoutiones, quibus alij propoſitis Sancti Thomæ auctoritatibus ſatisfacere conantur.

AQua non pauci recedentes adductis teſtimonijs occurrere conati ſunt varijs ſolutionibus; quarũ priori loco ea eſt, quòd dari Angelicæ doctrinæ interpretes in contraria fuerunt opinione, neq; allatæ doctrinæ ſubſcripſerunt. Prætereá in dubio reliquiſſe videtur

detur Sanctus Thomas, quid sibi vellet, cum sanguinem ad humanæ naturæ veritatem pertinere dixit. Tertio citatum ex quarto sententiarum libro testimonium intelligi debet non de actuali parte, sed de parte tantummodo, vt loquuntur, potentia propinqua, quæ videlicet proximè accedit ad partem. Ad hæc secundæ conclusionis testimonia pariter accipiunt de eo sanguine, qui in viuentis constitutione primò visitur, duplicem enim concedendum esse sanguinem putãt, vnum, quem corporis materiam dicunt, seu qui alendis corporibus præest, alterum qui sit primum generationis humanæ principium, ex quo mortalis natura formatur; primum arbitrantur esse actualem corporis partem, secundum verò potestate tantùm partem esse putant, cum iuxta illorum opinionẽ sit pars quædam decerpta ex tota nutrimentalis sanguinis quantitate. Huic autem opinioni fidem astruunt ex eodem Sancto Doctore, qui tertio sententiarum distinctione tertia quæstione quinta articulo primo ad quintum tradit, assignatam sanguinis distinctionem. Tandem postremam auctoritatem ductam ex 4. sententiarum distinctione 44. tantùm vim suam in eo sensu obtinere arbitrantur, vt quemadmodum in rerum vniuersitate reperiuntur elementa, quæ mixti compositionem faciunt, ita humores, inter quos principem dignitatis locum obtinet sanguis. in corpore humano sint, atq; ex eijsdem membra humana conficiantur; cæterũ, inquiunt, in alijs rebus nulla est inter illa similitudo, elementa siquidem actuales sunt vniuersi partes, at verò humores corporeæ animalis substantiæ non sunt actuales, sed potentiales tantùm partes.

Verùm

Verùm excogitatas haſce ſolutiones nullo nixas eſſe fundamento, vel ipſa facilis confutatio declarabit; nam eſto concedamus [vti re ipſa concedendum eſt] alios aliter quam nos, de mente Angelici doctoris ſenſiſſe, haud tamen hinc habetur certa aliqua oppoſitæ nobis ſententiæ veritas; quandoquidem in præſenti negotio non interpretum auctoritatis, ſed fundamẽtorum, quibus auctores vtuntur, eſt habenda ratio. Prætereá ſi ex interpretum teſtimonio certi quippiam haberi poſſet, eisq; fidẽ Pythagoreorum more poſthabitis rationibus, habere liceret, mallem cum pluribus, quam cum paucioribus ſentire, plus enim vidẽt oculi quam oculus, multo autem plures, [ſi de prima aſſertione ſaltem loquamur] in noſtram, quam in oppoſitam opinionem pedibus iuerunt.

Futile autem eſt ſecundum, affirmare enim Diuum Thomam ſub lite reliquiſſe, quid eſſet ſanguinem pertinere ad veritatem humanę naturæ, eſt obducere tenebras rebus clariſſimis; & veritatem in aperto patentem in anguſtum redactam occultare, perpendantur ea, quę 4. diſtinct. 44. quæſt. 1. art. 2. quæſtiuncula 4. verſic. *ad quartam quæſtionem dicendum*, ſcripſit, & luce ſolis clarius fiet, ſenſum ſuum aperuiſſe Angelicum doctorem, quid de illo dicto fuerit arbitratus; cuius opinionem hic totidem verbis apponam. *Vnumquodq; ſicut ſe habet ad eſſe*, Verba ſunt S. Thomæ, *ita ad veritatem, vt in 2. Met. dicitur, quia illa res uera eſt; quæ ita eſt, vt videtur cognitori ſecundum actum, & propter hoc Auicenna dicit, quod veritas vniuscuiusque rei eſt proprietas ſui eſſe, quod ſtabilitum eſt, & ſecundum hoc dicitur aliquid eſſe de veritate humanæ*

naturæ, quia propriè pertinet ad esse humanæ naturæ, & hoc est, quod participat formam humanæ naturæ. Quo quid clarius in huius dicti illustrationem dicere poterat S. Doctor?

Tertium. manifestam vim infert Sancti Thomæ verbis, quandoquidem facit illum propria verborum significatione abutentem; præterea solutio illa nequaquam Sancti Doctoris opinioni congruere potest, ille enim discrimen admisit inter hasce propositiones, vt vidimus, sanguis est pars actualis humanæ naturæ, & sanguis est pars potentialis eiusdem; quare, vt breuius dicã, non est istud Angelici doctoris sentẽtiã explicare, sed implicare, atq; confundere potius; quapropter illa sanguinis distinctio inutilis, & commentitia est, neq; illius meminit vnquàm Sanctus Doctor; etenim verba illa citata ad quintum, quæ sic habent, *sanguis, qui humani corporis materia ponitur, non est absolutè talis, qualis per actum nutritiuæ generatur ex cibo, sed hoc, quod de illo sanguine residuum est ab vltima digestione nutritiua, in fœminis generatiuæ ministrat, quæ facit ipsum, vt sit debita materia corporis humani*; quid aliud innuunt, quam sanguinem nutritioni, generationiq; addictum non esse omnino, & vndequaq; eiusdem rationis accidentalis cum alio? primus enim nutritioni, secundus autem generationi deseruit; nam ille nutritiuæ facultatis pabulum est, hic vero, non absumitur, quippe residuus, qui ab vltima digestione, peracta, ac confecta nutritione remanet; & quis ex huiusmodi differentia, quæ inter sanguinem generationi addictum, & eum, qui generationi præest, reperitur, prædictam sanguis distinctionem colligere poterit? aut iure merito affirmare, primũ corporis esse partem, nequaquàm vero secundum.

Quod

Quod tándem vltimo loco adducũt, puerile videtur, nam quod in quæſtionem venit, ad eandem quęſtionem ſoluendam ſumunt; immò partes ſunt corporis humani quatuor humores, ſiq; ad oppoſitum Sancti Thomæ ſimilitudinem diſtorquere non erubeſcamus, fatebimur eo duntaxat ſpectaſſe ſimile illud, quòd quemadmodum elementa ad vniuerſi perfectionem ſpectant, quia illud tamquam partes integrant, abſoluunt, & complent, atq; mixtionis ſimul opificium moliuntur, ſic humores, vti corporis humani partes abſolutam totius humani ſuppoſiti conſtitutionem efficiunt, ſufficientes pariter congruentẽ materiam ad nutrienda corporis membra.

CAP. VI.

Tertia opinionis noſtræ Aſſertio illuſtratur.

AD extremum tertiam ſuperius poſitam aſſertionem opinionis meæ defendunt omnes illæ auctoritates, quas in ſecundæ theſis corroborationẽ adduxi; eamq; vlterius tuentur ea, quæ hîc adijciam. Etenim non eſt in diſceptationem reuocandum illud, quod cum communi omnium fermè Thomiſtarũ ſchola prę fractè defendit Ioannes Capreolus quarto diſtinctione decima quæſtione ſecunda articulo tertio ad quartã, è medio videlicet tolli in vera Angelici doctoris opinione omnem ſubſtantialium formarum multiplicitatem; vnica enim, & indiuiſa in humano ſubſtantiali compoſito forma concedenda eſt, quæ ſingulis, & omnibus corporis noſtri partibus animatis eſſe propriũ largiatur; quæ quidem ratio anſam mihi præbet ſic ar-

guendi, fieri non potest, vt in eadem corporis viuenti Parte diuersa, & varia substantialis forma reperiatur, cum omnia hominis membra eadē rationali forma polleant, quæ quia vi, ac excellentia perfectionis suæ virtualiter omnes superiores formas in sua simplici substātia continet, formam aliam à se distinctam non admittit, vbi saltem rationalis animus vigere potest; & tamen Sāctus Thomas quarto distinctione quadragesima quarta quæst. prima art. secundo quæstiuncula tertia corpore, aliam ab anima rationali distinctā formā sanguini concedit, ergo alterū ex his duobus erit necessariò affirmandum, aut nempe dari formarum substantialium pluralitatem, quod esse absurdū opinatus est Sāctus Thomas, aut certe sanguinem anima rationali etiam quoad vegetatiuum gradum præditum non esse.

Sed moneo obiter iuxta Ioannis Capreoli placitum, hominis partes, quæ minus nobiles, & obscuræ sunt, aliam à perfecta partium nobiliorum forma, minusque perfectam formam obtinere; atq; à cōmuni illo S. Thomę decreto, quo plures formas in substātiali composito negat, excipiendos esse quatuor humores, quos non rationali anima, sed formis proprijs ornari docet in prȩsētia.

Hoc igitur allato ex S. Doctore testimonio reuicti quidā solent eo confugere, vt dicant nō esse verba S. Thomę interpretanda de substantiali forma, sed de accidentali tantùm, interpretationiq; suæ robur addunt ex eodem Angelico doctore, qui nuper citato loco hanc innuens opinionem, humores diuersas à forma totius compositi formas habere dixit, certum autem est, inquiunt illi, cæteras corporis partes citra rationalem animam solum-

modo

modo accidẽtales formas habere, aliter multitudo ſubſtantialium formarum in via Sancti Thomæ concederetur; nõ igitur alias præter accidentales formas à forma totius humores diſtinctas formas habere poterunt. Verùm hanc interpretationẽ non audient profectò illi, qui ſecum ipſi reputarint, fieri nõ poſſe, vt pars aliqua in numero, & ordine ſubſtantialium corporis partium ſiſtatur virtute ſolummodo, & præſtantia accidentalis formæ; neceſſariò enim munus hoc à ſubſtãtiali forma proficiſci debet, nam cum accidens ex toto ſuo genere à ſubſtantia diſſideat, quî intelligi poteſt, accidens ſanguini tribuere poſſe, vt humanæ naturæ ſit pars ſubſtantialis? & nihilominus S. Thomas virtute illarum formarũ quatuor humores inter corporis partes conſtituit. Verba Sancti Thomæ ſunt. *Quædam* (nempe humiditas) *eſt, quæ habet aliquam formam determinatam, ſecundum quam continetur inter partes corporis, ſicuti ſanguis.* Quare cum accidentalis forma eſſe ſubſtantiale non tribuat, quale eſt eſſe, quod exigit humani ſanguinis ſubſtantia, neq; enim accidens agere, operariue poteſt ſupra vires ſuas; ex neceſſitate fatendum erit, formam illam ſanguinis non accidentalem, ſed ſubſtantialem eſſe.

Neq; vero, quod addunt, mihi faceſsit negotium, quandoquidem nihil aliud innuere volebat illis verbis angelicus doctor, quã reſurrecturos eſſe quatuor humores, non ſecus, ac alias corporis partes, propterea quod ſuis formis quatuor humores nõ carerẽt, ſicuti neq; cęteræ corporis partes ſuis carebãt formis; ac proindè vti oĩa hominis membra propter formas ſuas reſtauranda erãt, ita pariter & humores, poſt habito quouis alio diſcri

mine,

mine, quod in similitudine illa excogitari posset; erat siquidem istud à proposito Sancti Thomæ alienum.

Postremo semen sanguis est essentialiter decoctus, at semen anima rationali non est prędituin ex prima parte quæstione centesima decima octaua articulo primo ad tertium, vbi hæc habet, *dicendum quod virtus illa actiua, quæ est in semine ex anima generantis deriuata, est quasi motio quædam ipsius animæ generantis, nec est ipsa anima, aut pars animæ, nisi in virtute, sicuti in sera, vel securi non est forma lecti, sed potentia quædam ad talem formam.* Nec sanguis igitur erit animatus.

CAP. VII.

Aliquot dubitationes explicantur.

POrrò huic opinioni contradicentes alij oppositum ex mente doctoris Angelici astruere conantur, & non spernenda suæ opinionis fundamenta ea esse ducunt, quæ nos in medium ad primam conclusionem ostendendam protulimus; putant enim non alia ratione sanguinem veram corporis partem appellari posse, quã quia vitam viuat vegetatiuam. Verùm quia non semel quo in sensu sanguinem actualem corporis partem Sanctus Thomas appellet, demonstraui; properabo ad alia rationum momenta examinanda, quæ etsi plurima sint, ad hæc tamen duo commodè reuocari posse videntur.

Primum, sanguis ad humanę naturę integritatem pertinet; quid autem sit pertinere ad integritatẽ quæstiuncula quarta artic. 2. quæst. 1. distinctionis quadragesimæ quartę libri quarti sententiarum his verbis declarat Sanctus

ctus Thomas. *Aliquid dicitur esse de veritate humanæ naturæ, quia propriè pertinet ad esse humanæ naturæ, & hoc est quod participat formam humanæ naturæ, sicuti verum aurum dicitur, quod habet veram formam auri, ex qua est proprium esse auri.* Cum igitur forma humanę mortalitatis anima sit rationalis, sanguis, qui ad veritatem naturę pertinet, procul dubio anima rationali viuificabitur.

Secundum; sanguinem viuere, videtur esse mens manifesta Sancti Doctoris, nam loco citato quæstiuncula tertia ad tertium, postea quam probauit sanguinem humani corporis partem esse, protinus hunc in modum loquitur. *Sicut autem partes omnes vniuersi perfectionem à Deo consequuntur non æqualiter, sed secundum suum modum vnumquodq;, ita etiã humores aliquo modo perficiuntur ab anima rationali; non tamen eodem modo, sicut partes perfectiores.* At perfici, addo ego, ab anima rationali nihil aliud est, quam ab eadem vitam recipere, viuere igitur sanguinẽ censendum erit in via Angelici doctoris, quandoquidem is ab anima rationali perficitur.

Sed quia adhæc refellenda nec longa, nec operosa verborum serie opus est, primum sic eluditur. Verum est sanguinẽ ad esse naturæ Christi pertinere, pariterq; concedendum est, formam sanguini debitam esse oportere humanæ naturæ congruentem; at hoc nos minimè vrget; nam qua ratione sanguis ad integritatem corporis pertinet, eadem etiam ratione corporis, & naturæ humanæ formam requirit, verùm quia sanguis non est nobilior, ac præstantior quædã humani corporis pars, vtiq; etiam illi nobilissima forma, qualis est anima rationalis deneganda erit, sed sanguini tantùm ea forma con-

concedenda videtur, quæ illi naturalis, & consona, quæq; cuilibet humori seperatim est assignata. Quare ex citato Sancti Thomæ testimonio solùm habetur, non fore sanguinem de veritate humanæ naturæ, nisi formã naturæ humanæ sanguinis congruentem possideret; ex quo clarum est, futilem, & mancam esse propositionem illam, qua humanæ sanguinis naturæ formam duntaxat esse rationalem animam asseritur; dantur enim quatuor aliæ formæ, quæ humorum sunt propriæ, ac peculiares, quibus, sicuti humores constituuntur inter humani corporis partes, ita ijsdem natura humana Christi constat.

Secundum etiam facili negotio euacuatur; neq; tamen eorum responsione vtar, qui admittentes animam rationalem esse sanguinis informantem formam; negãt nihilominus hinc sequi viuere sanguinẽ ob id, quòd etsi in sanguine reperiatur anima, vt informans, & vt esse proprium sanguini tribuens, tamen non est in sanguine, vt forma vitalis, hoc est, vt fons, & origo vitæ, quæ sanguini vitalem aliquam tribuat operationem. Neq; enim mihi arridet tale responsum, quamuis subtile, & ingeniosum; nam cum anima rationalis sit substantiale, ac vitale principium, satis intelligere nequeo, quid impediat; ne vitales in sanguine anima operationes habeat; certè, cùm neq; necessarijs, neq; congruentibus dispositionibus sanguinis substantia careat, quibus sin minus sentiendi officium, at saltem nutriendi, crescendiq; munus obire possit; gratis informantem tantum, & non vitalia opera exercẽtem rationalẽ animam sanguini tribuunt. Sed vtar trita illa in scholis distinctione, qua sanguinem

ab

ab anima rationali perfici bifariam intelligitur, vel formaliter, vel effectiuè, seu efficienter; dicamq́; in secundo sensu, non autem in primo sanguinem ab anima perfici, esse intelligendum, nam virtute rationalis animæ generatur sanguis, conseruatur, & vitales influxus, aliaque huius generis officia ab eadem anima rationali sortitur. Et hæc de Angelici doctoris sensu sufficiant.

Verúm finem ponamus huic priori libro de sanguine Assertoris, & altiorem, excellentioremque disputationem de vnione hypostatica, qua sanguis eius ornabatur, deinceps aggrediamur.



FRANCISCI COLLII

S. THEOLOGIAE, AC COLLEGII Ambrosiani Doctoris.

DE SANGVINE CHRISTI.

LIBER SECVNDVS.

DISPVTATIO PRIMA.

De vnione hypostatica sanguinis Christi.

CAP. I.

Non vnam fuisse Theologorum sententiam de vnione hypostatica sanguinis Christi.

EXplicata superiori libro de naturalibus sanguinis Christi proprietatibus materia, recto partitionis ordine sequitur, vt in præsens dicamus de hypostatica vnione, cuius sanguis Christi particeps

ticeps factus est tunc, cum Aeterni Patris verbum nostra hac mortalitate indutum sibi in hypostasim ea omnia adiunxit, quæ ad concinnandam perfectam hominis naturam requiruntur. Et quamuis sine manifesta fidei Catholicæ iniuria nemo asserere possit, sanguinem Christi penitus caruisse vnionis hypostaticę excellentia; pergrauis tamen controuersia est inter doctores Theologos, quænam, & qualis fuerit istius diuinæ connexionis natura; An videlicet Dei filius, ita proximè terminarit sanguinem hypostatica vnione, vt illum eundem sibi copularit arctissimè, seu vt dicunt, immediate in hypostasim; an verò potius remotè tantùm; quatenus videlicet sanguis Christi reperiebatur in ea natura, quam proximè Verbum assumpsit; ex quo colligeretur, sanguinem Christi nulla Verbi diuini, sed sua duntaxat naturali subsistentia fuisse ornatum. Enim verò cum in hac controuersia dirimenda non pauci doctores magna inter se concertatione dissideant, dubiã, & incertam huius difficultatis explanationem effecissent, nisi diuinæ philosophiæ studiosis propemodum in hac veritate illustranda errantibus, ac vagis sacrarum litterarum auctoritas ostendisset veritatis stabiliendæ viam; in qua ipse pariter immobili pede insistens mox dicam, quid nunc absq; hęsitatione sentiendum sit, vbi varia doctorum placita ad iudicij trutinam reuocauero.

CAP. II.

Durandi, & aliorum opinio.

DE hac igitur quæstione primo loco recenseri potest sententia eorum, qui negantem opinionem tuentes volunt diuinum Verbum remotè, seu, vt dicunt, mediatè tantum assumpsisse sanguinem; cuius sententiæ auctor, & defensor fuit Durandus quarto sententiarum distinctione decima quæstione 1. num. decimonono, vbi etsi peculiarem huius propositæ difficultatis quæstionem nō instituat; haud tamē obscure hanc, quam diximus, opinionem tuetur, vt statim clarum fiet ex ijs rationibus, quarum pondere in hanc sententiam ductus est. Eandem opinionem multo clarius, & apertius docuit Cardinalis Sācti Petri ad Vincula in suo tractatu veritate sexta; vbi Verbum non principaliter assumpsisse, sed veriùs coassumpsisse, [vt verbis eius vtar] sanguinem putat. Quibus subscripsit Alphonsus Tostatus Episcopus Abulensis parad. 2. cap. 40. quò loci clarè docet, data hypothesi, quòd quis in triduo mortis Christi vini calicē consecrasset, fore vt in Calice neq; corpus, neq; anima Christi, neq; Verbum, sed solus sanguis ibi reperiretur, propterea quod sanguis non fuit Verbo diuino copulatus. Quare non est in præsens admittenda benigna quorundam interpretatio, qui tradunt Abulensem non esse absolutè amplexatum hanc opinionem, sed tantummodò cum quadā limitatione, quæ est, vt nō velit sanguini Saluatoris Verbum

Cardinalis S. Petri ad Vincula.

Tostatus.

bum non fuiſſe copulatum ſpectata qualibet temporis mora, ſed intriduo duntaxat, cæterum, inquiunt iſti iuxta Toſtati opinionem Verbo diuino vnitus erat ſanguis Chriſti. At mea quidem ſentẽtia haud poteſt iſtud de mẽte Abulenſis iurè affirmari, cum luce clarius conſtet ex eius ſententia Verbum diuinũ hypoſtatica vnione corpori, & animo Saluatoris duntaxat fuiſſe intrinſecè, ac proximè ita copulatum, vt nulla alia inter filium Dei, & humanam Chriſti naturam, atq; naturæ partes coniunctio interceſſerit; quandoquidem duabus illis, corporis videlicet, ac animi vnionibus totum illud humanæ naturæ Chriſti, quod ad Verbi hypoſtaſim trahi poterat, perfectè ſibi Verbum adiunxit; maximè cum humana natura ſolitariè accepta, vt à carne, oſſibus, & anima diſtinguitur, nequaquã aſſumi potuerit diuerſa vnione ab ea, quam partes eſſentiales naturæ Chriſti habuerunt; ex quo fit, vt cætera, quæ in natura Saluatoris reperiebantur, conſequenter, remotè, & indirecte tantummodo aſſumpta fuerint à Verbo. Sed, vt res tota plenius intelligatur, ipſa eiuſdem Toſtati verba hic adſcribam, quæ in cap. 40. ſic habent. *Tertium, quod in conſecrato Calice eſt nunc, Verbum dicitur, ſed hoc in illo triduo in ſanguine conſecrato non eſſet; quia ſanguis Verbo vnitus non eſt*; quod etiam clarius declarat dicens. *Nam in aſſumptione humanæ naturæ ad Verbum vniuit ſibi Verbum principales partes naturæ, corpus, & animam, non vniuit tamen ſibi directè partes humanæ naturæ minus principales, ſicut humores, & pilos*; Ex quibus poſtremis Toſtati verbis intelligere per ſe lector poteſt, non rectè ad mentem illius recentem quendam non contemnendum

Vera Abulenſis opinio.

Suarez 3. p. q. 5. a. 4. disp. 13. sect. 6.

nendum Theologum asseruisse, iuxta Tostati sententiã verbum consequenter assumpsisse sanguinem, & alias omnes Christi humanæ naturæ partes.

Solet prætereà à Francisco Suarez adduci Gabriel Biel in supplemẽto in quartum sententiarum sub finem primæ quæstionis d. 44. in fauorem negantis sententiæ, sed haud scio, qua ratione hoc illi tribuatur, qui non asserendi, sed differendi causa potius loquitur, affirmans manifeste ex eo loco nihil firmum, ac ratum in sua sententia haberi posse, dum inquit; *Hæc solum disputatiuè, & non assertiuè dicere volui.* Quamquam verum est eundem Gabrielem Biel lectione 53. in canonem libenter hanc opinionem amplecti.

Gabrielis Biel sentẽtia.

Adscribunt alij negantem sententiam Francisco de Mayronis 4. d. 43. q. 1. & Richardo de Media Villa 3. sent. distinctione secunda articulo secundo quæstione prima ad secundum, sed haud merito; ille enim absolutè non negauit sanguini Saluatoris hypostaticam vnionẽ, dum in humana natura commorabatur, sed duntaxat quatenus erat sanguis ab eadem natura separatus, nimirum tempore tridui, vt distinctionem quadragesimã tertiam legentes dijudicabunt; hic vero non aliud sensit citato loco, quam Franciscus Mayro arbitratus fuerat; scribit enim ad hunc modum. *Si pes Christi fuisset separatus simul remanendo diuinitati vnitus, latria fuisset adorandus, & quæcunq; pars alia, si fuisset separata à toto remanẽs tamen diuinitati vnita. Vnde quia in triduo mortis Christi corpus remansit vnitum diuinitati, erat adorandum latria, & similiter dicendum de anima. Sanguis autem, quia non est de corporis essentia, postquam è corpore fuit separatus, latria non*

fuit

fuit adorandus. Hæc ille, qui, vt manifeſtè patet, docuit ſanguinem Chriſti non remanſiſſe verbo vnitum tridui ſpatio, haud tamen negans ſanguinem hypoſtaticè fuiſſe aſſumptum, dum in venis Chriſti conquieſcebat.

CAP. III.

Allata ſuperiori capite ſententia varijs rationibus confirmatur.

FVndamenta autem, quibus probari poteſt citata opinio, omnibus hiſce doctoribus cõmunia ſunt; nec reconditi, aut noui quippiam adinuenit vnus illorum, quod alter optimè non nouerit. Primum eſt, Chriſti Domini ſanguis viuentem in ſe animam non fouebat, ſed erat inanimis, atqui nullas aſſumpſit diuinum Verbum humanæ naturæ partes, quæ vita careret, neq; enim par, aut conueniens fuit, vt fons vitæ, & primum viuifici Spiritus principium rebus vita, Spirituq; carentibus coniungeretur; ſi namq; lux, & tenebræ, vita, & mors inter ſe adeò diſtant, vicisſimq; inter ſe pugnant, vt in eodem loco ſimul eſſe non poſſint; pellunt enim è ſinibus ſuis lucem tenebræ, & pari modo abſumit, fugatq; tenebras lucis ſplendor; quanto potius infinita illa diuinitatis lux, & vita tenebroſum domicilium, mortuoſq; planè humores abhorrebit? *Primũ argumẽtum.*

Secundum.

Prætereà quod ſibi intimè verbum copulauit, illud aut humana natura perfecta erat, aut illius naturæ vera pars, ſanguis autem neque tota natura, vt ex terminis liquido apparet, neq; humani corporis Chriſti pars fuit; etenim ſi Ariſtoteli lib. tertio de hiſtoria animalium

malium cap. 10. fidem præſtamus, ſanguinem corporis humani ſolum nutrimentum, & pabulum, non autem illius veram eſſe partem, fateri cogimur.

Tertium. Tertio quod perpetua quadam agitatione, continuoq; fluxu diſcurrit; quodq; in corpore procreatum, fabricatumq; a natura videtur; vt ſit in via, & tranſitu ad certam alterius formæ acquiſitionem, non potuit diuinam Verbi immobilem ſubſiſtentiã poſſidere; certiſſimũ autẽ eſt in venis huc, atq; illuc ſanguinem perpetuò diſcurrere, & continuo nouam, dum videlicet, cætera corporis membra aluntur, viuentem formam adipiſci.

Quartum. Amplius Dei filius vnius rationis, & ſpeciei naturam aſſumpſit, vt eſt communis Eccleſiæ vox; ſed illa fuit rationis, & vitæ capax, & particeps; omnem igitur rationis penitus expertem materiam ſecludebat, quæ ad rationalem animam, tamquam ad formam propriam proximum ordinem non haberet; ſanguis autem formam ad gradum rerum inanimatarum pertinentem habet, vt aliás docuimus.

Quintum. Quintò, vulgatum eſt inter theologos decretum, diuinum Verbum id nunquàm dimiſiſſe, quod ſemel ſibi coniunctum hypoſtaticè habuit; & tamen dimiſiſſe ſanguinem toto tridui tempore, cùm inſignes doctores affirmant, tùm nos etiam poſtmodum probabimus.

Sextum. Ad hæc Deus, qui venerat corrupta reparare ineffabili, excellentiq; modo ſua diuina hypoſtaſi in aſſumpta natura effecit quòd alias vi, ordineq; naturali ſubſiſtentia humanæ Chriſti naturæ debita effeciſſet, ſi à diuino Verbi ſuppoſito nequaquam fuiſſet impedita; at ſubſiſtentia

ſiſtentia naturalis corporis Chriſti, ſi naturæ ſuæ relicta fuiſſet, terminare non poterat vlla ratione ſanguinem; qui cum neq; viuificetur, neq; ab anima rationali informetur, vtiq; munus, & beneficium ſubſiſtentiæ, quæ ab anima rationali cauſatur, haud accepiſſet; neq; diuinum igitur Verbum tribuere potuiſſe ſanguini ſubſiſtentiam, putandum erit.

Vlterius, cum non minus inter corporis Chriſti partes ſint tres alij humores, quam ſanguis ipſe, hinc conſequens omnino videtur, vt nõ ſanguinem modò, verùm ẽt phlegma, & bilem vtramq; flauam, ſcilicet, & atram aſſumpſerit verbũ; quod nihilominus piæ aures reſpuũt audire, quis .n. animum inducat ſuum credere, dũ phlegma in terram expuebat Chriſtus dominus, eundem illũ humorem Verbo diuino hypoſtaticè cõiunctum fuiſſe? niſi fortaſſis affirmaret quiſpiam in ipſo expuendi actu, ſtatim hypoſtaticam vnionem, quæ inter Verbũ, & phlegma intercedebat, arctiſſimam diſſolui; quod tamen cõmentum eſt; ſiquidem adduci non poſſum, vt credam, quidnam ſit cauſæ ſubitaneam, ac momentaneam hanc diſiunctionem operans; maximè cum non ſtatim, ac in terrã cecidit Chriſti ſanguis ſimilem paſſus ſit diſiunctionẽ; quam tamen pati debuiſſet, ſi pari ratione ad humanã Chriſti naturã pertinebant quatuor humores. *Septimum.*

Vltimo tandẽ vtar argumento, quod ſolus Cardinalis S. Petri ad Vincula excogitauit loco ſupra citato, quodq; ex Angelici doctoris teſtimonio deduci poſſe arbitratus eſt 3. parte quęſtione 54. art. 3. ad ſecundum; vbi inquit D. Thomam docuiſſe apertiſſimis vocibus Verbũ nõ aſſumpſiſſe ſanguinẽ, ſed coaſſumpſiſſe tãtùm. *Octauum.*

CAP. IV.

Adductarum rationum explanatio.

VErum non magni sunt ponderis ista; quin immò neq; hæc, neq; si plura alia in horum doctorum sententiæ corroborationem excogitarentur argumenta, haud abducere meritò possent quempiam, vt veritas postulat, recte sentientem, de hypostatica vnione sanguinis Christi cum verbo non remotè, sed proximè facta, quemadmodum paulo post ostendam testimonio complurium auctorum in hac veritate non dissidentium, manifestis sanctorum patrum, & scripturæ auctoritatibus, & non spernendis etiam mo mẽtis rationum, quæ intimam, & intrinsecam sanguinis Christi cũ Verbo diuino vnionem facile demonstrant; quod quia mox tractabitur; nunc ad rationes contrarias refellẽdas accedamus. Quarum prior sic confutatur. Concedo Christi domini sanguinem non viuere; istud tamẽ hypostaticam sanguinis Christi cum Verbo vnionem proximam nullo modo potuit impedire; etenim non viuentes etiam humanæ Christi naturæ partes sibi coniunxit Dei filius. Nec me mouet adducta confirmatio. Siquidem non erat inter Christi sanguinem, & Verbum ea oppositio, quæ inter tenebras, & lucem, mortem, & vitam reperitur. Ista enim, vt philosophi loquuntur, sunt priuatiua contraria, quę inter se adeò longis distãt interuallis, vt neq; per Dei virtutẽ nullis naturæ legibus astrictam simul esse queant, eo quod alterũ alterius destructionem in se contineat; Lux enim præter verum lu-

Prima solutio.

cis

cis ſplendorem, neceſſaria quadam naturæ ſerie ſecum tenebrarum expulſionem, ſeu abſentiam trahit, aut declarat. Verbum autem quamuis, & vita, & lux vera ſit, cum ſubſtantia tamen ſanguinis nullam habet priuatiuam repugnantiam, vt ex ſe patet. *Obiectio.*

At inquies vera quidē narrantur, ſed non ſufficiunt tamen; etenim repugnantia, quæ vnionem hypoſtaticam poterat impedire, non ex priuatiua oppoſitione, quæ nulla fuit, petenda eſt, ſed ex peculiari Dominicæ Incarnationis ordine, qui is erat, vt Dei filius propter animam, ſeu animæ intuitu aſſumeret corpus terrenū, carnem videlicet, & animam, & quotquot humanę naturæ partes erat aſſumpturus, vt teſtatur D. Auguſtinus epiſtola ad Voluſianum terti a ante medium tomi illius ſecundi; vbi *ipſa magnitudo*, inquit, *diuinæ virtutis animam ſibi rationalem, & per eandem corpus humanum, totumq; omnino hominem in melius cōmutandum coaptauit*, ergo cum ſanguis careret anima, cuius intuitu Verbum partes humanæ Chriſti naturæ aſſumpſit, fruſtra dicitur ſanguis Deitati vnitus. Sed hoc non aduerſatur nobis; Diui .n. Auguſtini auctoritas interpretāda eſt, vt velit tantùm, Diuinam Verbi perſonam, quæ animam ſibi copularat, in illiùs fulcimentum arctiſſimè ſibi coniunxiſſe pariter corpus, & reliquas humanæ naturæ partes, quę quoquo modo ad animæ præſentiam in corpore fouendam, ac conſeruandam neceſſariæ erant. quare particula illa, *propter animā*, quod alijs verbis Theologi dixêre, mediāte anima, ſonat idem, ac in animæ fulcimentum, & adminiculum. Ad hoc autem munus ſanguinem maximi, & pneceſſarij auxilij eſſe, nemo vel leuiter ſanguinis natu- *D. Auguſtinus ep. ad Voluſ.* *Solutio.*

ram agnoscens, ignorat; videnda quæ de sanguinis natura superius primo libro docui.

Ad secundum dicimus, esse sanguinẽ humanę Christi naturæ verã, propriamq; partẽ, vt diffuse tradidi lib. 1. vbi etiam Aristotelis auctoritati planè satisfactum est.

Tertium patere potest ex ijs, quæ ibidem subiecimus; neq; enim fluxus ille sanguinis intra naturales corporis Christi venas hypostaticę vnioni aliquod adferre potuit impedimentum, cum talis motus vi, impetuq; naturæ sanguinis proprietatem, & substantiam consequatur.

D. Damascenus. Dei autem filius teste Damasceno libro orthodoxę fidei primo cap. 14. propè finem, & lib. 3. cap. 20. naturales omnes hominis passiones suscepit; quod multo anteà

Isaias. prophetico spiritu docuerat Isaias cap. quinquagesimo tertio, vbi *vere* inquit *languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit &c.*

Quartæ rationis solutio est; dictũ illud, quo naturã à Verbo assumptam vnius esse rationis affirmatur, bifariã considerari posse; vel ita, vt dicatur vnius rationis, quia natura à Verbo assumpta sit vnius, & eiusdem simplicis conditionis, seu entitatis, & substantiæ, nullamq; in se

Natura Christi quo sensu vnius fuisse rationis dicatur. partium varietatẽ planè admittat, vel certe talis appelletur, quia natura illa Christi erat vna in atomo, vt loquuntur Sancti Patres, hoc est vna in se perfecta, & absoluta, quæ quamuis plures partes haberet, omnes tamen vnius rationis, ideſt vnius speciei naturam conflabant; in quo posteriori sensu vox illa Ecclesię, antiquissimo more vsurpata intelligi debet; indubitatum enim est discrimen illud, quod inter humanæ naturæ Christi partes reperiebatur, nempè quòd aliæ anima pollerent;

aliæ

aliæ nequaquam; ex quo naturæ Christi mutatio haud sequi poterat, quandoquidē mutua quadā connexione aliæ alias respiciebant,& omnes simul ad cōcinnandum animæ congruens domicilium spectabant, ea ratione, qua superius diximus pleraq; inter se varia, & distincta ad domum construendam nobili artificis ingenio concurrere, tamquam naturas quasdam inperfectas, ex quibus vnius perfectæ naturæ constructio, motu, instinctuq; naturali consurgit.

In quarta tāgitur grauis difficultas,quā,quia alibi diligētius,& accuratius ea pertractāda est, pertrāseo tacitus;neq; in præsētia doceo,quisnā sit germanus illius D. Damasceni sentētiæ sensus; qui multiplices,& varij iuxta varios doctores afferri solent.

Ad quintam; quamuis veritati consentanea sit prior argumenti propositio, falsum tamē continet posterior; subsistentia .n. humanæ Christi naturæ,si naturali modo potuisset operari, non tantùm corpus, ossa, neruos, & cætera corporis membra, sed etiam sanguinem terminasset. Neq; enim opus est, ēt si subsistentia ab anima proueniat rationali,(de quo tamen in præsentia nullam habere volo quæstionem,cum dubia valde sit opinio, & res ēt videatur aliena,) vt viuat sanguis, quô subsistentiæ beneficiū ab eadē viuente anima recipiat; quandoquidē possunt à principio nō viuente produci viuētia,vt quotidianis experimētis cernimus in sole, &rursus fieri ēt cōsueuit, vt à principio vitam agente tribuatur rei vita carēti effectus quidā omnis prorsus vitę expers,q̄ dictū, vt illustrius fiat,exemplū peti potest ex eadem rationali anima,q̄, quamuis viuēs sit, impartibilis,& impermixta, corpori tamen impartitur gradus quosdā,oīs sensus, &

A principio vita carente effectus vita non carentes proficiscuntur, & ex aduerso.

vitæ

vitæ expertes partibiles, & mixtos, à quibus sumpta denominatione homo mixtus, & sic de cęteris, vulgò solet à philosophis appellari; mihi .n. maximè probatur eorũ opinio, qui omni formarũ pluralitate sublata, in mixto corpore vnam tantummodò substantialem formam admittunt, cuius vi, ac potestate multiplices corporis mixti gradus fiunt. Adde prętereà subsistentiã partium naturę, siue illa ab animo, siuè à quocunq; alio procedat principio, nequaquam proficisci ab eo, quatenus viuens est, sed potius sub ea ratione, qua humanæ naturæ partibus præsens, & intimè adest, nullo impediente extrinseco, resultat enim necessaria quadam, & naturali proprietate subsistentia tunc temporis, aut momenti, cum principium subsistentiæ suis ornatum perfectionibus debitam sibi, naturalemq; in corporis partibus sedem obtinet. Ex quo prætereà fit, vt eam statim omnes corporis partes sortiantur iuxta illarum exigentiam, sicuti enim vna, & eadem rationalis anima, de qua dubiũ præsens oritur, iuxtà corporis partium dispositiones, & cõgruentem illarum necessitatem, alijs membris augmentationem, & accretionem tantúm, alijs etiam sensus, & sentientis facultatis operationes, alijs prętera rationis munera impartitur, sic eadem anima, vitam, & subsistentiam pluribus humanæ naturæ partibus, vt ossibus, neruis &c., alijs verò subsistẽtiam tantùm, vt sanguini, tribuit, sic postulante sanguinis exigentia.

Pluralitas formarum nõ probãda

Altera responsio.

Tres alios humores intrinsece sibi Verbum copulasse.

Septima argumentatio aliam tangit quæstionẽ, quæ est, an tres alios humores assumpserit Verbum diuinũ, nec ne, quam breui expediens cum communi sapientũ opinione arbitror proximè fuisse Diuino Verbo copulatos

tos. Etenim ſunt de veritate humanæ Chriſti naturæ, & ad ſubſtantialem, omninoque completam corporis Chriſti compactionem perneceſſarię, non tantũ, vt quædam corporis ornamenta, & inſtrumenta, quorũ ſubſidio ſanguis debitam habet temperiem, verum etiã quia ex Diuo Auguſtino libro de ſpiritu, & anima, corpus humanum, quale fuit illud Chriſti domini, conſtat ex membris officialibus, officialia conſtant ex ſimilaribus, ſimilaria ex humoribus. Deindè ſunt naturæ Chriſti veræ partes, ac proinde, vt omnes fermè theologi aſſerũt, ſunt futuri in glorioſis reuiuiſcentium hominum corporibus. Quocircà, vt ad argumenti ſolutionem proprius accedam, huic ſubſcribentes opinioni inconuenientis, aut alicuius abſurdi labem non incurrunt; nam humores illi, qui nonnumquam ex ore Chriſti profluebant, de quibus militat argumentum, non fuerunt veri, ac naturales humores, qui humanæ naturæ conſtructionem ingrederentur, ſed potius excrementa quædam, ex illis quatuor primis humoribus, virtute caloris naturalis generata, his autem Verbum diuinum nequaquam copulatum fuit; excrementitijs enim partibus, quales fuerunt ſudor, vrina, & ſi quæ ſunt huiuſmodi, hypoſtaticę vnionis dignitas haud eſt concedenda.

D. Auguſtinus.

Excrementi: Verbum diuinũ non fuiſſe copulatum.

Si vlterius arguas, verum eſſe phlegma illud; quamuis gratis hoc aſſeratur, rem ita ſe habere, eſto; haud tamẽ hinc abſurdi aliquid ſequitur, illico .n. ac ex ore Chriſti ſeparationem habuit phlegma, habuiſſe illud etiam à Verbo ſeparationem oportuit, quandoquidem nõ amplius humanę Chriſti naturę erat copulandum; qua ratione ẽt sãguini effuſo, ſi quid illius erat nobis remanſurum

rum terris, neq; deinceps Christo vniendum, à Verbo seiunctionem accidisse alibi probabimus.

Vltimum friuolum est, neq; quæstione illa, aut citato articuli loco huiuscemodi aut verba, aut certe sententiã habet Angelicus doctor, vt legentes facillimè poterunt attestari.

Animales, & vitales spiritus non sunt à verbo assumpti proximè.

Sed quid de spiritibus animalibus, & vitalibus sentiẽdum est? assumpti ne fuere à Verbo, an magis derelicti? etenim non leuis se ingerit nobis causa dubitandi; vitales siquidem spiritus à sanguine virtute innati caloris generantur, & elaborantur; quin immò opinati sunt nonnulli spiritus subtilissimi, ac perfectissimi sanguinis partes esse quasdam, quibus spiritũ, & vitam ducimus, & fouemus; atqui sanguinem fuisse Verbo coniunctum citrà litem putandum est, ergo & spiritus, qui cum sanguine sic cohęrent, vt nulla coniunctio cum eodem fieri posse videatur, quæ simul cum ijsdem spiritibus non efficiatur. Quidam doctores cùm tactis rationibus commoti, tùm etiam quia sine illis vitam propagare non potuit Christus, probabiliter sustineri posse cẽsuerunt, animales spiritus à Dei filio assumptos fuisse. Alij autẽ, quorum ego sententiam lubenter amplector, contrarium tutius, ac probabilius esse contendunt; neq; enim in primis sunt humani corporis partes, sicut humores cæteri; præterea temere, & absq; probabili vlla ratione spiritus sanguinem esse tenuissimum sunt arbitrati.

Spiritus animalis non sunt sanguis tenuissimus.

Tertiò mutua illa spirituum coniunctio cum sanguine, non fit substantiali aliquo vinculo, quod tamen requireretur, si ad sanguinis assumptionem spiritus pariter essent assumendi; sunt enim quædam tantummodo

san-

ſanguinis inſtrumenta, quibus haud hypoſtatica vnio debetur. Ad hæc non potuiſſe vnionem hypoſtaticam inter illos, & verbum intercedere, illud mihi magno indicio eſt, quod in perpetua agitatione ſunt conſtituti, & nunc ducuntur, nunc reducuntur, & tandem numquã conquieſcunt; ex quo haud credibile fit, vt toties fiat, ac diſſoluatur cum ijſdem ſpiritibus Verbi vnio hypoſtatica; & hæc à nobis obiter dicta de ſpiritibus ſatis ſint.

CAP. V.

Num Dei filius æqualiter humanæ Chriſti naturæ ſanguinem aſſumpſerit.

PRoſequamur modò aliorum ſententias. Caietanus enim tertia parte quæſtione quinta in commentarijs ſuper ſecundum Angelici doctoris articulum, quærens; An ſanguis, qui erat in corpore Chriſti, vnitus eſſet diuinitati, abſolutè concedit vnitũ fuiſſe Verbo diuino ſanguinem Chriſti ad hunc modum ſcribens ſub commentarij finem. *Abſque dubio igitur credendum eſt filium Dei aſſumpſiſſe corpus terreſtre, hoc eſt carnem, & ſanguinem, vt d uidendo quæſtionem auctor titulum explicat.* Sic Caietanus. Verùm quia in obſcuro latebat, adhuc quæ, & qualis in huius doctoris via eſſet aſſumptio illa ſanguinis, proxima ne, an remota, & conſequens tantùm, propterea clarius ſuam ipſe mentem aperuit tertia parte quæſt. 54. articulo 2. in explicatione ſecundę ibidem motæ difficultatis; vbi arbitratur dubitationem hanc, de qua quærimus, explicari commode

posse, admissa illa sanguinis distinctione, de qua nos plura diximus supra libro; primo ex quibus omnibus Caietani placitum duabus hisce conclusionibus contineri, apertissimè colligo.

Caietani opinio. Sanguis nutrimentalis hypostaticam vnionem nunquam habuit.

Sanguis tamen perfectè decoctus, & ad naturæ integritatem pertinens proximam cum Verbo diuino semper obtinuit hypostaticam vnionem.

Non immorabor hoc loco peculiarè hanc Caietani de sanguine Christi excogitatam distinctionem explicare; etenim, quæ hic desiderari videntur, petenda sunt ex lib. primo, vbi latè de hac re disputauimus. Illud solùm obiter monuerim, quod non incuriosis Caietani doctrinæ æstimatoribus forte haud erit ingratum; non ea ratione nutrimentalem sanguinem à Caietano dici, quia nutriat, cæterisq; corporis partibus necessarium præbeat alimentum, dum nutritur, augeturue homo, quemadmodum video nõ paucos huius nostræ tempestatis neotericos scriptores putasse; sed potius sic à Caietano fuisse appellatum; quoniam ex cibis, qui in alimentum homini comparantur ad sustẽdandam animàlis vitam, primò oritur quodammodo imperfectus, crudus, minimèq; decoctus, quiq; nondum peruenit ad perfectè habendam sanguinis, qui Christi pars erat, naturam; vt colligere licet ex ijs, quæ adhunc modum tradit citato loco. *Ille inquam sudor sanguineus fuit humor sanguineus adhuc crudus, hoc est non redactus perfectè in sanguinem, qui pars est hominis; & huiusmodi crudus humor vocatur sanguis nutrimentalis.* Hæc ille; quibus nihil ad

Quo in sensu à Caietano sanguis nutrimẽtalis appelletur.

nostram

noſtram hanc veritatem ſtabiliendam poterat clarius optari, neq; enim, quia nutriat, ſanguis nutrimentalis appellatur, ille ſiquidem tantũ in Caietani via nutrit, qui perfectè decoctus eſt, quare vt nutrimentalis ſanguis nutriendi officio fungi valeat, prius perfecti ſanguinis naturam aſſequi debet.

Quid verò Caietani animum ad imprimendam ſibi hanc peculiarem viam impulerit, docui ſuperius. Rationes etiam, quæ præſentem Caietani opinionem defendunt, hæ videntur; Verbum eum ſibi tantum modo ſanguinem vniuit in hypoſtaſim, qui vera fuit Chriſti naturæ pars; ſanguis autem nutrimentalis inter Chriſti naturæ partes non eſt conſtituendus. Prætereà nutrimentalis non viuebat, vitalis autem ſanguis vita potiebatur, verbum autem Diuinum viuentes ſolum naturæ partes aſſumpſit. Verùm hęc argumenta ijſdem reſponſionibus, quas alibi protulimus, refelli debent, ibidem namq; probauimus, & ex falſis hanc Caietani opinionẽ procedere fundamentis, & totum humanæ Chriſti naturæ ſanguinem omni prorſus viuenti anima carere; quibus nihil impedientibus viſum eſt prętereà, eundem ſanguinem veriſſimam Saluatoris noſtri corporis partem fuiſſe. Amplius hanc Caietani opinionem paulo poſt fortioribus coarguam argumentis.

Tres illi prædicatoriæ familiæ doctores egregij, quorum nomina recenſet, & doctrinam ſequitur Syluester in quæſtionibus Euangelicis huius diſtinctionis, nutrimentalis, ſcilicet, & perfecti ſanguinis mentionem fecerunt; ſed, vt mea fert opinio, illi non ſubſcribunt Caietani ſententiæ, quamuis enim nutrimentalem ſan-

Hi erant Pio ſecundo olim diſputarũt.

guinem in passione effusum post glorioſam Christi domini à mortuis resurrectionem ad hypostaticam vnionem nolint fuisse reassumptum, idem tamen affirmare non sunt ausi de nutrimentali sanguine, dum in viuo Saluatoris corpore ante mortem reperiebatur; atq; hunc esse sensum, & mentem illorum doctorum mihi videor posse colligere ex ea ratione, cuius efficacia persuasi sanguinem nutrimentalem nunc in terris hypostatica Verbi vnione carere concesserunt, quia inquiunt illi, nutrimentalis sanguis conditioni, ac statui Christi resurgentis, qui nullo nutrimentali humido indigebat, repugnare videtur; quę ratio apertissimè militat de sanguine nutrimentali tantum post Christi resurrectionem considerato; ante mortem enim, quis poterat inficiari non modo congruentem, sed penitus necessarium Christo fuisse nutrimentalem sanguinem? crescebat enim, & augebatur perfectissimo modo Christus dominus, quod tamen sine conuenienti nutrimento, qualis solus est sanguis, fieri minimè poterat.

Ioannes Maior. Maior etiã 3. sent. dist. 37. quæst. 2 5. sanguinem nutrimentalem in Saluatore agnouisse videtur, sed diuersa tñ ab ea graditur via, quã Caietani doctrinę studiosi in prę-senti difficultate certo pede calcant, vt dicemus.

Syluestri sententia. Ad extremum Syluester de Prierio tractatu 3. quæst. Euãgelicorũ quæst. 3 1., etsi à Caietano in multis dissentiat in nutrimentalis sanguinis negotio, vt alibi notauimus; Simile tamen quippiam Caietani sententiæ, vel potius idem tradit, dum de hypostatica vnione, quã sanguis Christi cum Verbo habuit, disputat. Nam prę-fractè defendit nullo vnquam tempore à Verbo diuino

assumptum

assumptum fuisse proximè sanguinem nutrimentalem, quamuis sanguinem, quem, & salubrē, & humanæ Christi naturæ partem appellat, intimè vnitum, ac Diuino Verbo in hypostasim copulatum esse velit; hanc opinionem cùm alibi Syluester, tùm maximè docuit in illis verbis. *Sed restat dubium, quia videtur Pontifex idem affirmare de sanguine salubri, qui fuit diuinitati vnitus, & de veritate humanæ naturæ.* Fundamenta Syluestri cum Caietani rationibus conueniunt, quæ omnia, & ante confutaui, & præsenti etiam loco vtriusque opinionem aliquot veluti rationum machinis demoliri non desinam.

CAP. VI.

Aduersus Caietanum, & Syluestrum ostenditur totum sanguinem Christi à Verbo fuisse assumptum.

PRincipio enim, ex probatis clarissimum est, nullum dari in Christi sanguine substantiale discrimen, Verbum vero diuinum, vt aduersarij vltrò concedunt, perfectum sanguinē, qui pars est naturæ assumpsit, totum igitur sanguinem assumpsisse, intimeq; sibi copulasse Dei filium affirmandum est; quandoquidem totus eiusdem est substantialis perfectionis.

Præterea sacra scriptura inspirata diuinitus, & sexcēta Sanctorum Patrū testimonia, qui in diuinis perscrutandis sunt certissimi duces, [neq; .n. cæleste sanguinis Dñi mysteriū, quod non nisi Deo docēte discitur, solida aliqua naturali ratione, aut certis cōiecturis assequi possumus;] idē testantur. Etenim vno ore, vnaq; voce toti, omnibus, & singulis ēt sanguinis portiunculis idē meritū, eandē efficaciam, valorem simile, ęqualē dignitatē

conce-

D. Petrus. concedunt; sic enim legimus in epistola D. Petri cap. 1. *non corruptibilibus auro, & argento, sed precioso sanguine agni immaculati redempti estis.*

Quid? à toto etiã, & singula quauis sanguinis Christi parte peccatorũ remissionem prouenire illa Diui Lucæ verba testantur. *Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum,* idem ad Colossenses primo traditur, nec aliud ex cap. 9. ad Hebræos haberi potest; *si enim*, inquit Apostolus, *sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis; quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semet ipsum obtulit immaculatum Deo, emũdauit conscientias nostras* &c. Possem hoc loco innumeras Sanctorum Patrum auctoritates, qui in hac re consenserunt, proferre in medium, & mihi vtiq; facillimum esset munus hoc exequi, quamlibet copiosè; sed quia aperta res videtur, & omnibus vel leuiter in Patrum doctrina exercitatis res apprimè cognita, vnum duntaxat Damasceni testimonium mox adducam; interim colligens hanc ex prædictis illationem. Ergo si nullo discrimine peccatorum sordes tollit totus Christi sanguis, totus omniũ hominum peccata delet, totusq; valore pollet infinito; quorsum Caietanus nouam hãc, & admirabilem nimis acutè excogitauit opinionem, quam nulla scriptura sacra, nullus Sanctorum Patrum, ne per suspicionem quidem attigit vnquàm?

Ad Col. Ad Hebreos

D. Damascenus.

Certe; an nõ euidenti etiam ratione falsam esse Caietani, & Syluestri opinionem colligere licet ex verbis Damasceni libro tertio sententiarum cap. 6. qui de Hypostatica vnione humanæ Christi naturæ facta cum

D. Damascenus.

Verbo

Verbo loquitur adhunc modum. *Omni humanæ naturæ vnitam dicimus omnem diuinitatis ſubſtantiam, in nullo enim eorum, quæ plantauit in noſtra natura Deus, Verbum ab initio Pſalmas non defecit, ſed aſſumpſit corpus, & animam rationalem, & intellectualem, & eorum idiomata, totum enim me totus aſſumpſit, & totus toti vnitus eſt, vt toti mihi ſalutem gratificet; quod enim inaſſumptum incurabile*; quod porrò Sancti Damaſceni teſtimonium ad Caietani ſententiam refellen dam eſt adeò præclarũ, vt Damaſcenus adhunc prorſus finem illud excogitaſſe videatur; toti enim humanæ naturæ vnitus eſt Deus; ſingulis igitur, & omnibus naturæ partibus vniebatur; totum enim, vt cum Ariſtotele phyſici tradunt, illud eſt, quod omnibus ſuis partibus conſtat; quocirca, ſi omnia, quæ in Chriſto erant Dei manu fata, aſſumpſit Verbum, igitur, & ſanguinem nutrimentalem, quem in natura Saluatoris à principio poſuit idem Deus, ſibi debuit copulare, & deniq; ſi toti totum vnitum eſt Verbum, cur contentum in toto corpore nutrimentalem ſanguinem ab hoc priuilegio excipere voluit Caietanus?

At dicet reor, etſi sãguis ille in toto reperiretur Chriſti ſuppoſito, parstamen illius non erat. Verùm, quam ſit hoc infirmum refugium, iam ſæpius oſtendimus. Et adhuc ſequitur aduerſus Damaſcenum, Verbum ſanguini nutrimentali ſalutem non contuliſſe; quin immò incurabilem fuiſſe Chriſti ſanguinem; à quo tamen omnem medelam, omnemq; ſalutis humanæ gratiam proficiſci Catholica fides docet. *Obiectio Caietani. ſolutio.*

Tandem inſignis eſt Diui Pauli ad repellendum Caietanum locus ille ad Hebræos cap. 2., quo loci tradens *Paulus ad Hebræos.*

Apoſtolus

Apostolus rationem, & modum, quem in assumptione naturæ rationalis Dei filius seruauit; his verbis diuinè philosophatur. *Quia ergo pueri communicauerunt carni, & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem.* Ex quibus sic mihi videor posse ratiocinari. Verbum Diuinum cum humanam carnem, & sanguinem humanum sibi ineffabili modo vi vnionis hypostaticę coniunxit; vt omnino incarnationis mysterij veritatem saluaret, non quoquo modo, aut quauis ratione carnem voluit assumere, & sanguinem; sed perinde, ac pueri, cæteriq; hominum participare consueuerunt propriam naturam, ea enim vis est, vocis illius *similiter*, siue vt, codex syrus legit, *adhunc modum*, sed pueri in prima corporis sui constitutione omnem penitus sanguinem intimè copulatam obtinent; totum participant, & totum in sui suppositi vnitatem coniunctum possident, idem igitur pariter agere debuerat Verbum. Nec aliter, quam nos, plurimi Patrum hanc Sancti Pauli auctoritatem interpretantur. Sic enim eam intellexit Sanctus Cyrillus libro de incarnatione vnigeniti in eo sermone, cui titulum fecit. *Quod Verbum Dei factum sit homo*; vbi posteaquam citata magni Pauli verba narrauerat, subdit. *Ecce iterum ipse similiter, vt nos participauit sanguini, & carni, & ea res habet causam coniunctissimam, & proximam*, &c. non secus igitur, ac nos, vnitũ sibi habuit humanum sanguinem Dei filius; quod præterea idem Cyrillus paulo antea capit. 2. docuerat his verbis. *Emanuel nominatur Deus Verbum, quod Abrahæ semen apprehendit, & similiter ac nos participauit carni, & sanguini carnis.* Clarè etiam eandem doctrinam omnibus ferme capitibus

Cõfirmatio.

Cyrillus Alexãdrinus.

bús, & libro de recta fide ad Reginas poſt principium repetit. Deinde Sanctus Thomas cuius auctoritate ſuã aduerſarij conantur defendere opinionem, noſtram hanc interpretationem maximè probat lectione quartã in cap. 2. ad Hebræos, vbi cum præmiſiſſet per carnem, & ſanguinem ſubſtantiam carnis, & ſanguinis intelligendam eſſe, addit. *Ita eſt intelligendum de paſsibilitate carnis, quia aſſumpſit naturam noſtram paſsibilem. Et ipſe, ſcilicet Chriſtus, participauit eiſdem, vel pueris in natura carnis, & ſanguinis, vel eiſdem ideſt carni, & ſanguini, non quidem phantaſticè, vt delirat Manichæus; nec accidentaliter, vt fingit Neſtorius; ſed ſimiliter ideſt eo modo, quo nos participamus, ideſt ſecùndum rei veritatem, ſcilicet perſonaliter, & ſubſtantialiter. Nos enim participamus eis in perſona, & Chriſtus etiam ſimiliter aſſumpſit eam in vnitatem perſonæ.* Quæ doctoris Angelici verba clarè demõſtrant, in illius principijs, quocunq; ſe vertant Caietanus, & Syluëſter, abſq; hæſitatione vlla afferendum eſſe, totum, ſiue omnem humanæ Chriſti naturæ ſanguinem in vnitatem perſonæ, hoc eſt in vnitatẽ hvpoſtaticam à Verbo fuiſſe aſſumptum. In eandem interpretationem libenter conceſſit D. Ambroſius libro de fide ad Gratianum tertio capite quinto; ſic ſcribens. *Ergo quia filij participes ſunt carnis, & ſanguinis, & ipſe ſimiliter particeps factus eſt eorundem, vt per mortẽ deſtrueret hunc, qui mortis habebat imperium. Quis ergo eſt, qui nos participes ſuæ voluit eſſe carnis, & ſanguinis? vt q; Dei filius,* Idem arbitratur Oecumenius in eundem locum, cuiusverba referre ſuperſedebo, ne forte longior ſim, quam eſſe velim.

S. Thomas

D. Ambroſius.

Oecumenius.

Hinc tandem colligo ad iſtarum auctoritatum vim,

& robur declinandum, nõ valere vti eorum perfugio, qui citata scripturæ, & Sanctorum Patrum testimonia de nobiliori tantum Christi sanguine accipienda esse contendunt, extortam siquidem, & mancam, minimeque cum proposito, & Sanctorum Verbis congruentem illorum expositionem esse, nullus est, etiam non admonitus, qui non videat adeo clarè, vt vlteriori confutatione non sit opus; de toto enim Christi sanguine vnus, & idem est patrum, & scripturæ sensus, vna mens, & eadem locutio.

CAP. VII.

Explicantur aliquot dubitationes.

Dubium. Quo modo potuerit remanere in terris pars aliqua sanguinis Christi.

SEd oritur dubium hoc loco; si nullus in Christo dabatur nutrimentalis sanguis, qui hypostaticam non haberet cum Verbo vnionem, qua ratione potuit aliqua sanguinis Christi particula in terris remanere, quod sustinendum esse infrà docebimus; neq; enim facilè intelligi posse videtur, quî hæc duo concedi possint, cum in confesso sit apud omnes theologos in quarto sententiarum distinctione quadragesima quarta, & præcipuè apud Diuum Thomam cùm ibi, tùm quodlibeto quinto quæstione tertia articulo quinto corpore, Christum dominum omnia, quæ ad naturæ veritatem pertinebant, post mortem in resurrectione reassumpsisse; atqui totus sanguis, vt late probatum fuit, ad humanæ Christi naturæ integritatem pertinebat; omnem igitur, totumq; penitus reassumpsit sanguinem, eumq; sibi coniunxit intimè Christus. Quæ illatio eludi posse nulla

nulla ratione videtur, nisi cum Caietano affirmemus in Christo sanguinem fuisse nutrimentalem, qui quoniam ad hypostaticam vnionem nullo vnquam tempore fuit eleuatus, propterea potuit nobis in orbe terrarum remanere.

Præterea difficultas augetur; nam Christi resurrectio teste omnium theologorum cætu, eiusq; glorioſissimum corpus perfecta integra,& completa fuêre; integrũ autẽ illud dũtaxat corpus iure merito appellari potest, quod omnibus quocunq; modo ad se spectantibus pollet; si ergo ad integritatem, & corporis Christi absolutã constitutionem quælibet etiam minima sanguinis portiuncula pertinebat; aut temerè aliquid sanguinis Christi in vniuersitate adhuc etiã religiosè coli affirmaremus; aut certe cum Caietano esset asserendum, aliquem fuisse in Saluatore sanguinem, qui intimè Verbo non vniretur, quiq; nulla corporis eius pars foret.

Verũ nec ista nos tangunt, nec Caietano suffragantur; dicere .n. merito possumus nos illud de sanguine, quod de Christi domini præputio dixêre complures theologi, Dei videlicet filium nouã sibi carnem efformasse, eamq; corpori proprio coniunxisse, ex quo fiebat, vt in nulla Christi corporis parte post resurrectionem diminutio remaneret, remanente tamen adhuc in terris vero corporis Christi præputio; quod idem, inquam, de sanguine asserere nos possemus absq; vlla temeritatis labe; atq; adeò dicendum videretur, vice illius sanguinis ad naturæ integritatem pertinentis in terra relicti, post resurrectionem alium sibi sanguinem efformasse Christũ, cuius substantia omnino perfectissimi reddebatur cor-

Dubij explicatio.

Quid de præputio Christi aliqui arbitrati fuerint.

poris, Christi resurrectio. Sed quia tale responsum non plane euacuare videtur difficultatem, nec ijs satisfacere, quorum probabilior est opinio, quæ docet illum eundē sanguinem, qui ad naturæ Christi veritatem faciebat, fuisse assumptum à Verbo post Christi resurrectionem; & quia etiam secundò talia dicentes confugiunt ad miracula, quæ non nisi magna cogente necessitate inducenda sunt, ideo tutius dicendum videtur, remansisse in terris sanguinem, nec alium vice illius fuisse à Verbo procreatum, absque eò quòd aliqua facta, siue secuta fuerit diminutio, quę integritati Saluatoris, aut eiusdem perfectæ resurrectioni potuerit officere; quod vt illustrius, ac clarius euadat, reuocandum est in mentem, sanguinem Christi ex toto suo genere fuisse nutrimētalem, ad nutritionis enim munus à natura destinatum, procreatumq; sanguinem esse constat; qui etsi totus ad naturæ integritatem faceret, essetq; Christi domini supposito necessarius, quandiu vitam hanc mortalem agebat, vt nutritio perageretur commodissime; quia tamē diuersissimus fuit corporis Christi domini status, postea quam deuicta morte surrexit immortalis, nullo indigēs nutrimento, nulliq; penitus mortalis naturæ necessitati obiectus; propterea potuit aliquam sui sanguinis partē nō assumere post debellata inferorum loca sine aliquo corporis proprij detrimento, quod minorem sanguinis copiam in fæliciſſimo illo immortalitatis, & impassibilitatis statu sibi postulat; Nec præsens doctrina communi theologorum axiomati repugnat, quo totū id, quod fuit de integritate naturæ reassumpsisse Verbum affirmant; illud enim interpretandum est non de toto pertinente

tinente ad naturę integritatem quouis modo conſideratæ, ſed de toto ſpectante ad integritatem immortalis naturæ, impaſſibilis, & cæleſti gloria donatæ, ſicq; aſsũpſit totum, quod fuit de integritate conuenienti, & naturæ immortali congruenti, quã arbitror minus ſanguinis ad ſui completam conſtitutionem ſibi poſtulaſſe poſt adeptam immortalitatis gloriam, quam exigeret ante paſſionem; & hæc ad prętens ſufficiat reſponſio, nã cum rurſus de hac difficultate peculiaris mihi occurret quæſtio, alias huius dubij explanationes adducam.

CAP. VIII.

Diuinum Verbum totam ſanguinis Chriſti ſubſtantiam aſſumpſiſſe, eamq; ſibi proximè in vnitatem perſonæ copulaſſe.

REiectis eorum opinionibus, qui vel remotam tãtùm, vel duplicem, intrinſecam ſcilicet, & extrinſecam conceſſerunt ſanguini Saluatoris cũ Verbo vnionem; reliquum eſſe videtur, vt quid nobis veriſſimum appareat, ſubijciamus; quod eſt præcipuum huius difficultatis munus, & ſine quo iacta fundamenta inutilia eſſent, & ingrata; maxime cũ videam plurimos fuiſſe vnionis proximæ ſanguinis Chriſti cum Verbo, eoſdemq; magnos propugnatores, ſi cum oppugnatoribus comparentur. Etenim vnitum eſſe proximè in Hypoſtaſim Verbo diuino ſanguinem præter citatos iam, & confutatos doctores, concors omnium fuit fermè ſapientiſsimorum virorum ſententia. D. Thomæ in cap. ſecundum ad Hebræos lectione 4., quodlib. 5. quæſt. 3. ar. quinto corpore; 3. par. quæſt. 5. art. 2. & alibi ſæpius. Maioris tertio diſtinctione trigeſima ſeptima quęſt. vigeſima

Auctores, qui proximam cum verbo ſanguinis Chriſti vnioni concedunt

vigesima quinta. Alberti Magni tractatu de sacrificio missæ. Ioannis Capreoli quarto distinctione vndecima quęstione prima articulo tertio in responsione ad quintum contra primam conclusionem. Dominici de Dominicis in suo tractatu. Nicolai de Lyra, cuius verba, quoniam ad prędsentem materiam illustrandam plurimum valent, hîc apponam; in illud enim ad Hebręos 9. antea citatum sic inquit *Probat suppositum quoddam circa vltimum dictum; quod sanguis Christi fuit efficax ad nostram redemptionẽ æternam, & facit rationem hanc; sanguis Christi ex vnione ad suppositum diuinum habet virtutem maiorem ad emundationem animæ, quam sanguis hircorum, & vitulorũ, & aqua lustrationis ad tollendam immunditiã corporalem &c. & patet, quia sanguis Christi ex eius vnione ad suppositum contraxit quandam infinitatem virtutis*, &c. Hæc Lyranus in quã eandem sententiam iuit Bartholomęus Medina 3. parte quęst. quinta articulo 2. & cum eo recentiores Theologi omnes. Quin immo tribuitur à nonnullis hęc eadem opinio Cardinali de Thurecremata in cap. inuitat, de consecratione distinctione 2. & Soto 4. distinctione 10. quæst. 1. artic. 2. post medium; sed, ni mea me fallit opinio, iure non potest hoc placitum ijs in locis de illis affirmari; Nam cum Thurecremata eo citato capite nõ similem modo sententiam, sed etiam orationem, & verba ipsa Angelici doctoris quodlib. 5. descripta habeat, quę valde dubiam habent explanationem; maximè cum ijsdem innixus principijs oppositũ nostrę sententiæ tueatur Caietanus; non video cur Cardinalem Thurecrematam nostrę sentẽtiæ assertorem facere possint. Nec aliter puto de Soto opinand m, qui suam

Lyranus.

Suarez, & Vasquez 3. p. q. 5. a. 2.

ipse

ipſe ſententiam hiſce verbis explicat, verſiculo, *ad hæc reſpondetur, quod etſi ſanguis, & reliqui humores non ſint vniti corpori, nec ſic anima informentur, vt viuant, immo habeant proprias formas ſubſtantiales, licet imperfectas; nihilominus ſunt de integritate, ac perinde de veritate corporis, ſine quibus corpus viuere non poſſet*, & paulo poſt, *vnde non eſt negandum, quin Chriſtus conſequutiuè aſſumpſerit ſanguinem, & reliquos humores, ſine quibus viuere non poterat*; Hæc Sotus, ex quibus niſi in meridiana luce cęcutire, vt aiunt, quis velit, nihil aliud ex Soto haberi fas eſt, quam conſequutiuè aſſumptum fuiſſe à Verbo diuino ſanguinem. *Soto.* *Totius quæſtionis illuſtratio.*

Pro generali notitia eorum, quæ tractanda, & ſtatuenda ſunt, prænoſcere oportet hoc loco nonnulla, quibus lux, & claritas noſtræ opinioni accedet; & prius etiam oppoſitarum opinionum ſenſus cognoſcetur, vt agnitus faciliori negotio refellatur; etenim luce aliqua opus eſſe video, vt innoteſcat, quid Durandus, alijq; doctores ſibi voluerint, cum Verbum diuinum remotè, ſeu conſequenter tantùm ſanguinem aſſumpſiſſe aſſeruerunt, & explanationem vtilem fore non ignoro, ſi pateſiat, quæ ſit mens, & cogitatio mea, cum proximè ſanguinem Chriſti Verbo eſſe copulatum dicam; Vt igitur nec claritas, nec huius rei deſideretur ſufficiens explanatio.

Eſt in primis non ignorãdum, ſubſtantiam creatam, quæcunq; illa ſit, ſiue completa, & perfecta, qualis eſt humanæ naturæ vnitas, & perfectio, ſiue incompleta, & imperfecta, vt ſunt eiuſdem rationalis naturę partes, duplicem ſibi vendicare exiſtendi modum. Alterum, quem aptitudinalem eſſendi per ſe modum appellant; *Duplex exiſtendi modus eſt rerum creatarum.*

qui

qui aptitudinali inhærentiæ opponitur [vt à terminis scholæ non recedam] ; secundum , qui modus per se existendi actualis appellatur , qui non aptitudinali, sed actuali opponitur dependentiæ. Hoc secũdo modo cõmunita natura re ipsa ab alio sustẽtante, ac fulciente nõ dependet, sed sui iuris est, & mole, vt ita loquar, sua stat. Porro præsens distinctio, quæ diu creatæ intelligentię ignota fuit, nobis tandem diuinitus ex Incarnationis mysterio innotuit ; nam cum nulla ratione fieri potuisset substantialis, & intima vnio Verbi cum humana natura, nisi & Verbum, & natura extitissent, [certum namq; est apud omnes melioris notæ philosophos, verã non posse dari vnionem duorum , quæ discretas inter se obtineant substantias ; nisi vtrumq; re ipsa extet per proprium existendi modum ,] propterea necesse omnino fuit, vt humana Christi natura , quæ Verbo erat coniungenda , prius natura , quam Verbo vniretur , propriam , & peculiarem haberet existentiam , virtute cuius in rerum vniuersitate duntaxat constitueretur. Verùm quia eadem Christi Domini natura carebat perfectione illa , quam, personalitatem dicunt ; nec per se existebat vltimatè independenter ab alio quouis à se verè distincto ; [sustentabatur enim à Verbi personalitate creatæ personalitatis vices gerente , ratione cuius propriè Verbum caro factum est] ideò Christi natura primum per se existendi modum habuit , sed secundo nobiliori spoliata fuit per se existẽdi modo ; ac proinde solam habuit creatam existentiam , interim creata carens subsistentia ; primus enim modus a Theologis existentia , subsistentia vero secundus appellatur.

Aduerten-

Aduertendum pręterea totam Chriſti naturam, eiuſdemq; ſingulas partes in ea vnione, qua Verbo diuino copulatæ ſunt, primum retinuiſſe per ſe exiſtendi modum [quamuis hoc non maximè probetur ijs, quorum animis contraria inſedit opinio, quam à certo veritatis tramite deflectere arbitror, etiam ſi Caietanus, & Thomiſtarum pleriq; alij renuant], & alterum per ſe exiſtendi proprium modum amiſiſſe; etenim Verbum ſua infinita ſubſiſtentia non corpus, & animam ſolùm, ſed reliquas etiã humanæ Chriſti naturæ partes miro quodam, ineffabiliq; modo terminauit, fecitq; Verbum, quod alias vi, neceſsitateq; naturali creatæ naturæ ſubſiſtentia effeciſſet, ni à Verbo fuiſſet impedita; quare ſicuti humana ſubſiſtentia omnes plane Chriſti naturæ partes terminaſſet, ita pariter nobiliori ratione eaſdem ſuſtentauit Verbum, ſecluſa tamen ea, quę in huiuſce modi operationibus creatis reperitur, imperfectione; nam creata ſubſiſtentia ex pluribus conflata eſt partibus diuerſis corporeis partibus, quę beneficio ſubſiſtentiæ potiuntur, reſpondentibus; at vero licet diuina Verbi ſubſiſtentia ſimpliciſsima eſſet, & impartibilis; ea tamen vna omnes Chriſti naturæ partes gaudebant.

Plures Sancti Thomæ Diſcipuli non ſubſiſtentiã modo naturæ Chriſti humanæ debitam, verum etiam exiſtẽtium non concedunt.

Hinc aperta concluſionis noſtræ explicatio, & manifeſtum inter nos, & Durandum, alioſq; doctores diſcrimen colligitur; nam quia opinamur nos, Verbum ſubſiſtentia ſua Chriſti ſanguinem terminaſſe, ob id ſanguineam ſubſtantiam proximè, & intrinſecè Verbo diuino eſſe copulatam in concluſione diximus: At verò, quia Durandus, & alij, aduerſus quos antea eſt diſputatum, licet Chriſti corpus, & animum à diuina Verbi ſubſiſten-

tia terminata fuisse concedant [quandoquidem est hoc certissimum fidei Catholicæ dogma] eandem tamen Verbi subsistentiam Saluatoris sanguini concedere nolunt, arbitrantes Christi sanguinem non modò primũ per se existendi modum, sed etiam obtinere secundum, at quia dominisãguis in eo corpore reperiebatur, quod intrinsecè Verbo esse copulatum admittunt; propterea, sanguinem etiam domini consequenter, & remote fuisse assumptum dixêre.

CAP. IX.

Quibus rationibus inualidè probent nonnulli opinionem nostram.

Quædã rationes inualidæ refelluntur.

NVnc reuertamur ad nostram opinionem, quam, & verissimam iudico, & omni prono sensu amplector, de qua libet imprimis, antequã solidas adducamus rationes, quibus proximam, & intrinsecam Verbi cum sanguine vnionem peractam esse probabimus, explodere nonnullas quorundam rationes, quas ad præsentem nostram opinionem stabiliẽdam validas esse, cum tamen huiusmodi non sint, pleriq; arbitrantur; rationes autem huiusmodi sunt. Verbum diuinum omnes viuẽtis corporis Christi partes assumpsit, sanguis verò vitali excellit principio; debuit igitur à Verbo assumi. Sed quam infirma sit hęc illorum argumentatio, quę supra passim docuimus, facile demonstrant, ex trito enim illo, & falso oritur principio, quo nihil à Verbo assumptum esse volunt, quod rationali anima non informetur. Prætereà Christi domini sanguis ex peculiari

Vide quæstionem de animatione sanguinis.

liari Dei ordinatione, & consilio iustum, & exactum esse debebat reparationis nostrę precium, merces autẽ illa, qua homines à tyrannica Dæmonis potestate erant redimendi, vt valoris esset infiniti, & immensæ omnino dignitatis, requirebatur, quô satisfieri posset Diuinæ iustitiæ, cui infinita illata fuerat iniuria, quæ relaxari nulla ratione poterat, nisi persoluta, & exhibita infiniti honoris compensatione; atqui sanguis Christi non aliunde dignitatem hanc, & valorẽ immensum poterat haurire, quam à sola sanguinis domini cum Verbo vnione; necesse igitur fuit, quò hęc Dei ordinatio suum sortiretur effectum, vt sanguis Christi ad Verbi suppositum eleuaretur. Verùm quia ex nullo sacrę scripturę testimonio hęc peculiaris Dei ordinatio haberi potest, debile est fundamentum; Nam quamuis ambigere non liceat, quin sanguinis Christi virtute ruinas lapsæ naturæ Deus statuerit reparare; non tamen hinc colligi potest ob id assumptũ fuisse à Verbo diuino sanguinem, quemadmodum mox ostendetur. Deinde, vt hęc ita essent, ab extrinsecis, & remotis valdè principijs adumbrata tantùm vnionis Hypostaticę sanguinis Christi cum Verbo ratio peteretur; quæ tamen ex sanguinis ipsius conditione, & natura, vti nos faciemus, sumenda est: Quid, quod ne sic excogitata ratio propositam difficultatem tollit? si enim eo duntaxat, vel saltem pręcipuo fine est vnitus Verbo sanguis Christi, vt inde dignitatem traheret, & valorem infinitum ad persoluendum precium captiuitatis nostræ; quorsum necesse fuit ad vnionem sanguinis Christi cum Verbo confugere? cum eandem satisfaciendi efficaciam, & valorem infinitum sanguis domini

Secunda argumentationis confutatio.

mini possideret; eo quod sanguis esset infinitæ, & illimitatæ penitus personæ, qualis erat persona Christi, cuius humana natura cum Verbo simul eandem omnino indiuisam, indissolubilemq; personam constituebat.

CAP. X.

Adducuntur fortiora argumenta.

Primaratio.

QVare illa fortior, & ad intentum præsens comprobandum validior erit ratio, si ad hunc modum conficiatur; Secunda Sanctissimæ Trinitatis persona veram, & perfectam assumpsit naturam humanam, iuxta diuinum illud Diui Athanasij decretum.

In Symbolo D. Athanasij. *Perfectus Deus, perfectus homo ex anima rationali, & humana carne subsistens*; quidquid igitur perfectionis, integritatis, & veritatis in natura situm erat, debuit Verbum caro factum assumere; nemo autem tam rudis queit reperiri, qui nesciat, inter varias humanæ naturæ rationalis substantias, sanguinem recenseri, qui & vera pars est naturę, & ad perfectam eiusdem constitutionem absolutè conducit, à Verbo igitur Diuino assumi debuit sanguis. Cuius argumentationis non debile robur demoliri se posse arbitrati sūt aliqui; quibus veritas huius conclusionis non arridet, totam concedendo argumēti ratiocinationem; at inquiunt; ex hoc non habetur, sanguinem Verbo fuisse copulatum; aliud namq; est Verbum sanguinem assumpsisse, & aliud Verbum sibi sanguinem intrinsecè copulasse; etenim hæc duo valdè differunt, vt ex eo colligi potest, quòd Verbum pilos, & vngues assumpsisse meritò dicitur; quæ tamen non sibi intrin-

Aduersariorum oppositio.

intrinſecè copulaſſe probabiliſſimum eſt. Sed profectò puerilis admodum hæc reſponſio videtur; etenim, niſi velit quis rem præſentem ad quæſtionẽ nominis reuocare, (more eorum, qui ſæpè numerò grauiſſimas inter Theologos quæſtiones ſola nominis ſignificatione dirimunt,) eſt ſine dubio tale reſponſum ſola non ſententiarum, ſed verborum diſſenſio; ſiquidem Verbum ſanguinem aſſumere, & Verbum ſanguinem ſibi copulare in ſubiecta materia idẽ omnino ſonare cẽſent Theologi omnes; neq; aliquandò Verbum capillos, & vngues aſſumpſiſſe concedendum eſt, ſi poſtmodum eoſdem ſibi coniunxiſſe Verbum negetur; vtrumq; enim pari paſſu procedit, ac propterea aut concedendum vtrumque aut certe vtrumq; negandum, niſi apertam verborum nugationem in re grauiſſima cõmittere quis non erubeſcat. Quod multo tempore ante nos cognoſcens B. Damaſcenus, ne dum excogitatæ huic ineptæ reſpõſioni occurrit, eamq; deluſit in hunc modum ſcribẽs libro fidei orthodoxæ tertio cap. 6. *Omni humanæ naturæ vnitam dicimus omnem diuinitatis ſubſtantiam*, & mox *totum enim me totus aſſumpſit, & totus toti vnitus eſt.* Ecce quàm clarè prædictam fefellit Sanctus Damaſcenus obiectionem, dum inquit totus me totum aſſumpſit, & toti totus vnitus eſt.

Reſponſio.

D. Damaſcenus.

Secundò aſſertio noſtra probatur. Etenim concedi ſolet in arcanis litteris ſanguini Saluatoris ſingulare incorruptibilitatis, & immarceſcibilitatis priuilegium, quod cæterorum hominum ſanguini nec poteſt, nec conſueuit aſcribi; in Chriſto igitur huius prærogatiuæ cauſa erat, quæ in reliquis corporalibus creaturis non reperic-

Secunda ratio.

Sanguis Chriſti incorruptibilis.

reperiebatur, atqui nulla alia vera ratio etiam ad libitum excogitari potest, quam, quæ ex vnione sanguinis Christi cum Verbo deducitur; in cæteris enim omnibus nulla alia in Christo mortalibus adhuc spolijs induto poterat assignari causa; quandoquidem si naturam, aut sanguinis Christi conditionem spectes, vnius, & eiusdē rationis, & speciei cū sanguine aliorum hominū ille natura sua corruptibilis erat; fuit igitur Verbo diuino copulatus sanguis. Cui argumento mirificè congruunt ea, quæ Diuus Petrus scribit epistola prima cap. primo, vbi *non corruptibilibus*, inquit, *auro, & argento, sed pretio o sanguine agni immaculati redempti estis*: quæ Petri auctoritas manifeste innuit, corruptioni nequaquam obiectum, sed ab omni planè corruptione remotum semper extitisse Christi sanguinem, vt facilè conuincitur ex eo, quòd rebus corruptioni obnoxijs eum opponit. Quibus haud

Dionysius Alexand. dissimilia commemorat Dionysius Alexādrinus in epistola, quam dedit ad Paulum Samosatenum, cuius mentionem fecit D. Hieronymus lib. de scriptoribus Ecclesiasticis, dum sanguini Saluatoris tribuit incorruptionem, eo quòd Dei viui, (sic enim loquitur) esset sanguis.

Obiectio. Sed inquies; bifariam dilui potest secunda argumentatio, ex quò illius vigor ad institutum nostrum suadendum tollitur. Dici enim posse videtur primò, sanguinē Saluatoris incorruptibilem appellari in scripturis non propter sibi vnitam intrinsecus diuinitatem, sed tantummodo ob diuinitatis virtutem, quæ ne ad interitū, & putredinem corrueret, sanguis impediebat. Et secundò sanguis Christi incorruptibilis dici potest, non quia

semper

ſemper à corruptionis tabe fuerit immunis, ſed quia poſt reſurrectionem eximiam incorruptibilitatis dotem eſt aſſecutus. Verùm duplex hoc reſponſum duplici etiam ratione poteſt improbari; Nam in primis eodem prorſus modo etiam aliorum Sanctorum ſanguis, ne cuiusuis creaturæ dicam, quem in ſub Tyrannorum cruciatibus pro Dei honore, & cultu glorioſiſſimè profuderunt, à patribus, & ſcriptura incorruptibilis poſſet appellari, cum non minus à quorumuis martyrum, quam á Chriſti ſanguine remouere corruptionem potis fuerit diuinitas; nihilominus tamen cæterorum martyrum ſanguini dignitatem hanc à patribus concedi conſueuiſſe, nullus fide dignus auctor meminit. Secundò, quod ſecundam refellit obiectionem, generis humani redemptionem non tantum acceptam referimus ſanguini iam gloria, & impaſſibilitate donato, ſed etiam eidem ſanguini aſcribimus idem meritum, quatenus erat in paſſione effundendus; quo in ſtatu, ni hypoſtatica vnio fuiſſet, facilè corrumpi poterat. *Solutio.*

Tertio nullus cuiquam relinquitur ambigendi locus, quin Saluatoris verba illa, quæ Ioannis cap. ſexto conſignata ſūt; *caro mea vere eſt cibus, ſanguis meus vere eſt potus qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo*, etiam iuxta proprium litteralem ſenſum de cibo, potuq; ſpirituali accipienda ſint, quæ dignè ſumentibus, & vitam tribuant ſpiritualem, & ad cæleſtem beatitudinem ius impartiantur: nō enim minus caro, & ſanguis Domini ſpiritualem animi humani quā corporalem refectionem operantur; Ex quibus ſic mihi argumentandi occaſionem arripio. Chriſti ſanguis, *Tertia ratio. Ioannis 6.*

guis, quippequi á materiæ fecę nulla ratione ſeiunctus erat, ſi per ſe ſolitariè accipiatur, potus corporalis eſt appellandus, atquè adeò non ſpiritus, ſed corporis videtur eſſe refectio; ſi igitur ſpiritualis animi humani potus iure merito dici debet, hoc ſibi vendicabit tantummodo à coniuncta ſibi intrinſecus Verbi diuinitate, quæ propriè viuifici ſpiritus, vitalisq; operationis fons eſt, & origo.

Quarta ratio. Ad hæc illis verbis teſtatur dominus, ſe eadem ratione, & modo in nobis dignè Sacramentum iſtud ſumentibus eſſe futurum vi ſanguinis; quo pacto eſt idem Chriſtus in nobiſmet ipſis vi carnis; atqui non aliter creaturæ rationali ſe largitur, cum ſub ſpecie panis manducatur, quam quia arcto vnionis hypoſtaticæ vinculo carni eſt vnitus; pari igitur modo nobiſcum erit ratione ſanguinis, qui Verbo in hypoſtaſim erat conſociatus.

Tandem, vt miſſa faciamus multa alia eiuſmodi argumenta, quæ ab allatis haud diſſimilia ſunt, quæquè in hoc recondito diuinæ virtutis opere comprobando non adeo euidentem habere vim queunt cogendi humanas mentes ad aſſenſum concluſionis [tanta eſt Vnionis Hypoſtaticæ ſublimitas, & excellentia] hoc addam. In Sacroſancti altaris Sacrificio eadem ratione venerabũdi fideles Verbi diuinitatem ſub vini ſpeciebus in calice exiſtentem humiliter adorant, qua in accidentibus panis eandem filij Dei diuinitatem meritò venerantur, hunc enim morem, hancq; Sanctæ Eccleſiæ conſuetudinem nõ minus quotidiana teſtatur, & confirmat experientia, quam communis omniũ fideliũ aſſenſus docet, at ſub accidentibus panis non tantũ Chriſti corpus, ſed etiam

Verbum

Verbum ipſum deuotè colimus per concomitantiam quæ ex vnione corporis cum Verbo conſurgit; pariigitur ratione ſub ſpeciebus vini ſanguinem Chriſti, & ratione vnionis, quam cum Verbo ſanguis obtinet, Verbum adorari certiſſimum ducunt pię mentes.

CAP. XI.

Eadem ſententia confirmatur ſacræ ſcripturæ, & Sanctorum Patrum teſtimonijs.

NVnc ſcripturæ, & Patrum teſtimonia; quæ pro noſtræ huius aſſertionis confirmatione pugnãt, perpendamus.

Primum, & ſecundum teſtimonium eſſe poſſunt, quę ex Apoſtolo ad Hebræos cap. 2. & ex Damaſceno lib. 3. ſenten. cap. 6. ſuperius contra Caietani opinionem ſunt adducta; verum quia de his ſatis docuimus, quo pacto accipienda ſint, lectorem ad eũ locum remittimus.

Tertium eſt illud Ioannis primo. *Verbum caro factum eſt*; vbi nomine carnis totam humanam Chriſti naturam, eiuſq; minutiſſimas ſingulas quaſq; partes intellexiſſe D. Ioannem, docet catholica fides; non enim aliter Verbum caro factum eſt, q̃ quia perfectam ſibi hominis naturam aſſumpſit; perfecta autem hominis natura poſtulat ſanguinem, vti generale quoddam, & maximè neceſſarium inſtrumentum vitaliũ operationum, quin immo, tamquam veram humanæ ſubſtantiæ partem; fuit ergo Hypoſtaticè vnitus Verbo diuino sãguis; Ne autẽ quis vereatur hanc nõ eſſe germanã loci illius explanationẽ; huiuſce rei teſtem excitare placet Diuum *Ioannis.* *Confirmatio.*

T Cyrillum,

Cyrillus Alexand. tom. 2. hom. 8. Cyrillum, qui in sermone de incarnatione vnigeniti nō alia ratione Verbum esse carnem factum persuadet, quam quia Verbum carnem perfectam assumpsit. *Quid est ergo illud*, inquit Cyrillus, *Verbum caro factum est? Hoc est Verbum carnem assumpsit, & carnem non nudam, sed vna cum anima rationali, & intellectuali, quæ est perfecta nostra natura.* Atqui perfecta hominis natura sibi maximè sanguinem deposcit, vti disertissimis verbis idem Cyrillus docet epistola 8. ad Nestorium data, vbi *Verbum* inquit *factum esse carnem, nihil est aliud, quam quod in carne, ac sanguine nobiscum similiter communicauit, ac nostrum corpus sibi proprium effecit.* Cyrilli interpretationem maximè ap-

Synodus Ephesina to. 4. cap. 24. probauit Ephesina Synodus cum definit Verbum factum esse carnem per hoc, quod particeps fuit carnis,

Clemens 6. & sanguinis. Quibus omnibus consensit Clemens Papa Sextus in extrauaganti vnigenitus de pœnitentijs, & remissionibus, vbi clarè testatur totum humanæ domini naturæ sanguinem esse Verbo intimè copulatum, hisce verbis, *In ara crucis innocens immolatus nō guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter vnionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis sufficiebat; sed velut quoddam profluuium noscitur effudisse.* Ex qua Clementis auctoritate nemo non intelligit, quamlibet minimam sanguinis Christi particulam abundās fuisse redemptionis nostræ pretium ob eam dignitatem, quam sanguis domini habuit ex intima cum Dei filio Hypostatica vnione.

Quorundā interpretatio refellitur. Quocirca nequaquam audiendi sunt illi, qui manifestam Clementis Sexti verbis vim inferentes conantur verba illa, *propter vnionem ad Verbum*, ad humanæ Christi naturæ carnem duntaxat referre; itaut sensus sit, vel

vnam

vnam ſanguinis Chriſti guttam propter vnionem, quã cum Verbo habet natura Saluatoris, potuiſſe totum genus humanum à ſeruitute diabolica vindicare. Etenim interpretationem hanc eſſe commentitiam, & violentam, neq; cum Pontificis litterali verborum ſono congruentem, quilibet per ſe adeò cognoſcere poteſt, vt noua confutatione non ſit opus; ſi enim inquit Pontifex, ſanguinis quamlibet particulam (toti eiuſdem ſanguinis materiæ eam comparando) vi vnionis hypoſtaticæ ad Verbum efficaciſſimum fuiſſe humanæ ſalutis remedium; quorſum iſti ad humanam ſolummodo Chriſti naturam confugiunt; cum nulla fiat in illis Papæ Verbis ordinis huius mentio?

Placuit prætereà hæc opinio Venerabili Bedæ in illud Actorum 20. Quos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. Vbi ſic loquitur. *Non dubitat ſanguinem Dei dicere propter vnionem perſonæ in duabus naturis eiuſdem Ieſu Chriſti.* *Beda.*

Leo etiam Papa in ſermone quadrageſimo nono fermé eadem ſcribit ad hunc modum. *Hoc catholica fides tradit, hoc exigit, vt in redemptorem noſtrum duas nouerimus conueniſſe, & manẽtibus proprietatibus ſuis tantam factam vnitatem vtriuſq; ſubſtantiæ, vt ab illo tempore, quo, ſicut humani generis cauſa poſcebat, in beatæ Virginis vtero Verbum caro factum eſt, nec Deum illum ſine hoc, quod homo eſt, nec hominem ſine hoc liceat cogitare, quod Deus eſt.* Quibus S. Leonis verbis innixus ſic ratiocinari poſſum. *S. Leo Papa.*

Verbum diuinum adeò ſtrictè humanam ſibi naturã copulauit, vt nulla vnquam fuerit diuiſio, aut ſeparatio inter Verbi diuinitatem, eiuſq; infinitam ſubſiſten-

tiã, & inter humanã Christi naturæ substantiam; atqui Christi sanguis propria fuit humanæ naturæ substantia, hoc enim est adeò certum, vt nullus philosophorũ aliter senserit vnquã, (licet enim pleriq; extiterint, qui sanguinem Christi, sacræ illius naturæ partem non fuisse arbitrati sint, nemo tamen inficiari ausus est eum fuisse veram humanæ domini naturæ substantiam) ex quo sequitur euidenter Verbum fuisse toti Christi sanguineę naturæ proximè copulatum, quod nos in pręsentia probare contendimus.

In quam sententiam hæc prodidit Augustinus epistola 3. ad Volusianum, dum inquit. *Ipsa enim magnitudo virtutis eius, quæ nullas in angusto sentit angustias, verum virginalem non aduentitio, sed indigena puerperio fœcundauit. Ipsa sibi animam rationalem, & per eandem etiam corpus humanum, totumq; omnino hominem in melius mutandum, nullo modo in deterius mutata coaptauit, nomen humanitatis ab eo dignãter assumens, diuinitatis ei largiter tribuens.* Si autem toti omnino homini Maiestas incarnati Verbi diuinitatem tribuit, haud dubiè sanguis Domini vnionis hypostaticæ excellentia præditus est; quod idem Augustinus lib. 10. de Ciuitate Dei docere voluit illis verbis. *Propterea quippè totum hominem sine peccato ille suscepit, vt totum, quo constat homo, à peccatorum peste sanaret.*

cap. 27.

Postremò ad idem persuadendum adhibent recentiores communiter omnia illa scripturæ testimonia, in quibus virtus gratiam conferendi, peccata relaxandi, & similia Saluatoris sanguini tribuũtur; verum quia perfacilem admittunt explicationem, qua rectè meritum, & infinita virtus culpæ abstergendæ Vindicis nostri sanguini

guini conceditur, etiam si ille diuina Verbi vnione caruisset, vt suo loco demonstrabitur, idcirco ea in medium proferre supersedebo. *Capitis.*

CAP. XII.

Explicantur quædam difficultates contra assertionem nostram.

SVpereſt modo nodus adhuc contra præcipuum nostræ assertionis fundamentum dissoluendus; qui est huiusmodi. In vnoquouis Adæ filio sic perfecta, & integra erat, ac in Christo domino humana natura; sanguis autem in nobis non subsistit eadem subsistentia, qua natura sui iuris est; ergo vt in Christo natura humana sit omnibus suis absoluta partibus, minimè exigi debet, vt Saluatoris sanguis subsistat eadem subsistentia, qua natura illius fulcitur. *Difficultas.*

Præterea, [quod est prioris argumentationis corroboratio.] Diuinum Verbum virtute decreti, quo voluit, humanam sibi intimè assumendo naturam, fieri homo, ea duntaxat necessitate consequenti, vt aiunt, in hypostasim debuit assumere, quę ad verum hominem componēdum exiguntur; potest autem vnusquisq; esse perfectè absolutus homo, absq; eo, quod sanguis subsistat subsistentia eiusdem hominis; potuit igitur diuinū Verbum omnibus numeris fuisse absolutissimus homo, etiā si humanæ illius naturæ sanguis à Dei filio non fuerit hypostaticè terminatus. Deinde subsistentia humanæ naturæ ab anima proficiscitur, sanguis autem omnis animi, & vitæ expers est; quare esto sanguis ab aliqua exorne-

exornetur subsistentia, ea tamen diuersa sit, necesse est ab ea, qua humana natura subsistit.

Difficultatis solutio. Sed ad hæc facilis patere potest solutio ex ijs, quæ ad opinionem nostram explicandam iam dudum adduximus; ibi enim latè ostensum est, hominem, seu humanum suppositum vna, & eadem perfecta ornatum esse subsistentia, quam totalem, & completam philosophi dicunt; ex multis nimirum imperfectis, & partialibus conflatam; homo autem in plena, atq; perfecta sui ratione sine qualibet partiali subsistentia haud potest esse absolutissimus homo.

Quocircà ad primum respondeo, secundam argumenti partem egere distinctione; vel enim, cum dicitur, sanguinem in homine non subsistere subsistentia eiusdē hominis, sermo est de totali, & completa subsistentia, & tunc manifesta falsitatis labe secunda argumēti propositio aspersa est; sanguis namq; siue ille sit Christi, siue cuiusuis alterius hominis, eam habet subsistētiam, cuius natura capax est; vel certe de imperfecta, & cuilibet corporis parti congruenti subsistentia loquimur, & hoc in sensu dari potest, non eadem subsistentia, qua natura munitur, sanguinem subsistere; alia est enim carnis, alia ossis, alia etiam sanguinis subsistentia, pari modo varijs corporum partibus respondens; at hoc tamen in Christo argumentari non licet, neq; quippiam tale cōcedendum; in illo enim non est alia carnis humanæ, alia sanguinis, aliaq; ossis subsistentia, sed vnica simplex, & impermixta omnibus, & singulis humanæ Saluatoris naturæ partibus tributa est, nempe diuini Verbi simpliciſsima vnitas, & subsistentia, quæ pari modi tota carni,

Discrimen inter Christi, & cæterorum hominū subsistentiam.

carni, tota ossibus, tota sãguini, cæteriſq; omnibus Chriſti partibus mirabiliter tribuitur; vulgatum est enim apud omnes theologos decretum, diuinam Verbi subsistentiã in humana Christi natura nõ id duntaxat præstare, quod naturaliter debita Christo homini subsistentia, si diuinitus non fuisset impedita, effeciſſet, verùm etiam multo perfectiori, excellentioriq; modo omnia penitus peregisse; nobilior autem modus fuit, vt omni imperfectarum subsistentiarum de medio sublata varietate, partes naturæ domini vnica, & impartibili honestarentur, subsistentia.

Prẹterea cum dicis sanguinem non subsistere subsistentia hominis; vel per hominem intelligis suppositum humanum viuens, & perfectissimum, quale fuit Saluatoris suppositum, siq; hac ratione neges sanguinẽ subsistere subsistentia hominis; absurdè profecto negabis; sanguis enim, vt anteà est latius probatum, ad completam, & perfectam corporis constitutionem requiritur; vel per hominem intelligis non suppositum, sed humanam hominis naturam; & tunc cum humana natura, vt scholæ terminis vtar, & in abstracto, & in concreto perpendi possit, à te scisciterer, vtro in sensu sanguinem non subsistere subsistentia naturæ neges. Si in primo, nihil certè verius est, sed nihil meo quidem iudicio incongruentius excogitari, affirmariuè potest; etenim cum nulla, (nisi Platonicorum lacte nutritis, insulsè annuas) re ipsa huiuscemodi natura detur, ridiculum est affirmare sanguinẽ hominis nõ subsistere subsistẽtia naturæ in abstracto consideratæ, quæ nihil est; at si secundum concedas, recurrit eadem difficultas, & idem argumen-

gumentum, quod paulo ante confectum est; siquidem cum natura hoc pacto accepta idem dicat, ac suppositum omnibus suis ornatum partibus; quis non videt, sanguinem hominis subsistentia communiri, sine quo homo in rerũ vniuersitate nec esse, nec constare valet.

Ex his igitur secundæ argumentationis elucet confutatio. Et ad confirmationem dicitur. A quocumq; profluat, siue dimanet principio subsistentia totius hominis, siue cuiusuis partis, sanguis perfectè obtinet eam, quam quouis modo possidere potest, vtsupra explicauimus; quod à fortiori in Saluatore valet, in quo non ab anima, seu à quacunque re creata, sed à Verbo diuino subsistentia sanguini communicata proficiscitur.

DISPVTATIO SECVNDA

De hypostatica vnione crescentis sanguinis Christi.

CAP. I.

Num sanguis, qui in Christo sensim augebatur Vnione hypostatica caruerit.

ILlud subindè hoc loco non est in præteritis habendum. An peracta iam, & perfecta Verbi vnione cum humana Saluatoris natura, sanguis, qui crescenti Christo, & ad debitam, absolutamq; naturæ suæ magnitudinem, & perfectionem tendenti, paulatim adueniebat, proximam eandem cum Verbo hypostа-

hypoſtaticam vnionem habuerit; An vero potius ea caruerit; illa enim, quæ ſuperius diſputata ſunt, intelligenda, & accipienda eſſe duntaxat volumus de illo ſanguine, qui erat tunc temporis in ſacro illo fœtu diuina manu facto, & in Sanctiſſimæ Virginis viſceribus formato, cum Verbum diuinum prima ſalutis noſtræ fundamenta iacere dignatum eſt, cum videlicet primò de cæleſti ſede deſcendens carnem humanam accepit. De ſanguine enim ſuperaddito, & quotidie vi, & caloris naturalis virtute in venis Chriſti domini progenito non videtur ita manifeſtè compertum; quin immo illum ad vnionis hypoſtaticæ dignitatem non peruenisſe plura, & forte primò adſpectu non peſſima argumenta oſtendunt.

Prima argumentatio.

In primis enim apud phyſicæ diſciplinæ profeſſores varia, & abſimilis eſt ratio primæ generationis rei, à ratione accretionis, & augmenti eiuſdem; ſanguis autem Chriſti in prima corporis ſui conſtitutione Verbo fuit vnitus; non potuit igitur, vel certè non debuit in ſua accretione, & augmento eidem Verbo in hypoſtaſim copulari.

Secũda argumentatio.

Prætereà; ſi poſt ſecutam hypoſtaticam Verbi diuini vnionem cum toto illo primæuo Chriſti ſanguine, aduenies ſanguis fuit pariter à Verbo aſſumptus, vel iſtud factum eſt per nouam, & à priori iam facta vnione, diſtinctam vnionem, vel certe per eandem; primum non videtur eſſe concedendum, quandoquidèm hinc apertè deduceretur contra communem Sanctorum Patrum mentem, plures, & numero penè infinito diuerſas cum natura humana fuiſſe Verbi vniones; toto ſiquidem tem-

pore, quo Christus in terris vixit, nutriens virtus sanguinis noui, & noui continuò opificium moliebatur, & tamẽ ab initio hypostatica vnio semper immobilis extitit; nec secundum concedi posse videtur, tum quòd vnio illa immobilis, & inuariabilis, vti Deus ipse, fuit, varietatem autem, & mutationem passa fuisset, si nouam sanguinis substantiam, quã anteà non terminabat Verbum postmodum terminare cæpisset; tum etiam quia modus iste nouæ vnionis imperceptibilis, atq; inexplicabilis est; quod autem huiusmodi videtur, id nullo modo fieri posse certissimũ arbitrantur theologi omnes.

Tertia argumentatio. Tertio, ijs in rebus, quæ diuinam quoquomodo Verbi personam tangunt, quod indecorum Deitati appareret; pro inconuenienti habendum est; absurdum autem videtur concedere stabilem, & arctam Verbi vnionem ei sanguinis parti, quæ perpetua quadam agitatione conuoluitur; ex cibis enim in chylum, ex chylo in rorem, ex rore in cambium, ex cambio in gluten, & ex glutine tandem in sanguineam substantiam, materies illa, quæ in Christo sensim augebatur, perpetuò transibat.

Quarta argumentatio. Ad hæc si Deus, & natura, vt tritum est Aristotelis prouerbium, nihil temerè, nihil frustra moliuntur, potiori quadam ratione id obseruasse Deum in humanæ naturæ hypostatica vnione fateamur necesse est, atqui inanis, & vacua est illa vnio, quæ aut in eodem vnionis actu paulatim dissoluitur, aut mox, statimq; est penitus dissoluenda, huiusce modi autẽ erat vnio sanguinis sensim crescentis; ille siquidẽ vel in eadẽ ipsa vnione in carnis, ossium, neruorumq; naturã abibat, propterea quòd

erat

erat obnoxius actioni caloris naturalis, qui ſemper certa naturæ neceſſitate ſanguinem agitat, & conſumit, aut quidem paulo poſt ad illas corporis partes reparandas erat ſanguis abſumendus.

Quod idem perſuadēt nec obſcura, nec infirma SS. Patrum teſtimonia. Etenim D. Leo Papa de hypoſtatica Verbi vnione in ſermonibus agens fermè adhunc modū loquitur. *In nullo diuidentes vniſibile ab inuiſibili, corporeum ab incorporeo, paſsibile ab impaſsibili, formam ſerui à forma Dei, quia etſi vnum maneat in æternitate, aliud cæpit ex tempore, quæ tamen in vnitatem conuenerunt, nec ſeparationem poſſunt habere, nec finem, dum exaltans, exaltatus, glorificans, & glorificatus, ita ſibimet inhæſerunt, vt ſiuè in omnipotentia, ſiue in contumelia, nec diuina in Chriſto caruerint humanis, nec humana diuinis.* Ex qua auctoritate hanc mihi videor elicere poſſe argumentationem; quidquid ad hypoſtaticam vnionem ſemel potuit peruenire, nullum interitum, aut aliquam à Verbo ſeparationem capere potuit, ſanguis autem ille, de quo in præſens diſputamus, non modo à Verbo diſiunctionem, verum etiam finem, & interitum habuit, cum nimirum ſanguis in aliam tranſiret corporis materiā, & paulatim à calore reſolueretur naturali. *Quinta argumentatio.*

Adde poſtremò alteram auctoritatem eiuſdem Leonis in epiſtola ad Flauianum ſic ſcribentis. *In integra veri hominis, perfectaq; natura verus natus eſt Deus, totus in ſuis, totus in noſtris: Noſtra autem dicimus, quæ in nobis ab initio Creator condidit; & quæ reparanda ſuſcepit;* quo ex loco ſic argui poteſt; diuinū Verbum in humanæ carnis aſſumptione omnia noſtra, hoc eſt, quæ naturæ ſtatui conueniunt, ſibi adiunxit, teſte autem Leone, illa duntaxat *Epiſtola 7. ad Flauianum, quæ nu. eſt 10. cap. 3.*

noſtra queunt appellari, quæ in primo naſcentis humanæ Chriſti naturæ exordio condidit, atq; procreauit Deus; ergo quæ poſtmodum naturæ accreuerunt, neq; aſſumpſit Verbum, neq; reſtauranda ſuſcepit, additus verò creſcenti humanæ Chriſti naturæ ſanguis, cũ primò mortales artus induit Verbum, nullibi erat.

CAP. II.

Auctoris ſententia.

Sententia auctoris.

SEd quia allatã ſententiam etiam his fulcitam argumentis credo paucis probatum iri, in adducendis nouis rationibus non faciam longius, ſed quid indubitatæ veritatis eſſe putem, docebo. Arbitror igitur ſine quouis diſcrimine Dei filium in humana Chriſti natura aſſumpſiſſe nõ tantum modo primum illum ſanguinem, de quo ſupra diximus, verum etiam omnem, & quamlibet aduentitij, ſuperadditi, & creſcentis ſanguinis Chriſti portionem. Probariq; poteſt præſens opinio nonnullis Sanctorum Patrum teſtimonijs, quorum primo loco præcipuum eſt S. Leonis Papæ (vt ab eo noſtræ corroborationis ſententiæ ſumatur principium, à quo eiuſdem demoliendæ petebatur auxilium.) Is enim in ſermone de natiuitate, cum de vnione naturæ humanæ cum Verbo diſſereret, hæc ipſa protulit. *Vnde vtriq; natura in ſuis proprietatibus permanenti tanta eſt vnitatis facta communio, vt quidquid ibi eſt Dei, non ſit ab humanitate diſiunctum, quidquid autem eſt hominis, non ſit à Deitate diuisũ;* Si ergo quidquid, & omne totum illud, quod Chriſti fuit, ſeu, quod idem eſt, in humana Chriſti natura reperiebatur,

Sermone 8. capit. 1. in fine.

tur, Dei fuit, intimam cum Verbo obtinens copulationem, certe sanguis ille in venis domini auctus, qui & Christi erat, & humanæ naturæ integritati suffragabatur, absolutamq; operabatur corporis constitutionẽ, numquã fuit à diuina Verbi hypostasi diuisus, sed illi substantiali nodo arctissimè copulatus semper, & vbiq; extitit.

Sanctus præterea Damascenus libro tertio sententiarum numquam generatam esse aliam hypostasim præter hypostasim Verbi tradidit; quod certè testimonium nullam fidem mereretur, si sanguis, qui paulatim generabatur in Christo, hypostasim Verbi non participasset; tunc enim noua sanguinis geniti hypostasis, siue noua sanguinis aduenientis subsistentia, cogente ad hoc natura, generari omnino debuisset, quandoquidem antea ostendimus quamlibet sanguinis Christi portiunculam iure naturæ sibi propriã vindicare subsistentiam, á quocunque illa procedat, siuè à Verbo, siuè ab impellentis naturæ proprietate; ex opposita autem opinione, cum sanguis denuò aduenies à Verbo non haberet subsistentiam, necessariò peculiarem sibi, & naturalem à Verboq; distinctam sortitus fuisset subsistentiam contra Damasceni auctoritatem. *Lib. 3. fidei Ortho dox. cap. 27.*

Sed quid præsenti loco rationibus superuacaneè argumentor, quod non minus ex citatis, quam etiam ex aliorum Patrum testimonijs in præcedentibus capitibus allatis patere liquidò potest? Equidem in re, mea certè sententia, euidenti diutius non persistam; sed quod difficilius est, modum exponere aggrediar, quo superadditus Christi sanguis facta iam hypostatica vnione ad eandem Verbi potuerit pertingere hypostasim.

DISPVTATIO TERTIA.

De ratione, qua recenter in Christo genitus sanguis ad Verbi hypostasim euehi potuit.

CAP. I.

Qui nam fuerit terminus ex noua hac hypostatica sanguinis vnione resultans.

EO temporis articulo, quo secunda Trinitatis persona caduca huius nostræ mortalitatis spolia induit, illo itidem temporis momento totum sanguinem in humana Saluatoris natura existentem assumpsit, vt cum Angelico doctore consentiunt Theologi omnes 3. sent. d. 2. q. 2. est enim Catholicæ fidei veritas certissima Diuinum Verbum omnes, quotquot tunc in natura Christi erant, & quas sibi partes coniungere volebat, simul, & semel assumpsisse, ad quam assumptionē quinque necessarió exigebantur; Persona videlicet Verbi, sanguis, actio, qua inuicem connectebantur, terminus huius actionis, & tandem mutua vtriusque illorum coniunctio, quæ fieri debebat in increata Verbi subsistentia, in qua ineffabili modo natura diuina Verbi, & sanguinis substantia in vnitate personæ manserunt; quod idem prorsus seruatū esse in posteriori sanguine naturæ Christi superaddito tenendum est, dum diuinæ Verbi subsistētiæ vniebatur. Porrò ex his quinque ad sanguinis vnionem hypostaticam concurrentibus quatuor planè certa sunt, & indubitata apud theologos omnes vnionem aduenientis sanguinis cum Verbo admittentes; etenim in noua sanguinis aduenientis copulatione certū fidei

dog-

dogma eſt, in Chriſto fuiſſe Verbum, nec deerat ſanguis, actio etiam ſanguinem verbo vniens communi ſenſu reperiebatur; quæ erat à tota Trinitate, & tandem quarto loco perfectiſſima coniunctio Dei, & ſanguinis reſultauit; in termino tantum actioni vnionis aſſignando magna inter ſe concertatione diſſident doctores; etenim cũ vnio, vti nomen ipſum præſefert, fuerit verbi cum ſanguine copulatio, ſecum ipſi diſcordant, quid in mutua vtriuſque copulatione effectum fuerit.

Aliqui aſſignant fieri ſanguinem, ſicq; arbitrati ſunt fieri vnionem ex eo tantum, quòd nouus ſanguis in natura Saluatoris producebatur, non quidem ſecundum ſe abſolutè, ſic enim quilibet ſanguis, etiam aliorum dici potuiſſet verbo vnitus, ſed quia producebatur in verbo; & in horũ opinione ſanguis Chriſti nõ ſic aſſumptus fuit à verbo, vt prius creatus, tum aſſumptus fuerit; ſed potius ſic ſe res habuit, vt in ipſa aſſumptione crearetur. Verũm primus hic excogitatus vnionis hypoſtaticę modus ex falſo principio originem trahit; arbitrantur ſiquidem ij, quibus hęc dicendi ratio arridet, non ſanguinem modò, verùm etiam cæteras humanę Chriſti naturæ partes proprijs caruiſſe non ſubſiſtentijs ſolum partialibus, verum etiam exiſtentijs, atque adeò exiſtere, & ſubſiſtere ſubſiſtentia, & exiſtentia increata Verbi omnes ſanguinis domini partes; cuius certè opinationis illud animaduerto fuiſſe fundamentum, quoniam virtute illius actionis, per quam ſanguis Chriſti habuit ſubſiſtentiam Verbi, habuit etiam eſſe proprium, et eſſe exiſtentiæ in rerum natura extra cauſas; per aſſumprionem autem ſanguis Chriſti vniri tantùm potuit increatę

Ver-

Verbi subsistentiæ; habuit igitur ab assumptione sanguis pariter suũ esse & productionem; ex quo sequitur vnionẽ sanguinis cũ Verbo non sic esse factam, vt prius aliquo naturæ momento saltem fuerit sanguis creatus, & postmodum Verbo copulatus, sed simul, & semel & creatus, & à Verbo assumptus est.

Confutatio. Sed ad confutandam istorum opinionem satis fuerit argumenti, quòd eorum opinioni aduersetur Angelicus doctor, quem & opinionis suæ patronum faciunt, & tãquam certissimum ducem sequuntur; is enim tertia parte quæst. 4. art. 2. sic loquitur. *S. Th. 3. p. q. 4. ar. 2.* *Respondeo dicendum, quod aliquid dicitur assumi ex eo, quod ad aliquid sumitur, vnde illud, quod assumitur debet præintelligi assumptioni; sicut illud, quod mouetur localiter præintelligitur ipsi motui*; quo certè Sancti Doctoris testimonio nihil clarius contra illos desiderari potest. Quamquam euidentissima etiam aduersus eosdem ratio militet; Nam actiones formaliter distinctæ terminos etiam sibi poscunt formaliter distinctos, nihil enim aliud est actio, quam terminus ipse, vt intelligitur produci; productio autem substantialis sanguinis Christi, & vnio eiusdem cum Verbo actiones sunt formaliter distinctæ; terminos agitur formaliter distinctos necessariò habebunt.

Secunda opinio. Putarunt alij terminum esse relationem quandam, atque adeò fieri sanguinis vnionem cum Verbo dixêre per quendam dependentiæ respectum re ipsa á Verbo, & etiam à sanguine, in quo existebat, distinctum, hancque dependentiæ modum relationem extrinsecus aduenientem appellant, eo quod extremo vtroq; existente causa adhuc opus sit extrinseca operãte, virtute cuius

præ-

prædicta relatio consurgat.

Sed profecto mihi difficile est eorum probare opinionem; quamuis enim non inficier ex vnione sanguinis cũ Verbo inuicem vnitorum relationem insurgere; nequaquam tamẽ concedendum est, vnionem per relationem fieri; etenim prius natura est, sanguinem Verbo vniri, quam sanguinem ad Verbum referri; relatio namq; illa adueniens ex natura sua nõ dicit sanguinem esse vnitũ, sed potius sanguinis vnionem supponit, refert enim ad Verbum sanguinẽ relatio illa debito tamen modo; hoc est, refert, quia illa duo vere vnita sunt, non autem vnita sunt, quia refert; quare cùm relatio sit vnione posterior, nequit ad relationem vnio aut fieri, aut terminari; prius enim non pendet in fieri à posteriori. *Confutatio secundæ opinionis.* *Tertia opinio.*

Hac, vt opinor, ratione deuicti quidam ad absolutã quandam qualitatem ab extremis, sanguine nimirum, & Verbo, vere distinctam confugerunt; finxeruntq; sic eam in sanguine sitam esse, vt nullo modo fieri possit, quin virtute illius sanguis Verbo diuino non copuletur, & vice versa.

Dissimilia tamen, nec hîc planè reticenda silentio tradunt plures alij, qui modum quendam substantialem in sanguine produci arbitrantur, qui vinculũ sit, & nexus, quo distinctæ Verbi, & sanguinis substantiæ inuicem cõiungantur, siue primo illo Dominicæ Incarnationis momento, siue postmodum alio quouis tempore Verbo intelligatur copulari sanguis. *Quarta opinio.*

Posteriores hæ duæ opiniones ex eadem radice pullularunt, quamuis valde inter se in modo explicandi discrepẽt; altera enim qualitatem absolutam, modum ve- *Tertia, & quarta opinionis radices.*

ro altera substantialem ponit in sanguine, quæ non modò verborum, sed etiam sententiarum magna est dissensio. Commune ambabus his opinionibus illud videtur fundamentum, quòd fieri nullo modo possit duorum vere distinctorũ vnio, nisi intercedat aliquid, quod vinculi officio fungatur, & discretas in vnum colliget substantias. Quare in eo temporis articulo, quo perfectè producta est Saluatoris nostri mortalitas omnibus suis absoluta partibus, comproductus est etiam pariter in tota eadem, singulisq; naturæ partibus modus hic substãtialis, sanguinem formaliter Verbo coniungens, modus enim ille in sanguinis substãtia productus directè opponebatur modo illi, quem sanguis iurè naturæ sibi postulabat, vt propriè vniretur subsistentiæ naturali, (volunt enim inter sanguinem, subsistentiamq; naturaliter sanguini debitam necessario requiri modum hunc ad peragendã vnionem) virtute autem illius contrarietatis, naturalis subsistentiæ modus produci nequiuit; sed vice illius alter ineffabilis, qui intimè sanguinem cum Verbo copulauit, in sanguine à Deo est comproductus. Et hac eadẽ ratione ratiocinari oportet de sanguine postiam factã hypostaticam vnionem superaddito; vbi enim nouus sanguis est generatus, in eodem pariter productus fuit substantialis ille modus, qui nõ secus, ac prior naturalem sanguinis Christi modum impediens, Verbo diuino intrinsecè sanguinem coniunxit.

Primum. Horum opinionum fundamenta esse possunt huiusmodi. *Apostolus.* Principio, ex rebus creatis ad increata ascendimus, Apostolo teste, in rebus autem humanis cernimus manifestè duorum vnionem nullo pacto dari posse, nisi

niſi ſubſtantialis nexus intercedat, æquùm igitur eſt, vt in rebus ſublimioribus, vti eſt in hoc admirabili incarnationis myſterio, quadam proportione idem affirmemus; Minor argumenti propoſitio vera eſt in coniunctione materiæ, & formæ inuicem, quæ etſi mirè congruant inter ſe, & ad compoſitionem naturali motu ferantur, ad mutuam tamen vnionem illo ſubſtantiali nexu egent; poteſt ſiquidem facere Deus, vt ſimul ſint materia, & forma, abſq; eo quod aliqua ſubſequatur formæ informantis operatio, & tamè paulo poſt idem Deus facere potis eſt, vt forma prius otioſa proprio informationis munere fungatur; ex quo tamquam ex certiſſimo principio, ſic arguere licet, vel ad nouam hanc formæ informantis operationem ſubſtantiale aliquid inter materiam, & formam ſuperuenit, aut nihil huiuſmodi; ſi primum concedas, clarè horum auctorum opinionis veritas conuincitur; quod enim recenter ſuperadditum aduenit, modus ille ſubſtantialis eſt, quem in omni vnione expoſcunt; ſi ad ſecundum confugias; tunc grauior inſurgere videtur difficultas; quid enim cauſæ eſt, ſciſcitabuntur illi; cur nulla ſecuta mutatione forma præſens materiæ nunc ſuo informandi munere ſpolietur, & careat, & poſt, cæteris adhuc paribus, incipiat partes ſui muneris obire? certe cum vtrobiq; omnia ſint æqualia, ſi priori in caſu ab informatione materiæ forma vacabat, & in ſecundo pariter caſu ab eodem opere vacet neceſſe eſt; niſi modũ aliquẽ ſubſtantialem intercedere poſtmodum fatearis.

Modus ſubſtantialis inter materiam, & formam intercedit, quo ſubſtãtialiter vniuntur.

Præterea certum eſt apud philoſophos formalem effectum ſine cauſa formali dari non poſſe, quis enim *Secunda ratio.*

vnquam album esse parietē sine albedine animo etiam præconcipere valet? atqui vnire est effectus formalis vnionis; nequibit igitur Verbo diuino sanguis Christi copulari sine vnione; quę verus est substantialis nexus.

Tertia ratio. Vltimò, quod est præcipuum huius sententiæ fundamentum, hæc noua sanguinis Christi vnio cum personæ Verbi per nouam, veram, & positiuam actionem fieri debet; nouæ autem actioni nouus pariter terminus respondeat, necesse est, qui vt inductione apprimè conuincitur, non aliud esse potest, quam substantialis nexus; Etenim non est verbi subsistentia, cum sit increata, & improducta; non sanguis, qui existere iam tum præintelligitur; non relatio, quæ completa tantùm vnionis actione solet aduenire; superest igitur duntaxat, vt modū illum interuenire dicamus.

CAP. II.

Quænam ex allatis opinionibus plus probabilitatis, & veritatis habeat.

Examinatur sententia Recentiorum doctorum. VErùm enim verò, etsi non mihi prorsus displiceat postrema opinio, quæ nunc, & in scholis vulgò iactata, & à sapientibus doctrina viris confirmata est, nec temerè; tamen, ne proniori animo eam amplectar, hæc inter alia multa me retrahunt. Etenim, quæ inter Verbum & sanguinem vnio intercedit, non minus substantialis est ex parte Verbi diuini, quam ex parte sanguinis; & æquè virtute sua Verbum sanguini, ac sanguinem Verbo coniungit; Verbum autem diuinum se solo, abdicato quocunque alio modo substantiali, intrin-

trinsecè, & substantialiter sanguini copulatur, pari ergò ratione sine nexu Verbo sanguis copulari potest.

At hoc esse in Verbi persona peculiare dices, quoniã diuina est hypostasis, quæ nullius mutationis capax est, mutaretur autem Verbum, si substantiali modo affectũ sanguini vniretur; verũ quià humana sanguinis Christi substantia in se modum illum recipere potest, propterea illius vi diuinæ Verbi subsistentiæ adiungitur. At hæc responsio non planè euacuat difficultatem, nam cum duo extrema, quæ inuicem copulari debent, sub ea ratione, qua ad mutuam vnionem concurrunt, æqualia sint, (æquè enim vtrumq; ad compositionem exigitur, & æquè vnumquodq; extremum ad substantialem cõiunctionẽ conducit) profectò si vnũ, nihil impediente modi illius incapacitate, non reijcitur, quo minus alteri substantialiter coniungatur, ita ab opposito, quamuis alterum sit modi illius substantialis capacissimum, nullum erit impedimentum, quin etiam sine illo modo alteri extremorum vniatur, quandoquidem, quòd alterum extremorũ mutationis sit capax, ratio efficax esse non potest, cur illi id denegemus, quod alteri extremorum libenter cõcedimus; præcipuè cum de ratione eius, quod alteri est copulandum nullo pacto sit, vt modi illius substantialis ope, & auxilio alteri, vt patet in Verbo, coniungatur.

Obiectio.

Solutio.

Prætereà æquè substantialiter vnitur illud incapax mutationis extremum, ac alterum mutationi obnoxiũ; ergo si vtrumq; mutationis fluctibus iactari non posset, adhuc tamen substantialis de medio non esset tollenda vnio, quę, vt experientia docemur, mutationis incapacitate, vt in Verbo cernimus, non lęditur; corroboratur autem

Secundum argumẽtũ.

Confirmatio. autem illa iam tacta ratio; quoniam extremum in ratione extremi, sub qua duntaxat ratione ad substantialem coniunctionem concurrere intelligitur, abstrahitá capacitate, seu incapacitate mutationis, nec in suo cõceptu imbibit mutationis capacitatem; sanguis autem domini alterum est extremum vnionis cũ Verbo factæ, sub ratione extremi, concurrens ad copulationem substantialem, potest igitur Verbo adaptari, non intellecta aliqua substantialis nexus ratione.

Tertium argumentum. Ad hęc modus ille, de quo agimus, nec cum relatiuis, nec cum absolutis habet naturam cõmunem, non enim relatiuorum naturam imitatur, siquidem relatiua non ęquè sua extrema respiciunt; alterum namq; quod afficiũt, intrinsecè, alterũ vero, quod nõ afficiũt, extrinsecè tantummodo denominant, vt in paternitate videmus, quæ quia intrinsecè patrem afficit, eum etiam pariter directè significat, at verò filium, quem non tangit, extrinseca non nisi denominatione connotat, & tamen modus hic substantialis, quem adstruunt multi, æqua sorte sanguinem, & Verbum aspicit; quippe qui nexus est illorum, & vtrumq; verè ad substantialem copulationem traducit, quod munus relatiuorum naturam anteuertit, illa enim vnum substantiale componere nequeunt: Neq; absoluti normam sequitur modus ille substantialis, nam, vt non semel philosophiæ parens Aristoteles aduertit, res absoluta est ad se, sic enim ille loquitur, modus verò iste substantialis respicit Verbum quatenus vnà cũ sanguine mutuò intrinsecè cõiungitur; quin immo, si ad se sunt absoluta, cú in sanguine nexus ille statuatur, se solum, & ad summũ, quod vix credo,

Qua natura relatiuorum.

san-

ſanguinem reſpiceret.

At ſi affirmes modum hunc cuiuſdam eſſe naturę, quę non minus relatiui, quã abſoluti rationem, & proprietates in ſe claudat; Amicè rogarem mihi explicari admirabilem modi iſtius naturam, qualem nullibi ſolertiſſimus rerum naturalium indagator, & venator Ariſtoteles, nec per ſuſpicionem attigit vnquàm; qui etſi diuinum Incarnationis myſterium non modò cognoſcere, ſed ne leuiter quidem naturę ſenſibus potuerit attingere, naturam tamen vnionis formæ, & materiæ, corporis, & animi non ignoraſſe credendus eſt; & nihilominus huius rei naturam, qualem nobis oculis ingerunt modales iſti, penitus ignorauit. His adijce, oppoſitas rationes, & contrarias non poſſe ſimul in eadem re ſaluari, (cõtraria enim inuicem pugnare, commune eſt philoſophorum decretum,) ratio autem abſoluti, & relatiui naturę contrariæ ſunt, hoc enim ad ſe, illud verò ad aliud eſt. Tandem quis æquo animo concedere poterit vnquàm, in excellentiſſimo hypoſtaticæ vnionis nexu dari perpetuas quaſdã vicisſitudines generationis, & corruptionis modi ſubſtantialis, quas tamen concedere tenentur ij, qui ob hanc nouam ſubſtantialis modi inuentionem modales appellantur; etenim cum nouæ, & nouæ perpetuò ſanguinis portiones, & producerentur, & eſſe deſinerent, (ſic poſtulante caloris Chriſti naturalis exigentia) noui pariter, & noui ſubſtantiales modi generabantur, & corruptionem ſimul patiebantur, quod proculdubio indecorum, & vnioni hypoſtaticæ minus cõueniens videtur.

Obiectio: Confutatio

Quartum argumentũ

Vltimum argumẽtũ.

CAP.

CAP. III.

Probabilior sententia.

Sententia Auctoris.

QVare est aliorum sententia mihi certè admodum probata, quæ putat terminum actionis, virtute cuius Verbum cum aduētitio sanguine coniungebatur, nihil aliud esse, quam vnionem subſtantialē Verbi, & sanguinis in sola eiusdem diuini Verbi subsistentia colligatam; cuius vnionis ratio, si naturam spectes, nihil aliud erat, quàm Verbum diuinum, & humanæ domini naturæ sanguis, vt erant inuicem, & intimè sibi ipsis vnita, atq; subſtantialiter copulata nullo intercedente superaddito nexu. Huiusce opinionis veritas illustratur, & probatur simul. Et ante alia quidem cùm manifesta cælestis hypostaticæ vnionis cognitio naturales intelligentiæ humanæ vires superet, ea ex creatis vnionibus haud omninò dissimillimis indaganda, & perscrutanda erit; quarum duæ rem præsentem aliqua ratione declarantes se se nobis offerunt; quę nos quasi manu ad ineffabilem Verbi cum sanguine Christi vnionem fortassis deducent. Vna est vera cuiuslibet formæ subſtantialis cum propria materia copulatio. Altera est rationalis animi cũ corporeis partibus vnio.

Qua ratione materia, & forma vniantur.

Ab ea, quæ prima sede collocata est, exordiar; illa etenim non sic fieri concipienda est, quasi aliquid, cuiuscunq; illud sit naturæ, à partibus extremis quoquomodo distinctum situm, collocatumue sit inter materiam, & formam, hoc enim mentis imaginatione assequi, etsi vulgare, & commune sit, à vero tamen arbitror alienũ; sed sic peragi vnionem intelligendum est, vt se ipsis solis,&

lis, & ſecluſo quocunq; alio ſiue accidente, ſiue ſubſtantia, ſiue alio quouis modo intime coniungantur; ex qua cõiunctione, & copula perfectiſſimũ, & omnibus ſuis numeris abſolutum compoſitum conſtituitur. Vnionis autem negotium modo dicto expoſitum vnica, eademque multorum iudicio valida argumentatione demonſtrari poteſt hunc in modum. Etenim ſicuti materia, quæ nomine potentiæ à philoſophis ſignificatur, ſuis ornata diſpoſitionibus non modò formam recipere nata eſt, verũ etiam ad eandem naturalem habet appetitum, & propenſionem, vti ad eum actum proprium, à quo ſuam ipſa haurit perfectionem; ità pari modo forma, quæ ab ijsdem philoſophiæ ſtudioſis actus appellatur, materiã potis eſt informare, materiæ appetitum ſatiare, & in apto materiæ gremio conquieſcere, cum ad hoc munus præcipuè motu, impulſuq; quodam feratur naturali; ergo quo temporis articulo forma præſens adeſt materiæ, ei copulatur, & in eadem ſuſtentatur, eo itidem temporis momento per ſolam ſui ipſius communicationem materiæ informationis munus impartitur, ex quo perfectum, & ſubſtantiale compoſitum reſultare ſolet, ſecluſo quocunq; ſuperaddito; poſita ſiquidem in naturali materiæ domicilio forma, eiq; intime cõiuncta ſatis, ſuperq; fieri intelligitur ſubſtantiale cõpoſitum.

Ex quo ſecundi nobis ad explicandum conſtituti exẽpli apertè ratio cernitur, præter materiam enim aptè, decenterq; ſuis requiſitis ornatam diſpoſitionibus, quas rationalis animus poſtulat, non aliud, quo corpori vniatur, exigi poteſt, quam vt à Deo creante, ſiue à quouis alio agente, quod eo munere fungi valeat, præparatæ

materiæ ſufficienter diſpoſitæ, animus applicetur, infundatur, ſiue adiungatur; Atqui non alio modo philoſophari debemus, cum ab vnita iam ſubſtãtialiter corpori humano anima noua ſuperadueniens materia informanda eſt; tunc enim, quoniam naturæ viribus rationalis forma determinatam corporis ſui omninò ab ſoluti perfectiq; materiã valet viuificare; parteſq; perfectæ, ac debitę magnitudinis non modò poſſunt, verũ etiã appetunt ab anima informari; propterea (vbi primùm neceſſarias partes illæ diſpoſitiones ſortitæ ſunt] ab anima vitali ſpiritu donantur, dũ ſe ipſam, ſecluſa quauis alia re imaginabili, partibus adhuc vita carentibus communicat, ad eum fermé modum (licet in multis ad rẽ noſtram non adeò ſpectantibus diſcrepet præſens exẽplum) quo Angelus alicui loco præſens ſiſtitur; ille nãque, etſi totum aliquod terrę, duplicis puta ſtadij ſpatiũ ſimul occupare valeat, ſolet tamen ſpacij illius medietatem tantùm aliquandò occupare, & rurſus pro libitu ſuo (ſubeſt enim hoc poteſtati, & Angelicæ voluntati) maiorem, & minorem ſpacij illius partem ſuprà medietatem occupare poteſt; quod haud dubiè fiet non iam vi alicuius vnionis, vel ſuperadditi modi, qui inter Angelum, ſpaciumq; illud intercedat; ſed ex hoc ſolùm, quòd toti illi ſpatio vniri poterat Angelus, ſpaciumque illud capax erat, vt ab Angelo occuparetur, quod de eo duntaxat ſpatio intelligi volumus, quod debitam Angelicæ poteſtatis virtutem non excedit. Hinc diſce veram hypoſtaticę vnionis cum ſanguine Chriſti peragendæ rationem cũ ab initio Incarnationis, tum poſt; Etenim quoniam hinc ſanguis Chriſti aſſumi poterat à Verbo,

Angelus pro libitu ſuo, qua ratione loco præſens adſit.

[ſic

[ſic enim ſuo pleniſſimè ſubiectus erat creatori, vt in ſe reciperet totum id, quod nullã inuoluebat repugnãtiam,] & inde Diuinum verbum vi, poteſtateq; infinita præditum omnes ſanguinis Chriſti naturæ partes ſibi potuit copulare, propterea non primum tantùm, ſed etiã quotidie generatum in corpore domini ſanguinem ſibi per hoc hypoſtaticè copulauit; nullo intercedente inter Verbum, & ſanguinem ſubſtantiali modo ab extremis quauis ratione diſtincto.

Nõ me latet, multum diſcriminis reperiri inter allata iam exempla, & ſubſtantialem Verbi cum ſanguine vnionem; verùm quia ſapientes viri non ſolent in exẽplis plenam, & omnimodam ſimilitudinem cum ijs rebus, quibus comparantur, exigere, ideò ſatis erit, ſi ea mentem meam quoquo modo declarent.

Quod ſi vrgeas, ne hæc quidem allata exempla obſtare, nam, vt hæc ità ſint, quæ in illis adducuntur [negent quamuis illa pleriq;] adhuc tamen idem nõ poteſt affirmari de vnione ſanguinis cum Verbo diuino, quod de coniunctione formæ, & materiæ aſſeritur, vniuntur enim illa ſe ipſis quidem ſubſtantialiter, quoniam materia, & forma maximam, & naturalem inter ſe propẽſionem obtinent, ſuntq; ambo extrema eiuſdem ordinis vnionis naturalis; at quia Verbum diuinum, & infinitę perfectionis eſt, & infinito dignitatis ſanguinem humanum anteit interuallo, nullam penitus poſſidens cum re creata connexionem; ob id iure merito nullam poterit habere cum ſanguine vnionem, niſi aliquid ſanguini tribuatur, quo ad tantam Verbi perſonam euehi poſsit. *Obiectio.* *Reſponſio.*

Sed, vt iſtæ, aliæq; difficultates, quæ lectori in hac ma-

teria facessere possunt negotium vel vno responso enodentur, admoneo duplicem in sanguine perpendendam esse potentiam. Naturalem alteram, quæ videlicet naturæ viribus impletur, quæq; ad res ordinis duntaxat naturalis se se extendit, obedientialem alteram, quæ solũ, creaturæ auctorem, & effectorem Deum respicit iuxtà diuinæ ordinem omnipotentiæ, cui omnis creatura ad nutum obtemperat. In re autem nostra sanguis Christi domini virtute potentiæ obedientialis talis efficitur vt in illo, quidquid diuinæ placuerit voluntati, operetur Deus, & ad quodcunque officium, quod nullam repugnantiam dicat, aptus, seu, vt verius dicam, non incapax reddatur. Quare, vt ad argumenti vim dissoluendam propius accedamus; etsi inter Verbum, & sanguinem nulla sit propensio naturalis, neq; similis ordo inter illa duo reperiatur, qualis est formæ, & materiæ, si naturalem solùm sanguinis potentiam consideres, ordo tamen, & propensio, seu non repugnantia optimè inter sanguinem, & Verbum esse cognoscitur, si obedientialem sanguinis domini potentiam perpendamus, iuxtà quam solummodo hypostatica vnio subsecuta est.

Potẽtia altera naturalis, altera obedientialis, & vtriusque natura.

CAP. IV.

Euertuntur quartæ opinionis fundamenta.

SEd finem imponamus opinionis nostræ explicationi, & deinceps fundamenta pro cõfirmatione quartæ opinionis superius adducta, quemadmodũ eradicanda sint, aperiamus. Primum fundamentum erat illud. Ex creatis ad increata ascendimus; At quam in-

ualida

ualida sit illius argumẽti probatio, vel hinc clarè colligi potest, quòd non tantùm minor argumenti propositio falsa est, verum etiam pro certo eadem id assumit, quod sine dubio incertum, & falsam esse deprehenditur ex ijs, quæ in nostræ opinionis illustratione docuimus, fieri enim neque virtute diuina posse arbitramur, vt materiæ præsens forma adsit, & suo careat informandi officio, esset enim hoc effectum formalem causæ formali denegare contra commune philosophorum decretum.

Pro secundi argumenti explicatione concedo lubens Verbum, & sanguinem non posse inuicem esse vnita sine vnione; at inficior tamen, vnionem illam esse aliquid quauis ratione á Verbo, sanguineq; simul sumptis distinctum. *Ad secundum.*

Postremi argumenti responsum est; copulantis actionis terminus substãtialis illud compositum fuit ex vnione Verbi, & sanguinis resultans, quod sufficiẽs ex se fuit, neque quidpiam aliud exigebatur; nam licet Verbi subsistentia nullo modo idem esse posset cum noua actione veniente, quandoquidem est penitus inuariabilis, sat tamẽ fuit totum illud compositum nouum resultasse, quod nouæ pariter actioni responderet; immò quamuis alterum extremum illius compositi secundum propriam substantiam esse non inceperit, incepit tamen ad substantialem illam compositionem concurrere nunc recenter, ad quã anteà nullo modo cõcurrebat, sicq;, vt vno verbo dicã, nouæ copulanti actioni nouum compositum respondet, quidquid sit de compositi partibus solitariè cõsideratis; nam sicuti in contraria opinione per modum substãtialem ab eis conceſſum sanguis, & Verbũ substantiali nexu *Adultimũ*

coniun-

coniungũntur, quamuis verbum illius modi incapax sit, ità pariter in opinione nostra per nouam actionem compositum illud sanguinis, & Verbi consurgit, quamquam verbi subsistentia nec fieri, nec esse incipiat.

Difficultas. Verũ ex proximè dictis supereſt nobis breuiter excutiẽda difficultas; si namq; modo à nobis explicato vnio efficeretur; posset vi, potestateq; naturali dissoluta in morte hominis, corporis, & animæ vnio reparari, cum tamen certissimum sit catholicæ fidei dogma, id esse tantùm diuinæ virtutis, & omnipotentiæ opus; Illatio deducta huiusmodi ratione persuaderi potest; postquàm è corporis ergastulo euolauit hominis animus, moueri potest; si enim motus localis concordi omnium theologorum rectè sentiẽtium opinione Angelicis spiritibus conceditur; nulla mehercle efficax ratio assignari potest, quæ motum spiritui humano non esse tribuendum conuincat; moueatur igitur ex Hypothesi facta solutus è mole corporis spiritus hominis; seseq; ad connaturalem sui corporis habitationem, & substantiam trãsferat; ei præsens adsit, illi intrinsecè vniatur, & agnitam anteà corporis sedem ingrediatur; certè, si vera opinio nostra est, dissolutum prius compositum resultabit; atq; adeò naturæ viribus corporum daretur resurrectio, quod quis audeat affirmare?

Animus hominis è corpore separatus moueri potest.

Cur naturali facultate dari nequeat noua animi, & corporis vnio postquam illa semel est dissoluta.

Verùm in promptu est responsio; & in primis equidem seiuncto à corpore animo motiuam arbitror non denegandam facultatem, qua suum corpus inuisat (hoc videlicet permittente, & non impediente Deo) & illud ingrediatur, haud tamen animo suo corpus poterit informari, adhoc enim munus ritè perficiendum non sola ratio-

rationalis forma, & proprium corporis domicilium ſufficiunt; ſed certæ quædam, & determinatæ materiales diſpoſitiones inſuper exiguntur, quibus ad formam informatiuè, vt dicunt, ſuſcipiendam idonea reddatur corporis materia; quià igitur huiuſcemodi diſpoſitiones in obitu cuiuſuis humani corporis planè corrumpuntur, ob id ſuperuenientis corruptionis defectu, animus etiam loco verè corpori pręſens nequit debitè illi copulari, vt ſtatim ex vnione perfectum ſequatur ſubſtantiale compoſitum. Aduerte tamen, nequaquam exigi diſpoſitiones illas, vt fungãtur officio ſubſtantialis nexus inter animam, & corpus intercedentis; hoc .n. refellimus antè, ſed pręexiguntur in materia duntaxat, vt illa reddatur idonea ad ſubſtantialem peragendam cum animo coniunctionem.

CAP. V.

Solutio earum rationum, quæ ſuperaddito Saluatoris ſanguini vnionem hypoſtaticam non concedunt.

VEnio tandem ad argumenta, quæ nobis huiuſce quæſtionis inſtituendæ prębuerunt occaſionem. *Ad primū.* Primæ rationi ſic reſpondetur; diſcrimen generationis, & augmentationis eiuſdem met rei non aliud eſt, quam quod ex vtriuſq; formali ratione petitur; generationis enim primæ ratio eſſe videtur *tranſmutatio totius in totum nullo ſenſibili remanente, vt ſubiecto eodem*, ſic enim eam definit Ariſtoteles primo de generatione; accretionis autem eiuſdem rei ratio eſt certa quædam alicuius partis prius non exiſtentis ad partes iam exiſtentes,

tes additio, quæ fiat per intus susceptionem secundum omnes dimensiones, vt eam definiunt communiter philosophi omnes; cæterum in reliquis iuxta debitam vtriq; rationem pari passu gradiuntur, eandemq, naturę subsistentiam ęqué simplex sanguinis generatio, ac eiusdem accretio participant, & ad naturæ integritatem concurrunt.

Ad secundã. Secundę rationis clara satis explicatio patere potest ex ijs, quę in explanatione opinionis nostrę subiecimus; vi enim nouę vnionis aduenientem sanguinem assumpsit Dei filius propterea quòd recenter Verbum aduenienti sanguini subsistentiam increatã impartiebatur, neq; hoc asserere Sanctorum Patrũ testimonijs repugnat, illi enim interpretandi sunt de vnionibus totalibus, & integrę naturæ conuenientibus, non autem de partialibus, quales eæ fuerunt, quibus crescenti sanguini Verbum vniebatur.

Ad tertiam. Ad tertiam dico, non fuisse contra Verbi diuinitatem substantię fluxibili sanguinis vniri, cum maximè, & illud postularet Christi naturę ordo, & proprietas, & Dominicę Incarnationis finis exigeret. Vide quę de hac difficultate in superioribus capitibus tradita sunt.

Ad quartam, non concedimus Verbi vnionem cum sanguine aduenienti factam simul, eodemq; temporis momento, & generari, & corrumpi, concedi enim non potest, vt communiter à philosophis asseritur, & in scholis vulgò iactatur, eandem sanguinis partem duabus simul cieri mutationibus, altera, qua cũ Verbo coniungeretur, altera, qua à Verbi subsistentia dissolueretur. Quare licet in Christo domino eodem tempore, &

noua

noua vnio ſanguinis cum Verbo efficeretur, & alia ſanguinis eiuſdem domini vnio deſineret, id tamen nunquã in eadem ſanguinis parte, ſed in diuerſis, & varijs accidiſſe partibus putandum eſt; hinc enim recens ſanguis ad hypoſtaſim Verbi eleuatur, & inde alia præexiſtentis iam ſanguinis pars abſumebatur, aut certè à calore naturali in carnem, oſſaq; transferebatur.

Vnio, & vnionis diſſolutio ſimul quidẽ, ſed diuerſis in partibus fiebat.

Illud vero, quod in argumentatione propoſitum eſt, nequaquam potuit legitimum eſſe impedimentum, quominus mox effundendus ſanguis ad hypoſtaſim aſſumeretur, immò, & verum fatear, ſecus rem accidiſſe meritò putandum eſt; etenim quia ſanguis ad abſtergẽdas pectoris humani ſordes ſtatim erat effundendus, propterea æquum erat, vt à Verbo aſſumeretur, cum primum ad id muneris aptus erat; quod proculdubio euenisſe putarim in eo etiam ſanguine, quem ex cibis in vltima cæna ſumptis naturalis Chriſti vigor efformarat illo ſeptem horarũ ſpatio, quod inter vltimum domini conuiuium, & flagella, ſpineam coronam, aliosq; ſæuos ictus interceſſit, quamuis renuat Caietanus.

Sanguis in cibis in vltima Chriſti cana sũptis genitus hypoſtaticè aſſumptus eſt.

Petitum verò illud ex Sancti Leonis Papæ teſtimonio argumẽtum inualidè probat hypoſtatica vnione nouũ Chriſti ſanguinem caruiſſe, eo quod in carnem, & oſſa trãsformaretur, aut tandem à caloris virtute conſumeretur; vnio ſiquidem facta cum eo ſanguine, qui carnis naturam acquirebat, non deſtruebatur, ſed intacta, & inuariata in eadem ſanguinis materia non iam ſub forma ſanguinis, ſed potius ſub forma carnis cõſtituta ſeruabatur, & licet in partibus reſolutis veritati cõſentiat, vnionem hypoſtaticam in illis haud potuiſſe conſeruari,

ri, hoc tamen Sancti Leonis auctoritati non aduersatur, etenim cum dixit, quæ in vnitatem Verbi conuenerunt, nec separationem capere posse, nec interitum, interpretandus, atque explicandus est, vti alij Patres exponuntur, de omnibus videlicet partibus secundùm speciem, non autem secundum materiam consideratis, seu, vt alij dicunt, de omnibus partibus, accipiendo genera singulorum, non autem singula generum, itaut verus Leonis sententiæ sit sensus; omnes illæ partes, quæ semel Verbo diuino copulatæ sunt, ab eodem nunquam fuerunt segregatæ, non quòd quælibet carnis, & sanguinis semel verbo copulata pars semper illi indissolubiliter coniuncta perdurarit; sed magis, quia semper caro, & sanguis re ipsa ei copulabantur, quamuis quædam illarum particulæ absumerentur. Posset etiam intelligi Leonis testimonium, de partibus, & ijs tantummodo rebus, quæ partes naturæ essentiales à philosophis appellantur, vt est anima, & corpus, quamuis varijs perplexa sit difficultatibus vltima hæc interpretatio.

Duplex explicatio illius axiomatis, Verbum quod semel assumpsit nũquàm dimisit.

Vltimum tandem argumentum expediam, quod parui est ponderis, & momenti, quandoquidem ex auctoritate, vt aiunt, negatiua deducitur; at quæ sic procedunt omnium theologorum viritim respuit fides; concedo igitur libenter ea, quæ ab initio plantauit tota Trinitas in humana Christi natura, Verbo fuisse in hypostasim copulata, haud tamen hinc meritò colliges, ea postmodum, quæ secuta sunt, vnione hypostatica caruisse, cum neque clarè, neque obscurè huiusce modi illatio ex Sancti Damasceni sententia erui possit.

DI-

DISPVTATIO QVARTA.

Quid fidei catholicæ dogmata ſtatuant de vnione ſanguinis Chriſti facta cum Verbo.

CAP. I.

An certum fidei catholicæ ſit decretum, à Verbo fuiſſe aſſumptum ſanguinem Chriſti.

VErùm quò de cæleſti hac Verbi vnione cum ſanguine Chriſti facta propoſitum meum impleam, reſtat vna quæſtio breuiter expedienda. An nimirum certa detur Eccleſiæ definitio, qua ſanguinem Chriſti, ante effuſionem, Verbo proximè vnitum fuiſſe ſtatuatur, ſitque iſtud indubitatum noſtræ fidei dogma; An potius nullum adhuc extet apertum ſedis Apoſtolicæ decretum.

Eſt hic ſermo duntaxat de ea Verbi vnione, quæ facta eſt cum ſanguine Chriſti, dum adhuc viueret inter mortales, nam de vnione Verbi cum ſanguine Chriſti effuſo tempore paſſionis nulla hic inſtituenda eſt quæſtio, cum ea alias ſuo loco examinãda ſit; vt igitur in huiuſce quæſtionis negotio, tutum iter aggredi, tritamq; communi pede ſemitam ſequi nullo errore poſſim; certa ab incertis ſecernam, ac ea quæ ſine hæſitatione vlla omnibus probantur Theologis, quæque mihi penitus comperta, & explorata ſunt, vnica aſſertione doceo. De alijs autem, quæ dubiam in ſe videntur habere ſententiam, ni-

hil ex meo tantùm sensu, arbitrioq; depromam, sed ea duntaxat proferam in medium, quæ hinc, & inde non spernendas patiuntur difficultates, vt de illis benè cognitis, planeq; perspectis limatioris ingenij homines maturum ferant iudicium, quo & fidei catholicæ auctoritati in primis, vt par est, consulant, & interim auctorum grauium existimationi prospicere non intermittant; sit igitur huiusmodi assertio.

Prima assertio. Etsi maximè pia, & veritati consentanea est ea opinio, quæ vniuersum Christi sanguinem intrinsecè Verbo fuisse copulatum defendit, eam tamen nullus tamquàm fidei dogma cogitur sustinere; qui enim aliquas sanguinis Christi partes hypostatica Verbi vnione caruisse affirmaret, is planè perabsurdam, & à Christiana fide abhorrentem sententiam non tueretur.

Duo in hac assertione docere nos oportet; vnum veram esse opinionem aientium omnes, & singulas Christi sanguinis partes à Verbo assumptas fuisse. Alterum, ad eam doctrinam amplexãdam neminem fidei catholicę iussu cogi. Verum quia satis copiosè primum illud, & probauimus, & quoad fieri potuit, latè sumus prosecuti anteà, nouis idem astruere rationibus hic non morabor, sed quantum veritatis, & certitudinis habeat secundum assertionis membrum, subsequentibus rationibus conabor ostendere.

Principio nullus Sanctorum Patrum tam Græcorũ, quam Latinorum, nullus seu veterum, seu recentiorum theologorum, nullus deniq; vnquam melioris notæ doctor, quoad videre potui, repugnantem arbitratus est esse fidei catholicæ eorum opinionem, qui vnionem

Verbi

Verbi haud cum omni penitus ſanguine Chriſti, ſed cum perfectiori tantùm poſuerunt, quamuis non defuerint aliqui, qui hanc opinionem minus tutam, minuſq; piam vocare palam non dubitarint.

Coniectura aliquot, quibus omnem Chriſti ſanguinem non fuiſſe à verbo aſſumptũ probabiliter ſuſtineri poſſit.

Prætereà aut nullus, aut pauci admodum veterum Scholaſticorum doctorum adeò enucleatè hanc de ſanguine Chriſti materiam perſcrutati ſunt, vt diſertis verbis, cum de vnione Verbi cum ſanguine facta pertractarunt, de toto in vniuerſum Chriſti ſanguine verba fecerint, ſed quilibet illorum de ſanguine tantùm in paſſione effuſo principaliter diſputationem inſtituit; nos autem in præſenti quęſtione totam ſanguinis Chriſti materiam amplectimur, ita ut & eum, qui in Sacro Circumciſionis myſterio ſcatebat, & eum qui creſcebat, & deperdebatur, & omnem demum abſolutè ſanguinem, qui ſemel corporis Chriſti venas, aut arterias attigit, comprehendamus.

Caietanũ, & Sylueſtri ſententia.

Ad hæc fuit iſta ſententia Caietani, & Syluęſtri, nec non aliorum, qui omnes fuerunt viri de fide orthodoxa rectè ſentientes, & de theologicis difficultatibus optimè meriti; qui ſicuti cęteras catholicæ fidei definitiones, ſic neq; præſentem, ſi qua fuiſſet, non ignoraſſent; maximè cum Syluęſter ipſe in quęſtionibus Euangelicis adeo diligens traditionum Apoſtolicæ ſedis fuerit indagator, vt pleroſq; non ſecordes theologos ad huiuſce materiæ fundamenta examinanda excitarit.

Tandem, quod eſt validiſsimum noſtræ opinionis fundamentum, nulla conuincens Sanctorum Patrum, vel ſcripturæ auctoritas, neq; aliqua extat Summorum Pontificum definitio, qua caueatur oppoſitũ eius, quod

nos

nos in præsentia sustinemus; non erit igitur certum fidei dogma. Verbũ omnes, & singulas sanguinis Christi partes assumpsisse, cuius quidem argumentationis veritas clara fiet, si ea, quæ nostræ opinioni in faciem aduersari videntur, examinauerimus. Hæc enim omnia ad tria præcipuè capita reuocari possunt.

Quorum primum ex sacris litteris petitur; Ad Colossenses primò, ad Ephesios primo, & pluribus alijs in locis, de quibus & supra actum est, & etiam infra non nihil dicturi sumus; Ioannis præterea primo, & Apocalypsis septimo. Ex quibus omnibus Spiritus Sancti ore acceptam referre tenemur generis humani salutem sanguini Saluatoris; quæ tamen salus sanguini haud potuisset adscribi, si ille intrinsecam cum Verbo diuino hypostaticam vnionem non habuisset.

Secundum colligitur ex Patribus Ambrosio, Leone Papa, Damasceno, & alijs, de quibus alibi egimus, hi enim omnes toti, omnibus, & singulis sanguinis Christi partibus hypostaticam vnionem concedunt.

Tertium tandem ab Apostolica auctoritate deduci, immo decerni videtur. Etenim Clemens Papa Sextus in Extrauagantibus de vnione Verbi cũ sanguine facta sic statuit. *Quem* (hoc est Christũ) *in ara crucis innocens, immolatus non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter vnionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis, sufficiebat, sed velut quoddam profluuium noscitur effudisse.*

Clementis sexti auctoritas.

Præterea summus Antistes cum Barcinonne in regno Cataloniæ quidam theologicæ facultatis peritus in publico, & frequenti hominũ cætu dicere ausus esset Verbi diuinitatem non remansisse effuso in passione sanguini vnitam

vnitam triduo mortis Christi; per patentes litteras hæreticæ prauitatis censori mandauit, vt doctrinam illam, vt poté hæresis labe contaminatam publicè damnaret; quemadmodum testatur Directorium inquisitorum, cuius verba, in p. 2. quęst. 10. num. 1. consignata sic habent. *Ad hæc respondemus, quod Dominus Clemens VI. informatus per fratrẽ Nicolaũ Roscelli ordinis fratrũ Prædicatorũ inquisitorẽ in partibus Aragoniæ, & Cataloniæ, postmodum tituli S. Sixti presbyterum Cardinalem, quod in Catalonia in Ciuitate Barcinonne publicè prædicabatur, quod in sanguine Christi sparso in Paraseuè non remanserat diuinitas; nec sanguis ille erat deificatus, habito solemni concilio magistrorum, & aliorum peritorum, mandat per suas patentes litteras dicto Inquisitori; quatenus dictum articulum, vt hæreticalem, & erroneum faceret publicè reuocari, ac solemniter condemnaret; & sic ipse inquisitor fecit in Ecclesia Cathedrali publice Barcinonne dictum articulum, vt vere hæreticalem publicè condemnando.* Ex qua auctoritate si à maiori ad minus valet ratiocinari, liquidò intelligimus, hac de re certam extare Pontificis definitionem, sententiam nostram damnantem; etenim si is, qui negat in sanguine effuso, quod nullum, aut certè minus inconueniens, esse videtur, mansisse diuinitatem, vti hæreticæ doctrinæ proseminator à Põtifice iudicatur; potiori ratione, qui idem de sanguine adhuc in venis, & corpore domini commorante affirmare ausus fuerit, quod est maius inconueniens, vti Anathema iam Pontificis summi auctoritate, & decreto dijudicatus erit; à quo detestabili errore non abest ea sententia, quæ aliquem in Christo sanguinem non esse Verbo vnitum, docet.

Directorium inquisitorum.

CAP.

CAP. II.

Euersio argumentorum allatæ opinionis.

Ad primũ. VErùm haud cogunt nos ista; nam, vt omittam eorum responsionem, qui per totum sanguinẽ, Christi duntaxat corpoream naturam interpretantur; quorum opinio, si vera foret, planè euacuaretur difficultas, illud tantùm de primo capite pronunciabo, fore, vt adhuc optimè saluaretur sanguinis Christi infinita virtus, & efficacia, quam sacra scriptura sanguini tribuit, etiam si pars aliqua illius proxima cũ Verbo vnione non gauderet, propterea quod infinitę dignitatis personæ sanguis ille erat; præterea maior sanguinis Christi pars erat Verbo copulata, quę & potuit operari salutem, & quidquid boni in nos effusione sanguinis deuenit. Amplius varię variorum doctorum declarationis illarum sententiarum scripturæ, quæ nunc rectè sustinentur, à plerisq; damnandæ forent, si ex allatis testimonijs certum aliquod fidei dogma probaretur.

Ad secũdũ. Secundum etiam non cogit, nam Damascenus, cuius sententia in hoc negotio insignis est, expresé verba facit tantummodo de partibus naturæ essentialibus, anima scilicet, & corpore; sanguinem verò tacitus pertransit, vt illum citato loco consulentes cognoscent. Quare, etsi prudenter, & rigorosè multi, vti etiam nos fecimus, illius sententiam de sanguine pariter accipiant, & non infirmis argumentationibus totum Christi sanguinem Verbo esse copulatum ex ijs Damasceni locis argumententur, hæc tamen argumentatio tanti roboris cẽsenda non est, vt conclusionem deductam certum fidei

dogma

dogma faciat. Idem de Leonis ſententia affirmandum videtur, vt communi ore fatentur Theologi omnes.

Quòd ſi vrgeas ex Leone liquidò haberi, totum ſanguinem Verbo diuino fuiſſe vnitum, rem ità eſſe faciamus; quis tamen hinc cogitur aſſerere Diuinum Verbum fuiſſe proximè, & immediatè omnibus, & ſingulis partibus ſanguinis eodem prorſus modo vnitum? An non ſatis tributum erit Leonis auctoritati, ſi aſſeratur Verbum toti quidem, ſed vario modo, perfectiori videlicet ſanguini proximè, cæteris verò ſingulis partibus remotè duntaxat, fuiſſe copulatum? Maximè cum hęc præſentis difficultatis enodatio pendeat ex ijs, quæ ex interiori philoſophia petuntur; an nimirum ſanguis ex toto ſuo genere ſit pars humanæ naturæ, nec nè, ad quæ non poteſt vlla ratione reſpicere catholicæ fidei definitio, quæ certis omninò, & indubitatis fundamentis, nititur cuiuſmodi non eſt hoc præſens, quod apud omnes fermè eſt problema dialecticum.

Clementis verò auctoritates, quas recitauimus, quo modo non faciant omnino certum, & indubitatum fidei catholicæ decretum oppoſitam nobis ſententiam, is clarè percipiet, qui attenta animi cogitatione legerit ea, quæ ſcribit Dominicus de Dominicis in ſuo tractatu art. 5. verſiculo *reſpondeo per concluſiones*, & eodem articulo verſiculo *quarta concluſio eſt*. Quibus addo ego, citata Pontificis teſtimonia nulla prorſus ratione noſtram, quæ vulgò recepta eſt, ſententiam oppugnare. Ad ſummum enim conuincunt, Aeterni Patris Verbum ſibi in hypoſtaſim coniunxiſſe Chriſti ſanguinem, quod vltrò nos concedimus; at non propterea hinc fit, vt omnes cuiuſ-

Ad Clementis auctoritatem reſpondeo.

uis generis,& quantitatis sanguinis guttæ, sed illæ duntaxat, quæ principalioris erant dignitatis naturalis, in Vnitatem Verbi couuenerint, vt asserunt Caietanus, & Syluester; quin immó, si diligenter Pontificij decreti verba perpendantur, auctoritates illæ de sanguine Christi tantùm in passione effuso accipiendæ sunt, de quo nos, vt initio statim monuimus, ad præsens non percunctamur, An fuerit enim sanguini effuso vnita diuinitas, suo loco,& tempore dicetur. Adijce tandem, quòd, etsi Pontificis definitiones de toto sanguine, cui esset copulata diuinitas, intelligerentur, non minus cum viueret, ac cũ mortuus esset Saluator, adhuc tamẽ in suo robore persistit assertio nostra, quæ militat non de eo solum sanguine, qui effusus est, sed de quolibet sanguine qui semel sacram Vindicis nostri naturam attigit; fieri autem potuit vt aliqua pars eius sanguinis, qui vel in passione effusus non fuit, vel antè passionem consumptus est, Verbo diuino in hypostasim nequaquam fuerit copulata proximè,& intrinsecè. Hæc tamen sic accipi volo, non quia verè rem ita contigisse asseueranter defendam, sed quia ad sedandam,& componendam præsentem difficultatẽ, ità me loqui expedit.

CAP. III.

An saltem certum sit fidei decretum, Verbum sibi intrinsecè coniunxisse maiorem sanguinis Christi partem.

ILlud igitur hoc loco tantùm in disceptationẽ adduci potest. An saltem certum sit fidei dogma, Diuino Verbo aliquam, vel certè maiorem sanguinis Christi partẽ intrin-

intrinſecè copulatam eſſe,& principiò quidem ſententię aſſerenti multa Sãctorum Patrum,& diuinarum litterarũ teſtimonia adſunt; ante alia illud Apoſtoli ad Hebræos ſecundo, *quia ergò pueri communicauerunt carni, & ſanguini, & ipſe ſimiliter* (nimirum Chriſtus) *participauit eiſdem;* cui teſtimonio illud prætereà non dubiam fidem facit, quod contrà Caietani opinionem attulimus. Amplius ſimilia etiam ſacri eloquij extant exempla, quibus hypoſtatica ſanguinis Chriſti cum Verbo vnio aſtruitur, quæ paſſim legentibus obuia eſſe poſſunt. Deindè in ſexta Synodo generali actione octaua hoc decreuiſſe patres videntur illis verbis, *ſed ſicut factus eſt* (Deifilius) *in aſſumptione carnis, & ſanguinis, ita quoq; manſit quod erat Deus, natura ſcilicet, & voluntate.* Hoc etiam perſuadent quotquot in ſuperioribus capitibus contrà Durandum, & alios protulimus, argumenta; hoc Clemens in extrauagãtibus inſinuare videtur; & hoc poſtremo, tamquam à Clemente ſexto omnino ſtatutum, & definitũ, clarè innuũt ea, quę ex Decretorio Inquiſitorum paulò antè recitauimus; Et hæc ſunt præcipua affirmantis ſententiæ rationum pondera, quæ tamen haud tanti momenti eſſe potuerunt, vt omnium doctorum vota ad ſe traxerint.

Quæ ſint fundamẽta aſſerentis ſententiæ.

Etenim, vt de Durando oppoſitæ opinionis auctore ſileã, qui etſi in diuinis litteris verſatiſſimus eſſet, quia tamen nulla adhuc, illo ſpiritum ducente, lis orta erat, nõ potuit decreta Sedis Apoſtolicæ circa præſentem materiam facta conſpicere; claruit enim ſub Ioanne nominis huius vigeſimo ſecundo Pontifice Romano à Partu Virginis anno 1318. quo tempore ne verbum quidem

Negantis ſententiæ firmamenta.

Durandus quinam tempore vixerit.

huiusce dissensionis inter fideles factum fuerat, facilè potuit aliqua in suis præclarissimis litterarum monumẽtis approbasse, quæ postmodum iusto Romani Pontificis iudicio non adeò congrua fidei nostræ censerentur; venio ad Gabrielem Biel virum in Christiana disciplina nobilissimum, qui floruit anno Dominicæ Incarnationis millesimo quadringentesimo nonagesimo quarto sub Alexandro Papa sexto; quo certè temporis curriculo, cũ multo ante Pontificia Clementis Sexti definitio circà vnionem sanguinis Christi cum Verbo, publicis esset demandata litteris, potuit eã non ignorasse; immo, si, quod sentio, liberè affirmare possum, Pontificis definitionem nullo pacto eum potuisse latere affirmarim; ob eam, quã semper fuit erga Apostolicas constitutiones, pietatem, & solicitudinem, vt egregia illius dicta testantur, & tamẽ Durandi vestigia est persecutus.

Q. à tempore Gabriel Biel floruit.

Ad hæc, si à summo Antistite Clemente Sexto definitũ, ac statutum est, sanguinem Christi ad Verbi hypostasim eleuatum esse; vt quid longo postmodum temporis interuallo, idem omnino dogma inter Catholicos doctores, & sacræ philosophiæ peritos iterum controuersum est? coram Pio Papa huius appellationis secundo, qui ad Pontificatus apicẽ assumptus est ad annum salutis nostræ millesimum quadringentesimum quinquagesimum octauum; præcipuè cum nunquam licita fuerit de rebus ad fidem catholicam spectantibus ea disputatio, in qua alteram alter alterius disputationis partem contendit refellere, & neq; ea, quæ semel statuta sunt vllo vnquam tempore liceat in dubium reuocare? quorsum præterea Pij Pontificis secundi mãdato Dominicus

Pij secundi regnum.

de

de Dominicis latè eandem profecutus est disputationẽ, in qua ipse, quod affirmans opinio certum fidei decretũ facit, problematicum esse decretum pluribus ostendit? quòd Dominici opus & legisse, & approbasse Pontificem declarant ea, quæ ad absolutum iam tractatum Pij eiusdem Secundi iussu adiecit Dominicus, & videre est in eo tractatu, quem summi Pontificis nomini inscripsit. Pag. 86.

Quî fieri tandem potuit, vt Cardinalis Sancti Petri ad Vincula, qui Cardinea dignitate fulsit totius Ecclesiæ sceptrum, & gubernaculum tenẽte Paulo Secũdo, qui ad annum salutis nostræ millesimum quadringentesimum sexagesimum octauum regnauit, quiq; proximè Pium subsecutus est; quî, inquam, fieri potuit, vt Cardinalis ille adeò pugnaciter, & præfractè negantem defenderit sententiam, vt non solum diuisam, & seiunctam probabilissimum esse tueatur á sanguine effuso diuinitatem, verùm etiam Verbum diuinum nunquam proximè, & intrinsecè sanguini esse copulatum, certum omninò putet, vt prægrandis illa septimæ veritatis quæstio testatur? Cuius doctrinam non displicuisse Summo Pontifici, certo illud mihi est argumento, quòd typis conscio Pontifice, & sub eiusdem Pontificis tutela, & patrocinio opus illud demandatum est, quæ omnia, nisi in re obscura fortasis hallucinor, satis ostendere possunt, allatæ opinionis primæ fundamenta haud persuadere, quod probare contendunt; intelligentiæ enim meæ vires excedit; qua ratione Clementis Sexti constitutionem adeò insignes viri ignorarint, vt contraria fidei catholicę scripsisse, & docuisse potuerint, cum maximè illorum doctorum plurimi floruerint eatem-

Paulus Secundus.

Cardinalis S. Petri ad Vincula opinio.

tempestate, qua hæc de sanguine Christi controuersia ad Pontificem ipsum delata fuerat.

Auctoris decretum.

Atq; hæ sunt huius difficultatis opiniones, quarum quę sit potissima, sano pij lectoris arbitrio dijudicandum relinquo, mihi enim apprimè in hoc negotio probatur eorum consilium, qui malunt aliorum audire opiniones, quam quidquam ex propria sententia loqui. Si quem tamen fortè fortuna posteriorem sententiam defendere iuuaret, cùm propter auctoritatem doctorum, tùm propter illius rationes minime contemnendas; Dicat ad primum illud ex S. Pauli testimonio ductum, per carnem, & sanguinem non esse intelligendam veram carnem, & sanguinem, vt sunt quæ damnaturæ Christi partes partiales, sed potius intelligendam esse per carnem, & sanguinem, totam Christi domini naturam humanã, vt à ficta tantum natura contra distinguitur, quæ non semel in diuinis litteris nomine carnis, & sanguinis solet significari, iuxtà illud, *caro, & sanguis non reuelauit tibi*; quem etiam sensum rectè innuunt ea, quæ in citata auctoritate proximè sequuntur; nempe, *vt per mortem destrueret eum, qui mortis habebat imperium*, quæ verba non videntur ad carnem, & sanguinem adaptari posse, sed ad solam, vt dicunt, humanitatem; hæc enim fuit, quæ mortem debebat oppetere, atq; adeo is est Verborum S. Pauli sensus. Quia pueri, ideſt homines induti erant humana natura fragilitati, ac morti obnoxia, ipse similiter, hoc est Christus debuit eandem sibi assumere imbecillem, mortalemq; naturã, vt vi, meritoq; mortis illius nos à miserrima Dæmonis tyrannide vindicaret. Auctoritati verò sextæ Syno. generalis occurat sic, quod

Qua via negans opinio defendi possit.

Explicatio illius auctoritatis S. Pauli.

Quia ergo pueri &c.

quod mihi certè videtur veriſſimum, ac dicat mentem Patrum, qui Concilio præfuerunt, non fuiſſe damnare Conſtantinum hæreticum, eo quod non vnitum fuiſſe ſanguini Verbum diceret, ſed quià Verbum in morte Chriſti exuiſſe humanam volũtatem ineptè, turpiterq; aſſeueraret, vt poſteà ſuum hinc tueretur errorem, quo vnam tantùm in Chriſto eſſe voluntatem alijs perſuadebat; Videndum Concilium actione decima ſexta. Porro autem alia Sanctorum Patrum, & diuinæ ſcripturę teſtimonia ſatis puto patere ex ijs, quæ in explicatione ſuperiorum dicta ſunt. Ad illud Clementis Sexti, quod in extrauaganti vnigenitus habetur, reſponderi poteſt, non omnia, quæ in ſuis lucubrationibus, litterarumue monumentis prodiderunt Summi Pontifices, tamquàm certa fidei noſtræ decreta haberi oportere; multa ſiquidem, vti doctores inſignes, & egregij tradiderunt, ad quæ credenda nullus fidelium tenetur.

Quod ſi quis huic reſponſo non acquieſcit, addat duplicẽ eſſe ſanguinis Chriſti cũ Verbo vnionẽ, alterã immediatam, & proximam, alteram verò remotam, & mediatam, & de ſecunda, non autem de prima ſanguinis vnione verba feciſſe Pontificem dicat; qua eadem via explicati perfacilè poteſt articulus ille Decretorij Inquiſitorum; etenim Pontifex damnari mandauit dogma illud, quoniam theologicę facultatis magiſter à ſanguine Chriſti ſeparatam fuiſſe Verbi diuinitatem non proximè, & immediatè ſolum, ſed remotè, & mediatè etiã docuerat, quod nullus theologorũ diſſeminare vnquam auſus fuerat. Prætereà extrauagantes illæ litteræ, quibus Nicolao Roſelli mandauerat Pontifex, vt dogma illud,

Non apparere & non esse in iure æquale.

illud, tamquam manifestam hæresim continens damnaret, nullibi extant inter alias Summorum Pontificũ, Clementisuè sexti litteras; non apparere autem, & non esse, in iure æquale, & par videtur.

Quòd si Sylvester inter alia fidei Catholicæ Brixiensis Inquisitoris scripta, hoc quoque Clementis mandatũ se vidisse testatur; non vna tamen simplex, & nuda particularis doctoris attestatio, tot insignium doctrina, & pietate virorum auctoritatibus est anteponenda, cum præcipuè, & ego pariter nihil non egerim, vt de hac Clemẽtis Sexti definitione, si extaret, certior fierem per litteras pijs, ac doctis hominibus Brixiæ commorantibus datas, à quibus tamen firmi nihil, certiq; nihil super hoc haberi posse non semel pronunciatum est.

Quo modo asserens opinio explicari valeat

At si magis primę quispiam adhærere vellet opinioni, ad hunc modum opposita dissoluat argumenta. Principiò numquam facilè Gabrielem Biel latere potuit Clementi Sexti constitutio de sanguinis Christi vnione cum Verbo facta, cùm longissimè ab vrbe Romana abesset. Patria enim Theutonicus erat, quò fortè illius constitutionis fama nequiuit peruenire. Neque tamen ob eam constitutionis ignorationem prodita ab illo doctrina hæresis notã subit, quandoquidem fuit probabilis ignoratio, & omni excusatione dignissima; si enim pontificiũ decretum quauis ratione illi innotescere potuisset, ab illo ne latum quidem vnguem discedere tentasset vmquàm, sicuti pariter Dominicus de Dominicis, & Cardinalis S. Petri ad Vincula, (piè illos interpretando) fecissent, si quoquo modo ad illorum manus Clementis decretũ deuenisset, vti disertis verbis in tractatu suo prodidit

didit Dominicus; nec aliud præſtaſſet Durandus, cuius ſententiam Ioannes Capreolus 4. diſtinctione vndecima, quæſt. 1. artic. 3. in reſponſione ad quintum contra primam concluſionem non falſam modo, & perabſurdam, ſed acerbè nimium fortaſſis illam inſectatus, à Chriſtiana fide abhorrentem appellat. Cæterum diſputationes, quæ de vnione ſanguinis Chriſti cum Verbo diligẽter, & inſtitutæ, & perfectæ ſunt ſub Pio, & Paulo Pontificibus, non eò tendebant, vt refelleretur, in dubiũve reuocaretur, quod ſemel ſtatutũ fuerat, ſed ob id tãtũ permiſſæ fuerunt, quô ea, quæ magis ad fideliũ animos corroborandos valebãt, quæq; minus adhuc inter ſacræ theologiæ profeſſores clara erant, diuinæ ſcripturę de hoc teſtimonia paterent apertius; maximé cum Clemens Sextus ex hac mortali vita diſceſsiſſet antequam aliquod exemplar illius ſententiæ, quam Nicolaus Roſelli contra Theologum illum protulerat, Romæ haberi potuiſſet. Neq; verò firmi alicuius roboris eſt aſſerere, Pontifices illos votis ſuis Cardinalis S. Petri ad Vincula, & Dominici Epiſcopi diſputationes approbaſſe, propterea quod illorum nominibus tractatus fuerint inſcripti; cum quia nullum Pontificiæ approbationis extat teſtimonium; tum etiam quia multa ſæpius excudi conſueuerunt doctorum volumina dicata ei, qui ne verbum quidem in voluminibus illis contentum prioribus labris deguſtarit; ad hæc faciamus ità rẽ eſſe; eſto, legerit ſummus Pontifex Paulus Secundus Cardinalis S. Petri ad Vincula opus; quis tamen tuto poterit affirmare ea placuiſſe Pontifici, quæ latè proſequitur auctor? aut quis meritò aſſeret tunc temporis Pontificis iuſſu Cardinalis illius doctrinam

Ioannis Capreoli de opinione Durandi cenſura.

crinam typis esse commissam? Atq; hæc sunt, quę mihi aliqua probabilitatis specie non carere videntur; affirmatè enim, & pro certo vtra pars verior, & certior sit, in re adhuc non satis clara statuere nolui.

DISPVTATIO QVINTA.

De vnione hypostatica ad resolutas sanguinis Christi partes comparata.

CAP. I.

Viuente Christo domino dissolutam non semel fuisse hypostaticam vnionem à resolutis quibusdam sanguinis partibus.

EXpedita, quantum ad instituti mei rationem pertinere videbatur, ea difficultate, quę erat de vnione Verbi diuini cum sanguine Saluatoris facta, Aliam tractare aggrediar, meo iudicio, superiori materiæ proximam. An nimirum ea vnio Verbi, quæ cũ sanguine facta erat, semper, vt vbiq; immobilis perstiterit; an potius viuente adhuc Christo nonnumquam ab aliqua sanguinis parte dissolueretur. Et licet præsens quæstio non adeò perplexa, litigiosaue sit, vti superiores fuerunt, propter certam, vt arbitror, huius rei veritatem, de qua paulò post; nonnullis tamen vrgetur, ac premitur dubijs, quæ nullã vnionis dissolutionem in Christi sanguine concedendã esse probare videntur.

Prin-

Principiò namq; indissolubilẽ esse Verbi vnionem, vel cum minutissimis sanguinis Christi partibus hunc in modum quis argumentabitur. Verbum diuinum vel dimisit partes sanguinis Christi stabiles, vel fluentes, & resolutas; at non dimisit primas tùm quia, cum non sit vnius potior ratio, quam alteriùs, aut nullum, aut certè totum sanguinem dimisisset cõtra communem Theologorum scholam, tùm etiam quia nihil causæ assignari potest, cur in huiusmodi partibus hæc vnionis Verbi cum sanguine factæ diuisio potuerit contingere. Neq; secundas dimisit partes, quoniam nulla huiusmodi partibus sedes esse potuit in sacrò corporis Christi domicilio; Etenim in illis duntaxat corporibus esse consueuerunt resoluẽdæ partes, in quibus datur pugna inter primas quatuor qualitates, quæ terreni corporis molem ingrediuntur; corpus autem Christi omni prorsus pugna caruit; sicuti enim à corpore Saluatoris longè aberat quælibet pugna sensus, vt cum Angelico Doctore consentiunt Theologi omnes 3. parte quæst. 15. artic. 2., ità pariter ab eodem exulare debebat omnis pugna qualitatũ sentientis potentiæ præcipuum fundamentum. *Prima argumentatio.* *STh 3p. q. 15. ar. 2.*

Amplius carnis, & sanguinis partes propter inæqualitatem mixtionis resolui solent; corpus autem Domini, quippe quod erat singulare, & magnificum spiritus sancti opificium, habuit nõ modo æqualitatem proportionis qualitatum, quæ consistit in tali concentu, & temperie ipsarum, quæ sit formę corporis, & operationibus vitalibus competens, quæ à philosophis iustitiæ æqualitas appellatur, verùm etiam habuit graduum quadruplicis qualitatis inter se æqualitatem, cuius admirabilis vnio- *Tertia argumẽtatio.* *Æqualitas iustitiæ quæ nã sit.*

nis virtute in Christo in quantitate, & gradu pares erant omninò quatuor qualitates, sic vt in illo nec calorē vinceret frigus, nec siccitas superaret humiditatem; quę vnio ab ijsdem philosophis ęqualitas ad pondus dicitur, erat enim corpus Christi perfectissimi, ac optimi temperamenti, quod in sola ponderis æqualitate positum est omnē penitus de medio tollens partium consumptionem.

Tertia argumētatio. Prætereà si quod possibile est, ponatur esse, vt tritum est cum philosophorum principe decretum, nullum aut inconueniens, aut absurdum consequitur, atqui dari potest corpus qualitatum æqualitatem ad pondus possidens, vt locuples auctor testis est Galenus; tale igitur debuit esse Christi corpus, in quo videlicet nulla daretur partium resolutio.

Quarta argumētatio. Ad hæc partes resoluendæ assumptæ fuerunt à Verbo diuino, quod autem semel assumpsit, nunquam dimisit, vt concordi sententia tradunt doctores Scholastici cum Diuis Damasceno, & Anselmo patribus.

Leo Papa. Quinta argumētatio. Nec aliud nobis innuere videtur Beatus Leo Papa in sermone de Epiphania, vbi eleganter sic loquitur. *In nullo diuidentes visibile ab inuisibili, corporeum ab incorporeo; passibile ab impassibili; formam serui à forma Dei, quia, etsi vnū maneat in aeternitate, aliud capit in tempore, quæ tamen in vnitatem conuenerunt, nec seperationem possunt habere, nec finem*; cuius Sancti Doctoris extrema verba manifestè redarguunt eos, qui resolutas in corpore Christi sanguinis partes concedunt.

Vera sententia. Verùm quod hæ argumentationes persuadent, doctrinæ omnium rectè sentientium aduersatur; & propterea

reà allatam opinionem cum multa ex ſacris litteris deprompta teſtimonia refellunt, tum eam videtur mihi funditus euertere locus ille Diui Damaſceni libro orthodoxæ fidei tertio cap. decimo quinto; vbi humanam Chriſti naturam ſecum ipſe ponderans de ea hãc habet ſententiam. *Beneplacito diuinæ voluntatis permittebatur caro Chriſti pati, & operari, quæ illius erant propria* Atqui, addo ego, humanæ Chriſti naturæ, quæ à Damaſceno nomine carnis ſignificatur, opus proprium fuit, aliquas ſanguinis partes reſoluere; igitur manifeſtæ falſitatis ſuperior conuincitur opinio, quam vt vnuſquiſq; facilius redarguere valeat. *D. Damaſcenus.*

Aduerto Chriſti domini corpus eiuſdem planè conditionis, & naturæ fuiſſe, cuius cæterea mortalium corpora fuere, (ſi tantummodò excipias, in quo ſingulariſſimum fuit illius diuini fætus priuilegium, Deiparam Virginem diuino hauſtu repletam ſine vllo attactu viri, obſtupeſcente natura illum caſtis progeneraſſe viſceribus, & primogenitum ſuum nullo Virginei pudoris detrimento in miſerrimam hanc lucem edidiſſe;) de cætero autẽ, ſi naturalia duntaxat principia ſpectemus, vt ſcitè dixit Apoſtolus, *habitu inuentus eſt, vt homo*; quare ſicuti quodlibet hominis corpus ex quatuor primis cõflatur qualitatibus, ita humana Saluatoris natura quatuor debuit conſtare principijs, quæ in corporis materia, antequam rationalis animus adueniat, ſic perbellè, & congruenter vnà concinnantur, vt ex illorum debita temperie, concentuq; ordinato efficiantur proximę diſpoſitiones, quibus rationalis forma in materia conſiſtens illam vitali attactu, extollit; hæ autem quatuor *Corporis Chriſti natura, & conditio.*

qua-

Duæ cuiuslibet corporis complexiones sunt.

qualitates in Christi corpore quandam effecerant complexionem, quam Medicinæ periti innatam, naturalem, & primam appellant; verùm quià rationalis Christi animus otio languere non poterat; sed varias, ac multiplices sibi vendicabat operationes, quales continuò in nobismet ipsis cernimus, ideò corporea Christi domini constitutio, præter naturales quatuor qualitates, alia indigebat temperie, quæ animam quatuor primarum qualitatũ virtute introductam foueret, ac operationibus animæ necessarijs materiam corporis redderet aptiorem, quam complexionem ijdem medicæ disciplinę studiosi complexionem, seu temperiem influxam dixêre; denominatione videlicet sumpta à causa temperiem illã producente, qui est influxus quidã, quo vnũ Christi membrum in aliud mutuò influere, & salubres influxus alterum alteri impartiri solet; etenim, vt omnes facilè norunt, humanæ Christi naturæ partes etherogeneæ erant, & inter se dissimiles, vt experientia testatur in corde, cerebro, membranis, ossibus, & neruis, quorũ primum illud ardentissimum in se continet calorem, secundum verò vehemẽtissimum calori oppositum frigus; quod idem non absimili modo in cęteris membris

Resolutionis corporũ quęnã causa.

esset assignare, si oporteret, ideò necessitate quadam naturali primum in secundum, & sic deinceps per naturales influxus operabatur; cuius operationis vera ratio petenda est ex mutua repugnantia, & oppositione, quam cum frigore calor, & rursus cum calore frigus, humiditas cum siccitate, & vice versa obtinent. Ex hac autem mutua membrorum inter se pugna, & contrarietate callidissimo naturæ artificio mutua quædam,

dam concors discordia, & salubris membrorum constitutio subsecuta est; comparatum siquidem fuit, vt hinc cor natura sua feruentissimum à cerebri frigoris acrimonia mitigetur, & inde pariter frigidissimum natura sua cerebrum à cordis calore temperetur; quocirca tandem mutuus membrorum influxus, qui, & influxa complexio dicitur, tantæ est necessitatis, & indigentiæ, vt vix, ac ne vix quidem hominis vita sine illo valeat cõsistere; aut enim omnia prædominãte cordis calore exusta iacuissent Saluatoris mẽbra, aut certè omnia vehemẽti frigore cerebri, velut torpore quodam oppressa fuissent; quod naturæ incomodum influxi temperamenti auxilio cuitatum est, hoc enim subsidio corporis domini partes, quæ secundum propriam illarum conditionem inter se pugnant [sic postulante naturali exigentia] inuicem sese ad miram quãdam reducta sunt temperiem; quæ tamen haud fieri potuit, absque eo quòd aliquæ carnis, & sanguinis partes consumarentur, & a calore naturali absorberentur penitus.

Ex quo, vt ad rem nostram redeamus, colligendum est in primis naturali necessitate concedendas omnino esse quarundam sanguinis Christi partium resolutiones, ob continuam corporis Domini partium pugnã, ac litem, quam inuicem continuo habent.

Colligendum secundo, eos, qui cõsumptas sanguinis Christi partes denegare nõ verentur, teneri alterum ex duobus absurdis concedere, aut videlicet Domini naturam alterius, & diuersæ qualitatis, & complexionis fuisse, ab ijs qualitatibus, quę vulgò in alijs hominibus reperiuntur, quod non modo est commentitium, verùm etiã

errorii

errori Manichæorum ſuffragatur; aut certè contraria neceſſaria, cuiuſmodi ſunt, cordis, & cerebri qualitates, in eodem ſuppoſito debito modo applicata, & deductis omnibus impedimentis inuicem ſuas non exercere operationes, contra communem philoſophorum aſſenſum.

CAP. II.

Explicatio argumentorum ſuperioris quæſtionis.

SVpereſt igitur nunc tantùm, vt argumentationibus initio poſitis ſatisfaciamus, & ad primam quidem reſpondendum eſt, Dei filiũ partes ſanguinis ſolummodo reſolutas, nõ autẽ ſtabiles, ac permanentes dimiſiſſe; etenim fuit in ſacro Domini corpore humorum pugna tam eorũ, qui innatã, quam eorum pariter, qui influxam temperiem efficiunt. Ad confirmationem verò dicitur longè diſparem eſſe pugnæ ſenſus contra rationis imperium inſurgentis rationem, ab ea pugna, & contrarietate, quæ inter quatuor humores reperitur, illa enim ſui fomitis pondere hominem, in quo pugna viget, ad peccatum trahit; huius ſiquidem pugna contra rationis imperium ſurgẽs delectabilia ſenſus, & oblectamẽta carnis reſpicere ſolet, quod nullo pacto Saluatori noſtro cõuenire potuit, nõ ob eã tantùm rationem, quòd huiuſcemodi lucta ad reparationem humani generis obtinẽdam nihil penitus conducere poterat, verùm etiã quia Chriſtus ob eminentem iuſtificantis gratiæ copiam, & perfectionem ſentientis potentiæ motus in cæteris hominibus facilè inſurgentes ita perfectè edomuit, vt ad nihilum penitus fomitem redegerit. At verò pugna

Pugna qualitatum nõ vero pugna ſenſus cur fuerit in Chriſto.

qua-

qualitatum in Christo, neq; ad peccati labem trahebat, neque vllam cum gratia oppositionem habere potuit.

At inquies; eadem naturæ necessitate, & ex ijsdem planè principijs vtraq; pugna manat; at tolli, & impediri potuit per gratiam pugna, & rebellio sensus in Christo; potuit igitur pari modo sedari qualitatum lis; sed facilis est responsio; nam quidquid sit de communibus harum contrarietatum principijs (potest enim ex eadem radice materiali, de quo tamen in præsens nihil certi statuimus, vtraq; pugna prouenire) plurimum tamen adhuc inter se illa duo differebant; siquidem sentientis partis vires, & motus rationis imperio supra inferiores sensus potentias inuigilantis coerceri facilè potuerunt, quandoquidem speciem, seu imaginem quandam imperfectæ libertatis inferiores sensus potentiæ participare videntur, ob eam, quam cum libertatis radicibus, ratione scilicet, & voluntate sortiuntur, proximam connexionem; at verò motus, & operatio quatuor qualitatum sine mora semper inter se dimicantium rationis dominio haud subijci queunt, ob totalem illarum terrestrem naturam, quę imperij rationis capax nullo modo redditur; ex quo discrimine liquidò concludi potest, sensus motum inordinatum comprimi potuisse in Christo, cuius sacratissimus animus, vt doctè monuit Cardinalis Caietanus, illius conditionis erat, cuius in fæliciſſimo innocentiæ statu primorum parentum animi fuerant; non sic autem inhiberi potuisse operationes humorum contrarias, quæ vti nunc in nobis, sic in Christo domino planè fuerunt necessariæ.

Obiectio.

Responsio.

Quis fuerit anima Christi status.

Ad secundam concedo iustitiæ æqualitatem in Chri-

Qua ratione qualitatum aequalitas ad pondus in Christo sit concedenda.

sto, nec inficior pariter, totum Saluatoris corpus, si aggregativè sumatur, habuisse æqualitatem ad pondus, hoc videlicet in sensu, vt in toto Christi corpore tãtum fuerit caloris, quantum frigoris, & idem etiam similiter in alijs qualitatibus seruatum esse; sed non potuit esse æqualitas ad pondus in vnaquaq; corporis Christi parte; ostensum est enim corpus domini etherogeneis cõstasse partibus, quæ necessario diuersis pollent temperamentis, itáut vna plus habeat caloris, quam frigoris, velut in corde demonstratum est, seu ex oppositio alia plus frigoris, quã caloris obtineat, vt patuit in cerebro, ex quibus constat haud potuisse impediri, quin aliquæ sanguinis partes absumerentur, quemadmodum in sequenti solutione demonstrabo.

Ad tertiam dico dari posse corpus æqualitate ad pondus gaudens, sumpto tamen corpore aggregatiuè tantum; in quo sensu hanc æqualitatis prærogatiuam soli Saluatoris corpori arbitror fuisse concessam, semper enim quandiu mortalem hanc vitam traduxit, adeò perfecta excelluit humorum temperie, vt prospera semper, eademq; fæliciſſima vsus fuerit valetudine, quod quidem certo mihi est iudicio, mirandam sanè hanc ad pondus temperiem habuisse. At si corpus distributiuè sumatur; quatenus videlicet nõ modò totam in vniuersùm materiam, sed etiam quamuis determinatam corporis partem significat, & in se ambit, corpus æqualitatẽ ad pondus habens posse dari, reor esse prorsus impossibile, vti ostendunt ea, quæ in superiori capite demonstrauimus, spiritum enim vitalem propagare animal nõ posset, quod tantúm frigoris haberet in corde, quantum caloris

Æqualitas ad pondus qua ratione dari nequeat.

caloris geſtaret in eodem; ſed vt vis argumenti etiam propius refellatur, quod non poſſe fieri diximus, ex hypotheſi fieri concedamus; haud tamen hinc ſequetur, vt ſanguinis partes alioqui reſoluendæ, non abſumantur, cuius rei illa mihi vera ratio videtur, quod etſi alteratiuę qualitates, quales ſunt frigus, calor &c. in vnaquaque corporis parte eſſent æquales in gradu, non propterea tamen erant æquales in potentia; virtutē enim operatricem inæquali ſorte poſsident; maiorem enim in operando efficaciam vnius gradus calor obtinet, quam in eadē gradus ęqualitate operādo habeat frigus; ac proindè citius, facilius, & fortius oppoſitum deſtruet inimicum calor, quam ſibi repugnantem calorem valeat ſuperare frigus; quocirca immobili perſiſtente quatuor qualitatum in gradu æqualitate, diſpares adhuc, & inæquales eſſent in virtute.

Æqualitas qualitatum in virtute dari non poteſt.

Quod quidem fundamentum iudicio meo non ſolum probat aliquas ſanguinis partes potuiſſe in Chriſto abſumi, ſed etiam corpus ponderis æqualitatem poſsidēs, potuiſſe corrumpi, deſtrui, ac intrinſecè in ſeipſo deficere; concludi etiam poteſt ex eodem fundamento Chriſti corpus, quod aggregatiuè conſideratum ponderis erat ad ęqualitatem, fuiſſe ſpectata illius duntaxat natura, corruptioni, & morti obnoxium, non tantum propter primam, innatam, & naturalem complexionem, quæ inę qualitatem qualitatum ſecum ipſa trahit, verùm etiā ob influxam temperiem, de qua ſatis, vt res noſtra poſtulabat, dictum eſt.

Corpus Chriſti, natura ſua morti erat obnoxium.

Ad quartam, & quintam rationes, vnica enim reſponſione ſatisfieri poteſt ambabus, dico omiſſis varijs aliorū

responsionibus, quibus solet Anselmi, & Damasceni insignis sententia exponi, testimonium illud non militare de illis corporis Christi particulis, quæ naturali defectu conseruari non possunt; decretum enim illud solummodò veritatem habet ijs in rebus, quę nullo naturæ impulsu ad interitum corruunt.

At sciscitaberis, si hæc ità sunt, quemadmodum expli cauimus, qua ratione ex his haberi potest, quod in capite quæstionis superioris præcipuè scrutandum erat, an læpènumero videlicet à Saluatoris nostri sanguine hypostatica vnio recesserit. Sed quis non videt ex probatis anteà apertissimam assertionis nostræ explanationē, & comprobationem deduci, etenim cum vnio hypostatica, duobus necessariò constet extremis, sitq; duorum mutuo copulatorum nexus, qui dubio procul ex intrinseca sua ratione permanētes sanguinis, & Verbi substantias requirit; an non satis sufficienter vnionem tolli, & dissolui is probauit, qui varias sæpè sanguinis Christi partes resolutas, & consumptas fuisse demōstrauit? quā quidem hypostaticæ vnionis separationem, quæ in sanguinis Christi resolutis partibus contigit, exemplum animæ rationalis satis familiare, & notum commodè declarat; illa siquidem vitali, & intrinseco vnionis nexu cū tota carne, puta brachij, copulata est, cuius tamen brachij si pars aliqua, vt manus, aut ardenti ignis ardore in fauillam reducatur, aut truci ensis ictu dissecta cadat, statim anima rationalis vnionē amittit immo to penitus rationali spiritu in cæteris corporis partibus existente.

Verùm ne hæc perbreuis, & angusta de hypostatica sanguinis Christi vnione disceptatio longius, quam res ipsa exigit, producatur, hic finis Libri Secundi esto.

FRANCISCI COLLII

S. THEOLOGIAE, AC COLLEGII Ambrosiani Doctoris.

DE SANGVINE CHRISTI.

LIBER TERTIVS.

DISPVTATIO PRIMA.

De multiplici numero effusionum sanguinis Christi.

CAP. VNICVM.

Quot, & quæ fuerint sanguinis Christi effusiones.

VERVM quia de his, quæ ad naturalem sanguinis Christi statum, & diuinam cũ Verbo hypostaticam vnionem spectabant, quantum præsenti huic materiæ satis erat, disputasse videmur, nunc ad illud nobis properandum est, quod inter alias operis huiusce nostri partes fermè est præcipuum;

puum; nempe ad eum librum, in quo ſanguinis eiuſdem Saluatoris noſtri conditionem perſcrutari polliciti ſumus, quatenus eum incomparabili paterni affectus charitate, qua erga miſeros Adæ filios afficiebatur, profundere dignatus eſt. Expendamus igitur in primis, quot fuerint vices, quibus in humanæ captiuitatis pretium ab Aſſertore noſtro facta ſit copioſa ſanguinis ſui effuſio. Etenim diuina eloquia legenti, & innumera penè Sanctorum Patrum volumina peruoluenti nullus relinquitur ambigendi locus, quin Saluator nobis ſæpius pretioſum ſanguinis ſui liquorem profundendo elargitus ſit. Clamat nimirum iſtud paſſim diuina ſcriptura Ioannis 19., Lucæ 22. Apocalipſis primo, & ſexcentis tandem alijs in locis. Hoc concors omnium Patrum teſtatur ſententia; Auguſtini, Ambroſij, Hieronymi, Hilarij, Athanaſij, Chryſoſtomi, & aliorum omnium. Hoc deniq; communis vox, vnanimis fidelium aſſenſus, & certa fidei regula fatetur, atq; declarat. De numero tamen, & varijs ſanguinis Domini effuſionibus nō omninò conſtat adhuc inter ſcriptores; aliqui enim plures, alij verò pauciores effecerunt ſanguinis Domini effuſiones. Nos pauca quædam ſtrictim attingemus de his effuſionibus, quę magis claræ ſunt, & indubitatæ apud omnes, & mox adeas etiam, in quibus non peſſimi ſacrarum litterarum interpretes, aut in numero, aut quauis alia in re diſſentiunt, perpendendas deueniemus.

Prima ſā guinis Chriſti effuſio. Prima igitur omnium fuit ea ſanguinis Chriſti profuſio, quam perferre voluit octaua die, qua in hanc miſeriarum, & ærumnarum vallem proceſsit Saluator; cum videlicet tenellam carnem libens duro cultro circumci-

dendam

dendam obtulit, siuè lapideo, (vt aliqui arbitrantur, hanc colligentes opinionem ex Sephoræ facto, Exodi quarto, quæ acutissima silicis acie filium circumcidisse legitur, qui etiam lapideus culter mandato Diuino vnicum fuit instrumentum, quo Hebræorum iuuenes, & pueri post superatas itineris quadraginta annorum difficultates circumcisionis nota insigniti sunt in Galgalis) siue ferreo potius, vt alijs placet, de quo non multum laboramus in præsens. Certè, quod rem nostram tangit, vulnus illud Assertoris carni inflictum procul dubio sanguinis effusione nõ caruit; in ea namq; corporis parte fieri consueuerat apud Hebræos circumcisio, quæ citrà litem aliquo sanguine pollet. Porrò autèm primę huius sanguinis Christi effusionis plurimas, easdemq; nobiles assignare causas possem, nisi me ab hoc opere instituti mei ratio reuocaret; verùm ne tamen pij lectoris auribus dignam admodum materiam alto penitus sepultam silentio pertransijsse videar, adscribam hoc loco egregiam haud ignobilis, & obscuri doctoris sententiam ad hunc modum de primo sanguinis riuo scribentis. *Exodi 4.*

Saluator vix dum natus Saluatoris officium fæliciter auspicari dignatus est, quod quidem sanguinis effusione perficiendum erat. Quemadmodùm enim mercatores pretiosas merces empturi priusquam totam pretij summam exoluant, aliquam eius partem offerunt, & in partem pretij, & in signum futuræ solutionis; Ita planè cælestis hic mercator (qui ad hoc in mundum venerat, vt animas nostras à Diaboli captiuitate redimeret) hodie recens natus, sanguinem fundens, & pretium salutis nostræ obtulit, & futuræ solutionis Symbolum dedit. *Sanguis in circũcisione effusus merces salutis humanæ, & Symbolum redemptionis fuit.*

Secundò sanguinẽ profundere voluit Saluator noster cum

Secunda sanguinis effusio. cum discipulorum societate destitutus ad ardentissimas preces Aeterno patri fundendas secesſit solus in hortũ; vbi sanctissima eius anima horribili mortis aspectu commota, copiosos sanguinis fontes ex omnibus corporis partibus ita abundè profudit, vt tamquam ex inexhausto, & perenni gurgite per vestes etiam ipsas factæ sint guttæ, sicut guttæ sanguinis decurrentis, & magno impetu prosilientis in terram.

Tertia sãguinis effusio. Passus est tertiam Assertor noster sanguinis effusionẽ in passione, quæ licet perpetua quædam fuerit cruoris effusio, & immensum quasi quoddam pelagus, ex quo maximum sanguinis profluuium semper erumpebat; quoniam tamen maximè memorabiles, & omnium celeberrimæ quædam passionis Christi plagæ fuerunt, ad quas magna dominici liquoris sanguinea substantia è venis in terram prosiliens consecuta est, propterea ad illas diligentiori cura contemplandas me conferam. Tertia igitur vice profudit sanguinem Iesus, dum diro funead columnam religatus arctissimè in Præsidis Pilati Prætorio, crudelissimè siue virgis, siuè verbere è funiculis, & loris contexto totus dilaniatus, & dilaceratus fuit, quæ dominici corporis dilaceratio adeò magna, & horribilis extitit, vt insignem sanguinis copiam è sacrato illo corpore expresserit; id quod apertè testatur D. Augustinus in sermone de passione. *Ecce dominus*, inquit, *aptatur ad verbera: Ecce iam caditur, rapit Sanctam cutim violentia flagellorum repetitis ictibus, crudelia verbera scapulorum terga cõscindunt. Proh dolor, iacet extensus ante hominem Deus, & supplicium patitur rei, in quo nullum peccati vestigium potuit reperiri.* Hactenus Augustinus. Neminem autem adeò

S. Augustinus.

rudem,

rudem, & ignarum reperiri posse existimarim, qui optimè non teneat viuentem corporis cutim proscindi nequaquam posse absque magna sanguinis prorumpentis copia, illo enim humore à natura quæuis carnis, & cutis humanæ pars aspergitur, & irrigatur.

Inauditam hanc sanguinis profusi copiam ex omnibus Christi membris dimanantem proxima alia determinatæ quidem, sed principalioris, ac nobilioris naturę partis effusio sanguinis est consecuta, dum carnifices solita militari petulantia in modum regij diadematis spineam coronam efformantes, sacerrimum illud domini caput acutissimis spinis confoderunt, quæ cutis, & carnis substantiam vsq; ad ossa penetrantes elicuerunt sanguinem, quo fædata tempora, madefactum caput, concreti crines, barba, & diuinæ demum ceruices recenti effusione pollutę fuerunt. *Quarta sanguinis effusio.*

Huic quinta adiecta est sanguinis effusio, quæ in eo monte contigit, in quo sæuissimā mortem, vt vitam nobis largiretur, idem Assertor oppetijt; cum immani feritate milites manus extensas adhibito prægrandi malleo ferreis clauis vi maxima adactis cruci affixerūt; ac ne dum his satiati Christi cruciatibus sanctos illius pedes postmodum clauis itidem durissimis traiecêre. *Quinta sanguinis effusio.*

Sexto loco ea fuit, quam me legisse memini in diuinis eloquijs, quæ vel ipso Assertoris, vel Deiparæ Virginis matris ore accepit famula illorum Brigita, dum acerbam Iesu mortem, eiusq; mysteria pio corde secum ipsa euoluens meruit à Virgine eius rei accipere cognitionem, quam anteà pauci perceperant. Intellexit enim diuinum Assertoris nostri caput, post crucis op- *Sexta sanguinis effusio.*

probria, manuum, pedumq; traiectionem iterata vice ſpineis ramuſculis intexta corona circũdatum, atq; trãsfoſſum fuiſſe; ex qua traiectione maxima Dominici cruoris copia erupit, quæ qualis, & quanta extiterit dilucidè cognoſci poteſt ex ijs, quæ libro quarto reuelationum narrantur; ibi enim, poſtquam ſanctiſſima Virgo filij ſui paſſionis ordinem, & ſeriem B. Brigitæ commemoraſſet, protinus ſubdit hunc in modum. *Corona ſpinea capiti eius arctiſſime impoſita fuit, quæ ad medium frontis deſcendebat plurimis riuis ſanguineis ex aculeis infixis decurrentibus per faciem eius, & crines, & oculos, & barbam replentibus.* Ne verò lectoris animum aliqua hac de re ſubiret dubitatio, (in litẽ enim apud quoſdam adduci ſentio, fuerit nè peractum opus iſtud antequam Cruci eſſet ſuffixus Aſſertor, an magis poſtmodũ) propterea alibi clarius, libro videlicet ſeptimo reuelationũ idem à Virgine matre Maria accepit. *Quo facto*, inquit, illa, *coronam ſpineam, quam depoſuerant de capite eius, cum crucifigeretur, iterum impoſuerunt, & aptarunt capiti ſuo ſacratiſſimo, quæ tam fortè pupugit &c.*

Beata Brigita lib. 4. reuelationum cap. 70.

Eadem lib. 7. reuelatione cap. 15.

Poſtremò tandem loco recenſenda eſt illa cruoris effuſio, quã omnipotentis Dei virtus operata fuit poſtquam Aſſertoris ſpiritus ex corporis ſui ergaſtulo egreſſus ad inferna loca, & ſanctos patres in optatam libertatem reſtituendos ſe contulit, quo temporis ſpatio crudeli cuſpide ſauciatum illius pectus largos ſanguinis, & aquæ fontes profudit; vt capite decimonono Diuinus Euangeliſta Ioannes teſtatur.

Septima ſanguinis effuſio.

Addit præterea D. Bernardus tomo primo ſuorum operum ſermone de paſſione domini nouam præter enar-

D. Bernardus c. 30.

enarratas ſanguinis effuſiones, cruoris eruptionem, quam Aſſertori contigiſſe arbitratur, cum à militibus in Prætorio detentus illuſus, ac deriſus capillorum, & barbæ diuulſionē, ac dilacerationem crudeliſſimè paſſus eſt; huius autem effuſionis certum arbitratur eſſe illud diuini Vatis teſtimonium, quo Chriſti perſonam ſuſtinens genas ſuas vellicatas eſſe teſtatur. Sic enim ſcribit Bernardus. *Tertia ſanguinis effuſio fuit in vellicatione genarum, cuius teſtimonium habemus in Propheta dicente ex perſona Chriſti crucifixi, corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus; quod quidam exponunt de laceratione maxillarum facta vnguibus impiorum Iudæorum, quidam autem de euulſione barbæ domini. Poteſt vtrumq; fuiſſe verum. Credo non ſine aliqua ſanguinis effuſione id peractum.* Hactenus ille.

Quæ de explicatis ſanguinis effuſionibus hucusque cōmemorata ſunt, ſi ſextā, & vltimam ſanguinis emiſſionē, demas quas nō ita communiter receptas eſſe animaduerto, concordi ſententia amplectuntur ſacræ doctrinę ſcriptores vniuerſi in his lucubrationibus, quas in ſacra quatuor Euangelia plurimas ediderunt; & meritò quidem, illa enim omnia ex diſertis Euangelij verbis habentur; quæ nullus citrà hæreſis contagionem poteſt inficiari. De prima namq; effuſione ſic teſtatur D. Lucas cap. ſecundo. *Et poſtquam conſumati ſunt dies octo, vt circumcideretur puer, vocatum eſt nomen eius Ieſus.* Secundum idem Lucas cap. vigeſimoſecundo recenſet. *Et factus,* inquit, *in agonia prolixius orabat. Et factus eſt ſudor eius, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.* De tertia non Ioannes modo cap. decimonono loquitur

his verbis, *Tunc ergo appræhendit Pilatus Iesum, & flagellauit*; verùm etiam eiusdem acerbissimi cruciatus meminit Matthæus cap. vigesimo septimo. *Iesum autem flagellatum tradidit eis*; quod ijsdem fermè verbis affirmauit Marcus cap. decimoquinto, inquiens, *& tradidit Iesum flagellis cæsum*. Quibus in locis etiam consignarunt quartam Assertoris nostri sanguinis effusionẽ, *Et milites*, inquit Dilectus Iesu Apostolus, *plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti eius*. Marcus, *& imposuerunt ei plectentes spineam coronam*. Matthæus, *& plectentes coronam de spinis posuerunt super caput eius*. De quinta edisserunt vnanimiter quatuor Euangelistæ. Matthæus. *Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones*. Marcus, *& crucifixerunt eum*. Lucas, *vbi crucifixerunt eum*. Ioannes tandem, *milites ergò cum crucifixissent eum*. Septimam ad extremũ docuit idem Ioannes in illis verbis. *Ad Iesum autem cum venissent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, sed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit sanguis, & aqua*.

Non me præterit Auctorem tomi secundi Lytargicarum prędictis effusionibus alias septem adiecisse sanguinis effusiones; quas hoc ordine exequitur. Prima fuit effusus in Circũcisione sãguis. Secũda fuit sudor sanguineus in horto. Tertia, cum Dominus duce Iuda comprehensus, & ligatus est nodis adeò arctis, vt sanguinẽ facilè elicuerint. Quarta Domino accidit, cum columnæ vinculis alligatus est, vt commodius flagellis cædi posset. Quinta fuit ipsa flagellatio. Sexta in corona spinosis contexta ramis subsecuta est. Septima sub pondere ligni, in quo erat suspendendus. Octaua in monte Calu-

uariæ,

uariæ, cum rursus vestibus euulsæ, atq; dissectę carni inhærentibus Christum spoliarunt, quò nudus in Crucis stipite penderet. Nona eius sanguinis fuit, qui ex vulnere dextræ manus effluebat. Decima ex traiectione sinistræ manus pariter. Vndecima ex vulnere dextri pedis. Duodecima ex sinistri pedis plaga. Decima tertia, cum amaram fellis, & aceti potionem gustasset. Decimaquarta ea fuit effusio, quam cõfixum clauis ferreis corpus, & in sublime elatum dedit, patuerunt enim rursus plagæ, ac vulnera, ex quibus tum vi motus exciti, tũ pendentis corporis mole copiosa sanguinis substantia manauit. Vltima tandem in apertione lateris fuit. Verùm, vt quilibet ex se intelligere potest, qui sic varias Christi domini enarrando prosequitur sanguinis effusiones, à nostra minime opinione abest, quæ solo breuiori quidem numero vtens omnes agnoscit, atq; concedit profusi sanguinis vices.

DISPVTATIO SECVNDA.

De ijsdem sanguinis domini effusionibus peculiariter consideratis.

TOTA controuersia est, si effusiones, quas hactenus sub generali, seu, vt loquuntur, specifica effusionis ratione perpendimus, easdem in particulari, exactius expendamus inuestigantes, ac quærentes, num Assertor noster semel duntaxat vnamquamq; ex tactis effusionibus pertulerit; an potius omnes, vel aliquas illarum

larum saltem iterata vice passus fuerit, etenim hac in re diuersi abeunt Doctores; sunt enim, qui plures, & rursus, qui pauciores arbitrentur fuisse sanguinis Christi effusiones. Nos igitur ad huius rei illustrationem certas quasdam disputationes instituemus.

CAP. VNICVM.

Tres ex prædictis ad minimum sanguinis effusiones Christo patienti semel duntaxat contigerunt.

QVæ in præsenti capite decernēda proponuntur, omnibus probata adeò, & omni etiam fide digna sunt, vt longam non desiderent explicationem. Diuina enim eloquia scientes planè norunt, nec decuisse, nec aliter fieri potuisse, vt iteratò aliquę sanguinis effusiones in Assertore locum haberent. Etenim si mentis humanæ oculos ad Circumcisionis mysterium contuendum eleuemus, (ex quo prima sanguinis effusio suam habuit originem, & causam) clarè videamus necesse est, diuinum illud præceptum, quod præpotens Deus seruo suo fideli dederat, vnica duntaxat vice ab vnoquoq; Iudaicæ gentis homine fuisse executioni demandatum, octauo scilicet ab ortu cuiuslibet auram vitalem attingentis die; sic enim districtè hanc consuetudinem seruari demandarat Deus, vt patet Genesis 17 ex eos decimo septimo. *Circumcidetur ex vobis omne masculinum, & circumcidetis carnem præputij vestri, vt sit signum fœderis inter me, & vos. Infans octauo die circumcidetur in vobis omne masculinum in generationibus vestris, tam vernaculus, quam emptitius circumcidetur, & quicunq;*

non

non fuerit de stirpe vestra. Eritq; pactum meum in carne vestra in fœdus æternum, masculus, cuius præputij caro circũcisa non fuerit, deleatur anima illa de populo suo, quia pactũ meum irritum fecit. Christus autem dominus, qui, vt ore proprio testatus est, non venerat soluere legẽ, sed ad implere, gentis suæ vestigijs insistendo legis duritiem experiri in corpore proprio non recusauit. Amplius Iudaica præputij incisio apta, & congruens erat lethalis animorum ægritudinis ex antiqua parentis Adæ præuaricatione contractæ medicina, quę quia semel epota, atque degustata originalem contagionem, & morbum sanabat, haud æquũ, necesseve fuit vt ea sæpius humanis applicaretur corporibus perfecta iã sanitate gaudentibus. Ad hæc illud hæbreorum generi inflictum vulnus erat diuini illius Sacramenti imago, quo fideles nũc Christo seruientes sacro regenerationis fonte salubriter immerguntur; atqui vnica vice tantùm homines salutaribus vndis expiari solent.

Si verò quis oppositum ex sacris litteris colligi contendat propteteà quòd Iosue quinto filios Israel in mẽbris suis circumcisionem secundò fuisse expertos legamus; Etenim strenuissimum populi sui ducem Iosue alloquens Deus; *fac tibi cultros*, inquit, *lapideos, & circumcide secundò filios Israel, fecitq; quod iusserat dominus, & circumcidit filios Israel in conualle præputiorũ. Locus* ille haud debet quempiam conturbare; nam si ad ea, quæ eodem capite subtexuntur, attentas aures præbeat, clarissimè audiet, illud ipsum Iosue testimonium, cui prẽsens innititur difficultas, solidum esse veritatis, quam docemus, fundamentum; etenim secundæ huius circumcisionis causam, *Obiectio. Iosue 5.*

cauſam, & occaſionem enarrans ſacer contextus hæc habet. *Hæc autem cauſa eſt ſecundæ circumciſionis, omnis populus, qui egreſſus eſt de Aegypto generis maſculini, vniuerſi bellatores viri mortui ſunt in deſerto per lõgiſsimos viæ circuitus, qui omnes circumciſi erant. Populus autem, qui natus eſt in deſerto per quadraginta annos itineris latiſsimæ ſolitudinis incircumciſus fuit, donec conſumerentur qui non audierant vocem domini, & quibus ante iurauerat, vt oſtenderet eis, terram lacte, & melle manantem. Horum filij in locum ſucceßerunt patrum, & circumciſi ſunt à Ioſue, quia ſicut nati erant in præputio erant, ſuæ eos in via aliquis circumcidebat.* Quo loco nihil illuſtrius ad Circumciſionis vnitatem demonſtrandam arbitror poſſe optari.

Eundem dominum ſemel etiam duntaxat crucis ſupplicium pertuliſſe, cuius vi, ac atrociſſimorum dolorum ſæuitia ſpiritum à primordijs ſuis ſempiterna, & diuina perfruentem lætitia eidem Deo parenti reddidit, ſacrarũ litterarum doctrina, conſtantiſſima orthodoxorum fides, omnia prophetarum vaticinia, communis patrum, & theologorum ſententia; omnes deniq; ſacrarum hiſtoriarum auctores pari, & conſona voce tradiderunt.

Quod idẽ eſt affirmandum, eſt de admirabili ſanguinis effuſione, quam extincto Aſſertoris noſtri corpore, ſuis ſe vidiſſe, oculis obnixè teſtatus eſt Diuus Ioannes capite decimonono. De alijs verò, quæ adhuc ſuperſunt, ſanguinis effuſionibus, res non ita aperta eſt, ſed potius meritò fortaſſis, eas multoties Chriſto adhuc vitã propaganti occurriſſe, vereri quiſpiam poſſet, quemadmodũ paulo poſt oſtendemus.

DI-

DISPVTATIO TERTIA. Cap. 21.

Super illis verbis D. Lucæ. *Et factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.*

CAP. I.

De difficultate, qua premitur allatum D. Lucæ testimonium.

NVNC accedendum est ad pertractandam sanguinei sudoris materiam, quæ varias, ac nobiles quæstiones in se claudit. At quia ex allato Euangelij Lucæ testimonio grauis suboritur de illius certitudine difficultas, propterea inuestigare necesse est, An in firmo, stabiliq; solo veritatis defixas radices habeat citatum D. Lucæ testimonium, vnicum huiusce negotij fundamentum, cuius si vel robur labefactari, vel certè veritas in dubium reuocari posset, nullam ea, quæ pertractaturi sumus, fidem mererentur, quippe quæ aut ex falso, aut ex dubio saltem proficiscerentur principio.

Aliqui igitur Patres antiquitate, doctrina, sanctitateq; præstantes, & diu anxij extitêre, & nunquam plana, & indubitata illorum verborum certitudo illis visa est. Cum enim in pluribus cùm Græcè, tùm latinè exaratis codicibus, illud, *factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram*, legendo nequaquam consignatum offendissent, in eam sententiam deuenêre, vt arbitrarentur, non esse illam S. Lucæ auctoritatem ex

omni parte tutam, ac indubitatam. Audi D. Hilarium huius opinionis grauissimum auctorem, qui lib. de Trinitate decimo circà mediũ præsens Euangelij testimonium ponderans hæc scribit. *Nec sanè ignorandum à nobis est, & in græcis, & in latinis codicibus quam plurimis vel de adueniente Angelo, vel de sudore sanguinis nihil scriptum reperiri. Ambigentibus igitur, vtrum hoc in libris varijs aut desit, aut superfluum sit; (incertum enim hoc nobis relinquitur de diuersitate librorum,) certè si quid sibi ex hoc hæresis blanditur, vt infirmum affirmet, vt ei opus fuerit Angeli confortantis auxilio, meminerit creatorem Angelorum, creationis suæ non eguisse præsidio; dum deindè necessariò eo modo eum confortari, quo modo, & tristem esse. Nam qui nobis tristis est, ideò propter nos tristis est, necesse est, vt propter nos sit confortatus, & nobis.* Hactenus Hilarius. Cuius sententiæ etiam propugnator fuisse videtur Hieronymus lib. cõtra Pelagianos 2. nõ procul à medio, vbi detestabile, ac impium Pelagij dogma refellens, qui & omnem diuinæ gratiæ virtutem de medio tollebat, & quæcunq; ẽt egregia opera, quæ Deum proximè attingunt, naturalibus liberi arbitrij viribus adscribebat, ad hunc fermè modum de eodem S. Lucæ testimonio loquitur. *In quibusdam exemplaribus, tàm græcis, quàm latinis inuenitur scribente Luca. Apparuit illi Angelus de cælo confortans eum, haud dubium, quin dominum Saluatorem. Et factus in agonia prolixius orabat, factusq; est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Sic Hieronymus, cuius verba, & mentem expendens Caietanus in ijs commentarijs, quos in Lucam edidit cap. 22., affirmare non veretur D. Hieronymum de citato sudoris sanguinei

Quid S. Hilarius de eo S. Lucæ testimonio senserit.

S. Hieronymus.

Pelagij hæresis quæ.

Caietanus, S. Hieronymum de S. Lucæ testimonio hallucinatum.

nei, & angelicæ conſolationis teſtimonio hæſitaſſe; propterea quòd in aliquibus tantùm, non autem in omnibus, & ſingulis ſacræ Diui Lucæ hiſtoriæ exemplaribus appoſita eſſent illa verba, & factus eſt ſudor eius, ſicut guttæ ſanguinis &c. *Aduerte*, inquit Caietanus, *quod Hieronymus non reputat omninò certam hanc angeli apparitionem, eo quod non inuenitur in omnibus codicibus Euangelij ſecundum Lucam*. Quare licet perpendenti, ac diligenter perſcrutanti mihi non paucos S. Lucæ Euangelij codices, ac varias variorum eiuſdem hiſtoriæ tranſlationes, haud occurrerit aliquis contextus, in quo huiuſcemodi verba deſiderentur; veriſſimum tamen eſt id, quod locupletiſſimi teſtes DD. Hilarius, & Hieronymus aſſerunt, multos ea, qua ipſi vigebant, ætate, mancos, & mutilos Lucæ Euangelij codices haberi vulgò, ac legi ſolitos. Quamquam hoc nullam ſiuè fidei noſtræ, ſiue ſacro Lucę Euangelio fidem abrogare debet; certitudine enim ipſa certius eſt, verba illa inter veras ſacræ narrationis Euangelicę partes recenſenda eſſe; fuiſſeq; illud egregium quoddam Saluatoris noſtri adhuc mortalis facinus ſanè memorandum.

CAP. II.

Cur in plerisq; codicibus ea Diui Lucæ verba non reperirentur.

CÆterum roget nos quiſpiam; ſi hæc ità ſunt, vt ſtatuimus, quî accidit tam manifeſtus in tot codicibus error, aut cuiuſnã malitia, aut incuria potius adeò deteſtabilis mutilatio Lucæ Euangelio eſt il-

lata? At huic ego interroganti respondeo, illorũ verborum defectus duplicem assignari posse ratione; quarum altera ex pessima quorundam nefariorum consuetudine, altera verò ex inscitia, & ex aliquorum inani nostrę religionis defendendæ studio ortum habuit. Primę huius malę consuetudinis, & corruptelę fuerunt auctores, & parentes Armeni, qui vt peruersa, & impia dogmata euulgare solebant, ita bellum Christo indicentes perpetuum, miram hanc mentiendi licentiam excogitauêre, vt Euangelicos passim codices, vel addêdo deprauarent, vel certè tollendo veritatem illorum imminuerent apertissimam; & sic qua erant insolentia, & ergà sacras Euãgelij historias irreuerentia, turpissimè malis suis fauêtes D. Lucę testimonium sustulerunt; non est hoc meum commentum, sed aperta mens, & auctoritas Nicephori Calisti, qui turpissimos Armenorum errores referens, varijs illorum hęresibus commemoratis, hęc, quę rem nostram tangunt, subnectit. *Quin multa etiam diuini Euangelij dicta, suam ipsi opinionem astruere conantes tollunt, atq; inducunt.* Quod Nicephori dictum, etsi de peculiari illo cap. 22. Lucę expressè non militet, multum tamen est ponderis ad detestabilem Armenorum licentiam coarguendam, quę haud dubiè sic insolens fuit, vt etiam verba illa, & factus est sudor &c. de Euangelij codice resecare non dubitarint, de quo crimine libet egregiũ Theodori Balsamonis testimoniũ hoc loco ponere, capite enim, quod inscribitur, de pessimorum Armenorum pessima religione, deprauatos eorum mores enarrans hęc inter alia scribit. *Porrò autem à sacris quoque Euangelijs abstulerunt vocem, quæ dicit, & factus*

Cur in plerisq; codicibus Euangelij D. Lucæ testimonium illud non habeatur.

Armenorũ error.

Nicephorus Calistus libr. Eccl. histor. 18. cap. 53.

Theodori Balsamonis testimonio idem probatur.

factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis in terram descendentis; hoc esse imbecillitatis existimantes, non diuinæ maiestatis, sed etiam historiam, quæ nos docet, quod mulier ad Iesum, tanquam adultera adducta est, sustulerunt. Hactenus verba sunt Balsamonis.

Bartholomęus Medina 3. p. q. 12. art. 4. arbitratur nonnullos nostri temporis hęreticos, qui vulgò Anabaptistę dicuntur, auctores fuisse huius licentię depraua ndi codices; Verùm haud scio, quo iure hoc illis tribuat; tum quòd superiori ęuo idem error Dei Ecclesiã exagitarat; tum quòd huiuscemodi hęresis in eo catalogo, quem Gabriel Prateolus absolutissimum confecit, non habetur, vt videre est verbo, Anabaptistę. *Medina.*

Alij verò (quod ad secundam rationem spectat) non deprauandi codices, sed miro quodam, & inepto orthodoxæ fidei ardore succensi, quo facilius Christum ab hostium catholicæ religionis calumnijs vindicarent, abolendum illud Lucæ 22. censuerunt, arbitrantes verba illa magnum, ac perualidum esse contrà Iesu Christi diuinitatem telum, cum tamen infirmissimum, & nullum sit; cum enim in ea incidissent Catholici tempora, in quibus Arrius calumnijs acriter Christum insectans mentiebatur Saluatorem nostrũ puram esse creaturam, neq; eiusdem cum Patre Æterno naturę diuinę consortem, suumq; hoc crimen atrocissimum tueri, ac defendere omni studio certabat ijs scripturę locis, in quibus asseritur Christo aliqua cõtigisse, quæ puris creaturis accidere manifestis experimentis cernimus, cuiusmodi sunt sudorem emittere, tristari, flere, &c.; idcirco, ne ex hoc Lucæ testimonio Christum non esse Dei filiũ *Arrianorũ prauitas.*

fateri

fateri cogerentur nonnulli catholici illud ſuſtulerunt, non intelligentes nihil hinc veræ Chriſti diuinitati repugnans, aut contrarium haberi, colligiuè poſſe. De ſingulari hoc facto, etſi non ita facilè exempla reperiã, in re tamen ſimillima, ac eadem propemodum inuenio fideles quoſdam eodem Arrianorum metu perterritos de codice Sancti Lucæ capitis 19. & *vt appropinquauit videns ciuitatem fleuit ſuper illam*, ademiſſe verbum, fleuit, ne Arrianæ prauitatis ſectatores ex fletu, qui humanæ naturæ defectus videtur, Chriſtum humanam dũtaxat eſſe perſonam blaſphęmarent. Ponam hîc verba Epiphanij hoc ipſum commemorantis, quæ ad ſecundam rationem illuſtrandam multum valent. In Ancorato enim, *ſed & fleuit*, inquit, *velut in Euangelio ſecundum Lucam habetur in incorrectis exemplaribus, & vtitur eo teſtimonio S. Irenæus in opere cõtra hæreſes aduerſus eos, qui Chriſtum in apparentia apparuiſſe dicunt, orthodoxæ ſuſtulerunt verbum timentes, & non intelligentes ipſius finem, ac vim, & robur*. Sic Epiphanius.

Epiphanius in Ancorato à principio pag. ferme quarta.

At cur igitur vir doctiſſimus de hoc certiſſimo ſcriptu rę loco dubitauit? An quia magna exemplariorum copia, in quibus deerant illa verba, & factus eſt ſudor &c. cuiuſuis ſapientiſſimi animum in apertam ſuſpicionẽ, & contextus traheret hæſitationem? An quia Armenorum dolus, & deprauandi codices petulantia lateret adhuc in obſcuro? An potius, quia certa fidei regula, ac Apoſtolicæ Romanæ Sedis, & Eccleſiæ nulla definitio extaret variarum translationum, quæ tunc temporis in vſu habebantur, qua ſtabilita, atque cõfirmata eſſet S. Lucæ non tota hiſtoria modo, verum quælibet

Cur Hylarius iure a liquãdo dubitauit.

etiam

etiam illius vel minima pars, qualis eſt iſta de Angeli conſpectu, ſudoreq; ſanguineo? Certè qui horũ quoduis affirmarit, meo ſanè iudicio is & probabiliſſima, & verò ſimillima dicet, dummodò tamen ambigentem nõ faciat de hoc Lucę teſtimonio Hieronymum, qui ſi non prorſus incõſideratè legatur, manifeſtiſſimis votis ſubſcribit huic opinioni de Angelico aduẽtu, ſanguineoq; ſudore eodẽ in loco; ex quo Cardinalis Caietanus contrarium hæſitantis Hieronymi ſumpſit argumentum. Subdit enim Hieronymus quodammodo Critobolum in Dialogo illo Pelagianorum partes ſuſtinentem irridens. *Seruator in paſſione ab Angelo confortatur, et Critobolus meus non indiget auxilio Dei habens liberi arbitrij poteſtatem, & tam vehementer orabat, vt guttæ ſanguinis prorumperent ex parte, quem totum erat in paſſione fuſurus*; cuius argumentatio contra Pelagianos caſſa penitus, & irrita foret, ſi in litẽ reuocaret Hieronymus Angeli confortantis auxilium Chriſto exhibitum, & guttas ſanguinis ex corpore Dominico prorumpentes; quid enim, quęſo, roboris argumentũ illud à maiori ad minus haberet, vt funditus Pelagij hęreſis deſtrueretur, ſi Seruator, qui filius Dei erat Vnicus, in maximo animi, corporisque angore conſtitutus ab Angelico conſpectu nõ fuiſſet confortatus? vt quid enim hinc meritò colligeret Hieronymus potiori ratione Critobolum, qui longiſſimo diſtabat à Chriſti Domini perſona interuallo, cęleſti ſupernaturalis gratię egere auxilio, quandoquidem hominum, Angelorumq; caput Saluator noſter Chriſtus, ope eguit Angelica?

Caietani opinio redargnitur.

Quocirca iure merito acerrimus Caietani errorum caſti-

castigator, & mastix Catharinus Caietanum reprehendere potuit, cum disertis verbis testatus est, non omninò certum præsens D. Lucę testimonium à B. Hieronymo haberi. Catharini verba sunt. *Sed notat Caietanus, quod Hieronymus nõ omninò certam putat hanc Angeli apparitionem, quod falsum est; immò probat, et citat vt certum, licet dicat in multis codicibus abesse, at hoc non probat, quod Hieronymus non vt certum habuerit.*

CAP. III.

Ex codicibus varijs, ex patribus, & ex Tridentino Concilio D. Lucæ auctoritatis certitudo ostenditur.

ET profectò nullus eis, qui catholicè sapiunt, relinquitur ambigendi locus, quin, & administrator consolationis Angelus Christo in preces profuso adfuerit, & crassiores rubri liquoris grumos idẽ Seruator profuderit; quod vtrumq; grauissimis scripturæ, sanctorum patrum, & Ecclesiæ decretis, ac sanctionibus præsenti loco probare statui. Exordiar igitur ab ijs, qui nunc extant, codicibus; Traslatio enim, quam vulgatã dicunt, sic habet. *Apparuit autem illi Angelus de cælo confortans eum, & factus in agonia prolixius orabat, & factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terrã.* In Syriaca sic est. *Et visus est ei Angelus de cælo confortans eum. Cumq; esset in angore intensius orabat, & erat sudor eius sicut grumi sanguinis, cadebatq; in terram.* Quæ eadem, vel admodũ simillima verba in omnibus græcis exemplaribus consignata sunt.

Nec aliud sensêre, & scriptis prodidêre Patres qui-

cun-

cunquè vel editis cõmentarijs Lucæ hiſtoriam illuſtrarunt, vel de Chriſti paſſionibus ſermonem habuerunt; vel certè aduerſus hæreſes Chriſto Domino veram humanæ naturæ carnem non concedentes, diſputarunt. Audi in primis Dionyſium Areopagitam, virum antiquitatis, ingenij, ac litterarum gloria nobiliſſimum, de varijs Angelorum muneribus Chriſto exhibitis diſſerẽtem, locum S. Lucæ præſentem approbaſſe illis verbis. *Per Angelum annunciata eſt Ioſepho fuga domini in Aegyptum à Deo diſpenſata; & iterum eiuſdem reductio de Aegypto, & ipſe ſecundum legem Dei datam per Angelos, vt prædictum eſt, circumciſus eſt, & oblatus eſt in templo, & plura alia ſecundum legem impleta ſunt, quæ non enumero tibi ſcienti ſcripturas, qualis eſt, quod Angelus confortarit Deum in agonia &c.* Quæ pariter hiſtoria maximè probatur Irenæo lib. aduerſus hæreſes cap. 32. ſub finem ad hunc modum ſcribenti: *Nec lacrymaſſet ſuper Lazarum; nec ſudaſſet globos ſanguinis; nec dixiſſet, quod triſtis eſt anima mea; nec percuſſo latere exiſſet ſanguis, & aqua, ſi (ſcilicet Chriſtus) carnem de Maria non accepiſſet.* Sic Irenæus. Ex cuius auctoritate, vt hoc quoq; obiter moneam, euidenter conuincitur Gabrielem Vaſquez 3. p. quęſt. 12. cap. 2. immeritò recentiores quoſdam, qui hanc hiſtoriam recepiſſe Irenæum iurè aſſeuerabant, refellere; expreſſis enim verbis eam Lucæ auctoritatem amplexatus eſt, & docuit D. Irenæus, quamuis Vaſquez, qui alios falli putat, apertè decipiatur. Huius ſententię fuit Damaſcenus, qui tertio de fide cap. 20. hęc narrat. *Confitemur autem, quod omnes naturales, & innoxias paſſiones aſſumpſit*, (ideſt Chriſtus de illo enim eo cap. loquitur)

Dionyſius Areopagita in fine c. 4. cæleſtis Hierarchiæ.

D. Irenæus.

Gabriel Vaſquez.

D. Damaſcenus.

naturales autem, & innoxiæ passiones sunt eæ, quæ non in nostra sitæ sunt potestate, quæcunq; ex condemnatione ob transgressionem in humanam ingressæ sunt vitam, vt fames, sitis, pœna, labor, lacrymæ, corruptio, mortis recusatio, timor, agonia, ex qua sudores, guttæ sanguinis, & ob naturæ infirmitatem ab Angelis confortatio, & huiusmodi, quæ quidem cunctis hominibus naturaliter insunt; omnes igitur accepit, vt omnes sanctificet. Hactenus Damascenus. Cuius certę veritati in Ancorato citato anteà loco libentissimè sub-

Epiphan. scripsit Epiphanius ad hunc modum scribens. *Sed, & fleuit, velut in Euangelio secundum Lucam habetur in incorrectis exemplaribus; & vtitur eo testimonio S. Irenæus in opere contra hæreses aduersus eos, qui Christum in apparentia apparuisse dicunt. Nam orthodoxi sustulerunt verbum timentes, & non intelligentes ipsius finem, ac vim, & robur. Et constitutus in anxietate sudauit, & fuit sudor eius, velut guttæ sanguinis, & conspectus est Angelus confortans ipsum.* Legenda, quę scribit in eandem sententiam hęresi 69. longè post medium; quemadmodum pariter consulendus est D. Damascenus lib. de fide cap. 18. 20. & 23.

D. Damasc. lib. de fide cap. 18. S. August. Sed pręter citatos certo huic Lucę testimonio fidem, & auctoritatem adiungit B. Augustinus eam non obscuris verbis professus, ac tutatus de consensu Euangelistarum lib. 3. c. 4. Vbi, *Lucas autem*, inquit, *prætermisit quoties orauerit, dixit sane, quod isti tacuerant & orantem, & Angelo confortatum, et prolixius orantis sudorem fuisse sanguineũ,*

D. Prosper. *& guttas decurrentes in terram.* Ad hęc D. Prosper in libro sententiarum ex Beati Augustini erutarum doctrina hoc asseueranter affirmat. Verba Prosperi eo loco sunt. *Orans Christus cum sudore sanguineo significat de toto*

corpore

corpore illius, quod est Ecclesia emanatura martyria. Eandē sententiam Amplexus est B. Cyrillus, eamq; scriptam reliquit Epistola nona nō procul à fine errorem Apollinaris confutans his dictis. *Necesse est enim qui appropriationis nomen ita vexant, & in diuersum trahunt, Deum Verbum participem constituere lactationis, & incrementi paulatim accepti, timiditatisq; tempore passionis declaratæ, & indignum facere auxilij Angelici, vt circumcisionem taceam, sacrificium, & sudores, & esuriem, quæ carni quidem attributa, vt quæ illa propter nos acciderunt, adoranda sunt; diuinitatis verò adscripta, & falsa sunt, & nobis tamquam calūniatoribus iustæ condemnationis causam adferunt. Hæ sunt Sanctorum Patrum traditiones, & diuinarum scripturarum denunciationes.* Ex quibus Cyrilli verbis habes non modo sudasse Christum, verùm etiam hanc historiam ex antiquissimis Ecclesiæ sanctę scripturis, & patribus hæreditario nobis iure relictam esse, atq; confirmatam. Et quidem tāta est huius historię certitudo, vt inter clarissimos Græcorum patrum, veręq; sapientię optimates meritò laudatissimus Athanasius eos, qui sanguineo sudore perfusum fuisse in horto Saluatorem inficiantur, diro anatemathis vinculo obstrictos esse pronunciarit; in sexto enim de beatitudine filij Dei volumine, hunc quoque litteris consignauit Ecclesiasticum Anatemathismum; *si quis*, inquit, *confitetur verum hominem, quē assumpsit, non verè manducasse, aut bibisse, aut lacrymatum fuisse, & sanguinem sudasse, & passum fuisse, anathema illi.* Amplius, qui confortatricem Angeli faciem concedit, is Euangelij Lucæ seriem de sudore sanguinis haud potest abnegare, est enim idem ex D. Hilario scrupulus;

B. Cyrillus

D. Athanasius.

S. Bernar. atqui S. Bernardus ſermone 1. de S. Andrea Apoſtolo præſto fuiſſe Saluatori Angelum docet; *vsq; adeò*, inquit, *ſiquidẽ prævaluit ea, quæ fortis eſt, vt mors, dilectio, vt Christũ Angelus Dei confortarit. Quis; quem? Euangeliſtam audi, apparuit inquit Angelus confortans eum*. In hanc eandem ſententiam ſermone de Sancta Trinitate talia prodidit

S. Chriſoſtomus. Chriſtianæ eloquentiæ parens Chryſoſtomus. *Ita, & dominus prætẽdebat formidinem, vt cum diabolus ipſum quaſi hominem aggrederetur, inueniret Deum, qui illum interimeret, & liberaret omnes, qui ab illo detinebantur in inferno; ſic enim dicit; apparuit Angelus confortans eum, qui ab Angelis adoratur, & cui flectitur omne genu cælestium, terreſtriũ, & ſubterraneorum &c.* Ad idem conformandum accedit

S. Thomas. S. Doctoris Angelici auctoritas cùm alibi, tùm 3. p. quæſt. 12. art. 4. in reſponſione ad primum, cuius eſt hæc ſententia. *Ad primum ergo dicendum, quod illa confortatio Angeli non fuit per modum inſtructionis, ſed ad demõſtrandam proprietatem humanæ naturæ, vnde Beda dicit (libro videlicet ſexto in Lucam cap. 22. ſecundum ordinem Bedæ ante medium tom. 2.) in documento vtriusq; naturæ, & Angeli ei miniſtraſſe, & eum confortaſſe dicuntur. Creator enim creaturæ ſuæ non eguit præſidio, ſed homo factus, ſicut propter nos triſtis eſt, ita propter nos confortatur, vt ſcilicet in nobis fides Incarnationis ipſius confirmetur.* Sic Beda; quod inconcuſsè tenent idem venerabilis doctor in caput 22. Lucæ, Theophylactus, Euthymius, D. Bonauentura, & alij omnes; quamuis B. Ambroſius in commentarijs in Lucam de hoc Saluatoris myſterio nihil planè nobis ſcriptum reliquerit. Tandem, vt hoc pro clauſula præſentis difficultatis adijciam; eſto, aliquis de illo Euange-

Beda. lij

lij teſtimonio dubius, & anceps aliquandò fuerit; nunc tamen ſine hæreſis nota nulli cuipiam vereri datur; ſacroſancti ſiquidem Tridentini Concilij decreto ſtatutũ, ac ſancitum eſt, vulgatam editionem, omnesq; illius, & ſingulas partes ad fidei noſtræ infallibilis certitudinem, & ad morum ſanctitatem pertinere; quare cùm verba illa multoties repetita pars ſint Euangelij Lucæ, & illa quidem nobilis, iam omnis ambigendi ſuſpicio ſublata eſt. Videndum Concilium Tridentinũ in ea ſeſſ., in qua de vſu ſacrorum librorum. *Conc. Trid.*

CAP. IV.

An fuerit verus ſanguis ſudor ille, qui manauit ex corpore Chriſti preces ad Patrem fundentis.

ET interim nos ad eas quæſtiones veniamus, quæ ijſdem ex verbis oriuntur. Eſt enim ante alia inquirendum: an ſudor, qui ex Chriſti corpore erupit, vera, & ſubſtantiali ſanguinis forma præditus foret; an verò magis ſolam humidi excrementi, & ſudoris formam ſic obtineret, vt nulla prodeũti ſudori permiſceretur ſanguinis ſubſtantia.

Etenim præcipuam huius dubitationis inueſtigandæ occaſionem prębuerunt interpretationes nonnullę nobilium ſcripturæ ſacrę interpretum, qui non vno in ſenſu verba illa Diui Lucæ, & *factus eſt ſudor eius, ſicut guttæ, ſanguinis decurrentis in terram*, intelligentes iuſtę dubitationi locum reliquerunt. Theophylactus enim vnus ex Gręcis Patribus, & omniũ ſanè iudicio vir inſignis, & doctus, arbitratus eſt non eſſe illam ſacri codicis auctorita- *De natura ſanguinis, ſudoris iuxta Theophylacti opinionem.*

ctoritatem proprio, & hiſtorico, ſed prouerbiali duntaxat, & hyperbolico modo intelligendam, itaut ſanus eius ſententiæ intellectus non ſit, Chriſtum dominum in prægrandi illa anxietate conſtitutum, verè ſanguineas profudiſſe guttas, ſed magis adeò graui affectum fuiſſe angore, & triſtitia, vt ad eam nobis aperiendam D. Lucas communi prouerbio, quo eos, qui in maximo horrore, & animi ſollicitudine verſantur, ſanguinem ſudare dicimus, Chriſtū ſanguineo profuſum eſſe ſudore dixerit; cum tamen re vera ſudor ſanguinis non eſſet. Ponam hoc loco eiuſdem Theophylacti verba, vt quod preſsè de illius opinione dixi, fuſius lector intelligat. In vltima enim ex Græco tranſlatione hæc habentur. *Quod ab humana natura fuerit orare, quæ iuxtà permiſſionem patiebatur communem affectionem, qua amamus vitam, & non à Diuinitate, ſicut dicunt maledicti Arriani, manifeſtum eſt ex hoc, quod ſudauit, idq; cum tanta anxietate, vt planè hæc fuerit, & paræmia enim eſt in his, qui valdè laborant, itaut ſanguinem ſudent, ſicut & in his, qui amarè flent, dicimus, quod ſanguinem fleant. Hoc igitur volens manifeſtare Euangeliſta, quod non tenuibus quibuſdam indicijs, & oſtentationis gratia apparentibus, ſed fluentem fortiter ſudorem diſtillarit, & collegerit ſecum riuos ſanguinis.* Verùm quia allata hæc Theophylacti verba obſcura circūfuſa caligine iacent, præſtat amplioris claritatis ergò, ea, quæ in aurea Angelici doctoris catena Theophylacti nomine conſignata reperio, hic rurſus adſcribere. *Vel hoc*, inquit S. Thomas, *prouerbialiter dicitur de eo, qui vehementer ſudauit, quod ſudauit ſanguinem, volens igitur Euangeliſta innuere, quod groſsis ſudorum guttis madebat, ſumit guttas ſanguinis*

Aurea catena.

guinis ad exemplum. Hactenus ex Theophylacto S. Thomas. Prætereà Euthymius Zigabonus in ijs commentarijs, quibus quatuor Euangelia illustrauit, dum illa verba interpretatur, *& relictis illis &c.*, idem D. Lucæ testimonium nudam in se claudere similitudinẽ putauit. Quare si Euthymij placitum spectes, talis est verborum Euangelij sententia. Verè Christus dominus sanguinem inter sudandum non profudit, sed solummodo illius sudor sanguineis guttis similis fuit, ob concretionem, & crassitiem eam, qua distillantes sudoris guttæ præditæ erant. *Grumi sanguinis*, verba sunt Euthymij, *hoc est crassissimæ sanguinis guttæ, significans, non quod sanguinem sudarit, sed quod crassos deduxerit sudores.*

Quo in sensu Euthymius sanguineum sudorem accipiat. In Matthæi histor. cap. 64.

Videtur autem Theophylacti, & Euthymij sentẽtijs fides, & auctoritas adiungi posse, si quis hunc in modũ ratiocinetur. Hæc Diui Lucę de sudore Christi sententia, est historica quædam narratio simplici ratione docens, quæ Saluatori nostro ante mortem acciderint, ac propterea quæ in ea recensentur eo duntaxat modo accipienda, atq; intelligenda sunt, quo modo rem factam esse significant, ea siquidem semper scripturæ sacræ potissima habenda est explicatio, quã adhibitis à scriptura vocabulis iuxta veram, propriam, & vsitatam eorum significationem magis conuenire cognoscimus; atqui huius prodigij fidelis author D. Lucas, non sanguineum fuisse sudorem, sed duntaxat guttis sanguineis similem fuisse prodidit, potior igitur eorum erit sententia, qui persimilem tantùm sanguini fuisse sudorem, quam aliorum interpretatio, quibus certum est, cum sudore sanguinem simul è venis domini fuisse excus-

Non fuisse verum sanguinem prima ratio persuadet.

sum;

sum; cui etiam sententiæ manifestè adest scriptura, quæ de re, quam agitamus, verba faciens, sic habet.

Luce 22. *Et factus in agonia prolixius orabat; & factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram;* quæ Euangelistæ dicta nihil aliud innuere, vel potius declarare videtur, quam Christi domini sudorem aqueum quendam fuisse humorem, qui sanguinis guttas, si forma, & figura expendantur, proximè referebat. Amplius aduerbium, *sicut*, nuda est similitudinis, seu comparationis vox, similitudo autem, & comparatio deficit semper à veritate illius rei, cui assimilari, & comparari solet; non igitur Christi domini sudor, qui à Diuo Luca similis sanguini appellatur, veram sanguinis substantiam potuit habere. Vt autem huius argumentationis robur, & efficacia clarius pateant, placet vtramque propositionem adhibitis aliquot sacræ paginę testimonijs cõmunire, in quibus particula, *sicut*, pro sola, & nuda similitudine vsurpari solet. Etenim Geneseos tertio dicitur; *Scit enim Deus, quod in quacunque die comederitis ex eo aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij, scientes bonum, & malum*, vbi particula illa, sicut, hunc sensum reddit; in excellentia scientię, & sapientię similes ipsius Dei eritis. Non enim potuit Dęmon, vt vir doctus in huiusce loci commentatione docet, homini promittere ęqualitatem Dei, quoniam id erat nimis absurdum, & incredibile, sed primo Parenti callidè pollicitus est eximiã, & singularem quandam diuinitatis similitudinem, excellentem nimirum rerum omnium scientiam, & sapientiam ei similem, qua Deus ipse gaudet. Et rursus idem. ex voce, quasi, quæ eandem significandi vim, ac, *sicut*, obtinet,

Secunda ratio.

Confirmatio.

Quæ sit significatio vocis, sicut, in sacris litteris.

Genesis 3. ver. 5.

Sensus verborum Genesis 3. eritis sicut dij &c.

obtinet, intelligi poteſt, quam diuinæ Trinitatis perſonæ inuicem de protoparente Adamo colloquentes eodem geneſis capite protulerunt. *Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt, ſciens bonum, & malum*; ſed quorſum in re apud omnes vel indoctos notiſſima detinemur? an non & in profanis, & ſacris litteris hoc ſemper in ſenſu vſurpatam particulam, *ſicut*, certiſſimum eſt? Quid? cum nulla ſit eiuſdem ad ſe ipſum, niſi ridicula comparatio, aut ſimilitudo, vt peripateticæ diſciplinæ alumni omnes tradiderunt, an non ſatis apertè ſudorem Domini non fuiſſe ſanguineum oſtenditur, cum is à Diuo Luca ſanguineis guttis ſimilis appelletur? Et tandem, quod facilè humanam fidem excedit, id ab Euangeliſtis metaphoricè duntaxat proditum eſſe intelligi debet, vt præclarè ſancti patres monent, at incredibile prorſus videtur, optimæ temperationis hominem, qualis Aſſertor noſter fuit, craſſas cruoris guttas ſudaſſe; hyperbolica igitur erit Euangelij locutio.

Tertia ratio.

Poſtrema ratio.

CAP. V.

Explicatur aliorum Patrum ſententia.

TVtior, & quæ ſola hac ætate defendi poteſt, eſt omnium cùm Græcorum, tùm Latinorum Patrum ſententia, quæ docet vero, ac ſubſtantiali cruore in horto perfuſum eſſe Saluatorem. Vti docuerunt Sancti Auguſtinus, Hieronymus, Irenæus, Damaſcenus, & quotquot deniq; patres ſuperioribus capitibus adducti fuêre.

Vera hac de re ſententia.

Quibus ſunt adijciendi S. Cyprianus ſermone de paſ- *S. Cyprian.*

sione Domini, in quo Christi sudorem sanguine testatur abundasse his verbis. *Et te tristem vsque ad mortem præ nimia anxietate sanguineo sudore perfusus coram apostolis es professus*. Iustinus Martyr de veritate Christianæ religionis in eundem Euangelij locum. D. Bernardus sermone tertio de Dominica in ramis palmarum, qui sub nomine fletus, & lacrymarum sudorem Christi sanguineum intelligens, largissimum è membris omnibus effudisse liquorem scribit, & tandem Sanctus Anselmus in sermone de passione verum in Christi sudore sanguinem fuisse asserit his vocibus. *Angustias cordis tui dulcissimi certissimè indicabat sudor ille sanguineus, qui orationis tempore de Sacratissima carne guttatim decurrebat in terram*. Verùm non soli Patres hunc fuisse sanguinis sudorem affirmarunt, sed etiam idem tradiderunt omnes sacri eloquij interpretes, Caietanus, Iansenius, Franciscus Burgensis, Nicolaus de Lyra, &, vt vno verbo dicam, reliqui omnes cùm his antiquiores, tùm ijsdem recentiores, in quorùm ego perdiscenda sententia omni studio sum versatus. In quam præterea opinionem omnis theologorum cætus abijt firmissimè tradens sanguineo sudore totum Saluatoris corpus abundasse.

Iustinus martyr. *S. Bernardus.* *S. Anselmus.*

Prima ratio.

Quare, vt aliæ rationes deessent aduersus Theophylacti, & Euthymij opinionem, meo quidem iudicio ad eam refellendam satis esset argumẽti, quòd tot insignes pietate, & doctrina celeberrimos Patres, Theologos, & Doctores oppositũ sensisse, atq; enixè semper, & vbiq; docuisse videam. Sed contrà Theophylactum ea ipsa, quę historicis præceptis insistens Lucas de sudore Sal-

Secunda ratio.

uatoris

uatoris narrat, validæ argumentationis vim non exiguã habent, nam cum vtentibus hiſtorico ſtylo id maximè proprium ſit, vt ad rem, de qua loquuntur, enucleandã, maximè accõmodatis, ac proprijs dictionibus vtantur, nec ad figuratè dicẽdi modum, niſi id res poſtulet, confugiant, profectò non hyperbolicè, vt putauit Theophylactus, ſed propriè Lucæ narratio intelligenda videtur, ſecus tota labefactaretur hiſtorica Euangeliorum veritas.

Ad hæc cruciatus Saluatoris noſtri, vt ſæpè dictum eſt, aliorum omnium martyrum tormenta grauitate, & ſæuitia anteiuerunt; atqui aqueum liquorem è corporeis mẽbris profundere cęteri oẽs conſueuerunt, qui vel graui metu, vel certo mortis periculo, vel aliquo alio eius generis timore pulſantur; potuit igitur Aſſertor noſter non aquea tantùm, ſed etiam ſanguinea ſubſtantia perfundi; aliter non ſatis intueor rationem, cur vnanimi aſſenſu, omnium grauiſſimos fuiſſe Chriſti domini dolores, dum mortem ob oculos poſitam meditabatur, colligant Patres ex ſudore, qui leui etiam de cauſa in hominibus perfectiſſimę conſtitutionis ſæpè, atq; ſæpius viſitur. Prætereà ea ipſa dicendi formula, qua D. Lucas vtitur, ſanguineum fuiſſe ſudorem declarat, *& factus eſt*, inquit, *ſudor eius, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram*; at quorſum ſanguinis potius, quàm aquę meminit Euangeliſta, ſi ſola ex membris perculſi metu corporis Chriſti, & impermixta aqua cadebat? an nõ ſatius, & ad rei veritatem patefaciendam congruentius dixiſſet, ſudorem Chriſti guttarum aquæ, non verò ſanguinis prę ſe tuliſſe ſpeciem, ratione eius conuenientiæ,

Tertia ratio.

Quarta ratio.

& affinitatis, quæ maior, & potior esse solet inter sudorem, & aquam, quàm inter sudorem, & sanguinis grumos? quare nisi minus propria verborum significatione vtentem Lucam admittamus; quòd tamen opinari impium videtur, sanguineum Christi fuisse sudorem, cogimur asserere, aliter particula illa, *sicut guttæ sanguinis*, quam ad ampliorem sudoris Christi illustrationem duce Spiritu Sancto adiecit Lucas, rem inuolueret magis, quam explicaret.

Obiectio. At dicet Euthymius Græcus, qui nudam in illis Euãgelistæ verbis similitudinem contineri docuit, in Græcis codicibus loco verbi illius, quod latinus interpres vertit, sicut guttæ, legi grumos, qui propriè crassas, densasq. sudoris guttas significant; at quia densioris, crassioriſq; materiæ particeps magis est sanguis, quam elementaris aqua, ideò ad explicandam sudoris Christi crassitiẽ persimilem sanguini, non autem aquæ sudorem tradidisse Diuum Lucã. Sed non euacuat difficultatem eruta hæc ex græcis verbis responsio; etenim cum neminem fugiat, corpulentiorem, crassioremq. sudoris humani materiam esse, quam elementaris sit natura aquę, fuisset profectò superuacaneum ad crassitiem sudoris Christi humanis mentibus explicandam, ex guttis sanguineis exempla periclitari, cũ illud ipsum vel experientia ipsa sit apertissimum. Amplius, cum in mole quantitatis aquęę guttę sanguineis guttis pares sint, frustrà ad sanguinem negotium sudoris reuocasset Lucas, vt hinc nõ tenues, sed crassas, & magnas fuisse sudoris Dominici guttas exprimeret.

Responsio.

Postrema ratio. Accedit postremò probabile argumentũ ex Physicis fon-

fontibus hauſtum. Nam in corporibus ſiue ęqualitate humorum ad pondus prędita, ſiue ab ea qualitatum temperie haud multum deficiẽtibus docent philoſophi, humores aqueos ſanguini admixtos, à quibus ſuam ſudor, & cętera huiuſmodi originem trahunt, minimè prędominari, ſed eam humorum ſanguineę materiæ admiſceri quantitatem atteſtantur, quę ad egregiè concinnãdam humani ſanguinis naturam, & conditionem exigi poteſt. Cùm igitur, vt ex ijs, quę alibi ſupra diximus de perfecta corporis Dominici conſtitutione, ac de magna effuſi ſudoris copia ſatis abundè mox dicturi ſumus, humidi excremẽti quantitas, quę nõ modo ęqualitatis ad iuſtitiã, ſed ẽt tẽperamẽti ad pondus perfectionẽ attingebat, in Corpore Chriſti non magnę, immò perexiguę molis fuerit, certè Euthymius, & Theophylactus permixtum humido excremento ſanguinem pepuliſſe Sacratam Domini naturam, fateri coguntur, neq; enim ex modica liquoris humidi ſubſtantia ſic frequentes guttæ, neq. ex tenuibus guttis defluentes ſudoris riui, neq; ex riuis tandem oriri poterat certum quoddam ſudoris flumen, niſi liquidum humoris excrementum abundans ſanguinis copia comitata fuiſſet.

CAP. VI.

Diſſoluuntur Prioris ſententiæ rationes.

IAm verò operę pretium eſt, vt eas ſoluamus rationes, quę pro opinione Theophylacti, & Euthymij allatę ſunt. Ad primam.

Vera quidem, & ſimplex hiſtorica narratio ea eſt, quam

quam diuus Lucas adhibuit, nec nō etiam congruens ea est responsio, quæ verborum sono competit, ni tamen litterali, rectæq; expositioni materialis verborū sonus repugnet; haud tamen hinc colliges, quamuis ea phrasi vsus sit Euangelista, *& factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis*, eum non asseruisse secundùm propriam, & vsitatam verborum significationem sudorem Christi fuisse sanguineum, vt statim in explicatione secundæ rationis docebo.

Ad secundam.

Vox, *sicut*, non semper in vno, eodemq; sensu in Sacris litteris vsurpatur, nam sæpissimè nudam rei similitudinem significat, vt citata Geneseos testimonia, & innumera penè alia declarant. Sed rursus voces, *sicut*, & *quasi*, de quibus eadem est ratio, non similitudinem, & conuenientiam solùm, sed ipsam veri speciem exprimunt; qua in re, fortassis, apud nonnullos obscura, exēplis vti possumus minimè obscuris. Esdræ enim secundo de quibusdam verum Dei timorem in se custodientibus dicitur. *Præcepi Hanari fratri meo, & Ananiæ principi domus Hierusalem; ipse enim, quasi vir verax, & timens Deum plus cæteris videbatur*, quo loci vox, *quasi*, loco verè, & propriè, posita est. Sed luculentiùs hoc traditur capite primo Euangelij Ioannis Apostoli, qui de verbo diuino, quod humanam carnē induerat, loquens, *Vidimus*, inquit, *gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre plenum gratiæ, & veritatis*, hoc est oculis ipsi nostris contemplati sumus gloriam, ac maiestatem veri vnigeniti à Patre descendentis, quemadmodum Catholica veritas, & Conciliorum definitio aduersus Arrium hæreticæ prauitatis assertorem decernunt. Cuius etiam

Sicut, & quasi, nō solum nudā similitudinē, sed etiā rei veritatem significant in Sacroeloquio.

Esdræ 2. cap. 7.

Ioannis 1.

signifi-

ſignificationis ſine dubio eſt præſens Diui Lucæ auctoritas, in qua non obſcurè vocabulum, *ſicut*, eundem habet ſenſum, ac ſi dixiſſet, & factus eſt ſudor eius naturales, ac veræ ſanguinis guttæ.

De tertia ratione ſatis iam dictum eſt. Sed aliud accipe reſponſum; non inficior vocem, *ſicut*, in citato Lucę teſtimonio ſimilitudinis vim habere; ſimilitudo tamen illa veritati ſudoris ſanguinei non officit, neq; enim ea erat Diui Lucæ mens, vt affirmaret, ità ſimilem guttis ſanguinis fuiſſe Chriſti ſudorem, vt re ipſa ille idem ſudor à propria, & vera ſanguinis ſubſtãtia deficeret, verũ ſimilem fuiſſe litteris conſignauit, quoniam etſi guttatim in terræ ſinum caderet, illæ tamen ſanguinis guttæ non perfectam guttarum formam, ſed quandam imperfectæ formæ ſimilitudinem tantummodo habebant; vt hinc videas Euangeliſtæ ſimilitudinem non in ſudoris ſanguinei ſubſtantiam, ſed potius in formam, & qualitatem quadrare.

Super quid cadat vox ſicut, vt ſimilitudinẽ ſignificet.

Ex quo etiam ruit è fundamentis quarta ratio peripateticis ſuffulta præſidijs, quæ etſi alias vera ſint, in re tamen noſtra nihil habent virtutis, quoniam non eiuſdem ad ſe ipſum, ſed imperfecti ad perfectum eſt illa ſimilitudo, vt ratio tertiæ ſolutionis explicat; non enim ſanguis ſanguini, ſed forma formæ comparatur.

Ad vltimam. Sudoris ſanguinei profuſio, nec intellectu difficilis, nec creditu ardua eſt; potuit enim erumpere ſudor vel ſupernaturali, diuinaq. ope ad cruorem hunc naturam Chriſti impellente, vt aliquibus viſum eſt, vel certè, quod verius crediderim, naturali facultate, ità ut ſolius naturæ viribus è venis ſanguis ſaturiens

turiens ad cutim vsq; commearet, vt latius postmodũ demonstrabitur. Quare cuicunq; adhærere volueris opinioni, clarè intelliges nulla necessitate compulsum ad figuram hyperbolicam confugisse Theophylactũ.

DISPVTATIO QVARTA.

De substantiali sudoris sanguinei perfectione, ac de alijs quibusdam dubijs ad sudorẽ sanguineũ spectãtibus.

CAP. I.

An sanguineus sudor substantiali sanguinis forma præditus esset.

PRIMI, quod in tituli principio discutiendum proposuimus, sensus est. An fuerit perfectus, & perfecta substãtiali forma sanguinis præditus ille liquor, qui è membris domini effluxit. Caietanus doctrinę suæ apprimè tenax tertia parte quæst. 54. art. 2. sanguineum sudorem in horto effusum impuri, incoctiq. sanguinis dũtaxat forma excelluisse docuit his verbis. *Ille, inquam, sudor sanguineus fuit humor sanguineus adhuc crudus, hoc est non redactus adhuc perfectè in sanguinem, qui est pars hominis, & huiusmodi humor vocatur sanguis nutrimentalis.* Ex quibus intelligitur Caietani placitum fuisse, Christi sudorem substantiali sanguinis perfecti forma caruisse. Ad hanc verò suam opinionem firmandam vsus est Caietanus ijs rationibus, quas alibi nos, cum sanguinis nutri-

Caietanus

nutrimentalis naturam ſpecularemur, latius in mediũ protulimus, quas iterum oppugnare non videtur neceſſarium, cum citatis locis huic muneri planè ſatis fecerimus. Opinamur enim cum communi fermè aliorum doctorum aſſenſu, totum id ſanguinis, quod ex afflicta Aſſertoris natura profluxit, eiuſdem ſubſtantialis, perfectæquè ſanguinis formæ particeps fuiſſe, qua cęteræ eiuſdem Chriſti ſanguinis partes prædictæ erant, ijs ipſis rationum ponderibus ducti, de quibus perpetuam alibi rationem habuimus.

Num ſudor Chriſti ſola ſanguine, an vero & alijs humoribus conſtaret.

Vtrum verò ille idem ſudor ita totus ſanguineę ſubſtantiæ fuerit, vt nihil omninò vel humidi excrementi, vel cuiuſuis alterius humoris profluenti ſanguini eſſet coniunctum; An potius cum ſanguine aqueus humor ſimul decurreret, ſic vt alter cum altero permiſceretur; in dubium reuocari poteſt; præſertim cum controuerſantium doctorum diuerſæ, ac diſſimiles eſſe poſsint ſententiæ. Nam Caietanus in Lucam cap. 22. etſi nõ inficietur aliquam ſanguinis partem alijs permixtam humoribus in ſudore Chriſti nequaquam defuiſſe, potiſsimam tamen aliorum humorum, & inſigniorem fuiſſe vim, & copiam docuit. *Erat enim*, inquit Caietanus, *corpus Ieſu exhauſtum, & magnitudo paſsionum pellens violentè ſudorem, pepulit ſimul aliquid ſanguinis deficiente ſudoris materia*. In quam Caietani ſententiam iuiſſe Franciſcum Burgenſem clarè oſtendunt ea, quę ſcriptis conſignauit, dum vim illius vocis, *ſicut guttæ, ſanguinis*, expenderet. *Non quod non fuerint veræ guttæ, immo maiores; neq; quod non fuerit verus ſanguis, ſed quod non fuerunt veræ guttæ ſanguinis, poterant autem tales videri,*

Caietanus

Franciſcus Lucas Burg. In commentarijs in Lucam.

deri, *quia erant tinctæ sanguine. Guttæ aqueæ erant, sed mixtæ sanguine. Magna aqua erumpebat è Christi corpore, & cum ea tenuis sanguis; sicq; sudauit sudorem aqua, & sanguine constantem, quamquã copiosiore aqua, quam sanguine.* Quibus Burgensis verbis duo explicantur; alterũ vberiorem sanguine fuisse aquam in toto sudoris Christi profluuio; Alterum, vocabulum, *sicut*, veram, & propriam similitudinem significasse, quæ in eo sita erat, vt Christi domini sudor persimilis esset guttis sanguinis, non enim ex Burgensis sententia verę fuerant sanguinis guttæ, sed potius aqueæ fuerunt guttæ tenui quodam saluatoris nostri sanguine tinctæ.

Auctoris iudicium.

Enim verò, quamuis Franciscí Lucæ sententia rem, de qua in præsens agitur, apprimè explicet, atq; etiam aduersus Theophylactum, & Euthymium verum sanguinis liquorem in sudore Christi fuisse non obscurè declaret, haud tamen vndequaq; dictis, atq. sententijs Sanctorum Patrum, quos latè supra retulimus, conformis videtur, qui absolutè Dominicum sudorem sanguineum, & guttis sanguineis persimillimum appellant; vt hinc propterea negandum minimè videatur, (quod tamen Burgensis nõ concedit) propriè, & absolutè sudori dominico sanguineam conditionẽ tribui posse, absq; limitatione illa, qua vsus est Burgensis, dum nõ sanguineas guttas, sed aqueas rubro colore sanguinis tinctas appellat. Sed reuertamur ad contemplationem prioris dubij.

Alij enim recentiores Caietani, & Burgensis sententiarum approbatores fuêre hunc in sensum voce, *sicut*, interpretantes. Particula, *sicut*, innuit Christum dominum

nùm non quidem purum ſanguinem emiſiſſe, ſed potius ſanguinem alijs humoribus permixtũ, factuſq; eſt, inquiunt illi, ſudor eius non iam verus ſanguis, ſed tantùm guttis ſanguineis non abſimilis, quoniam confuſam vna cum cæteris humoribus tenuis ſanguis erũpens habuit materiam, itaut maior humorum, quam ſanguinis eſſet copia. Sed & Nicolaus de Lyra ſuper eundem Diui Lucæ locum manifeſtiſsimè præſenti ſententiæ fauet hæc addens. *Fiebat, vt non ſolum humores exirent per ſudorem, ſed cum hoc aliquid de ſanguine ſudorem tingente.* *Nicolaus de Lyra.*

Alijs tamen probabilius viſum eſt, ſudorem dominicum ſic maiori ex parte ſanguineã conſtaſſe materia, vt in ſanguine perpauca aliorum humorum quantitas reperiretur, quemadmodum frequentiſsima ſanctorum patrum teſtimonia oſtẽdunt, de quibus mox dicere incipiam, vbi hæ difficultates euacuatæ fuerint, quamuis hactenus pleraq; iam ſuperius allata ſint, quibus id familiare, ac conſequens eſt, vt ſudorẽ ſimpliciter, & abſolutè ſanguineum (hoc eſt ſanguinem modicæ aliorũ humorum materię permixtũ) à Chriſto effuſum fuiſſe dicamus.

De præſenti quæſtione dixerim, defluentem è porris humanæ Chriſti naturæ ſudorem ea ſanguinis copia abundaſſe, quæ, ſi humori aquoſo conferetur, vel æqualis, vel profectò nõ admodum fuiſſet inferior humido excremento, itaut æqua eſſet quantitas ſudoris, & ſanguinis, neq; enim aliqua probabilitate dignum videtur, quod ſecunda ſententia aſtruit, vt liquet ex eo, quòd ſanguineus ſudor Chriſto domino naturæ viri- *Authoris iudicium.*

bus contigit, sicuti infra latius disputabitur, illud autē insitum corporibus à natura est, vt humorem in uenis receptū, quem aquositatem sanguinis medici appellarunt, effundant; Prætereà qua ratione dimanante è patefactis venis Christi sanguine, ne erumperet humor, potuit retineri; cum in ijsdem venarum conceptaculis vterq; insisteret?

Obiectio. Neq; dicas perfectissimam Saluatoris nostri naturam ijs caruisse excrementis, quæ in aqueum humorem facilè conuertuntur, quoniam insulsè id fateberis, nam sanguis Christi, quamuis excellentissimæ esset perfectionis, & naturæ, humore aqueo minimè vacuus fuit, quippe qui non modo perfectioni debitę sanguini non repugnat, verùm potius eidem mirificè congruit, vt omnes sanguinis humani naturam penitus nō ignorantes vltrò fatentur, & concedunt.

Cum igitur è dominico corpore abundantissimus fuerit decisus humor, certè non minori abundantia tāta undē sanguinis venæ emiserunt, neq; enim humidum duntaxat excrementum se solo sic longos conficere riuos poterat, quales fuerant ij, de quibus anteà dictum est; relinquitur ergo, vt asseras non inferiorem in copia puro sudore Christi sanguinem fuisse, quem raptim per ora, manus, atq; membra defluētem ebibit terrę sinus.

CAP. II.

Aqua ne, an sanguis prius è corpore dominico fluxerit.

VTri autem horum, sudori ne prius, an sanguini è venis exeundi data est copia? Videbitur fortas-

sis

sis prior in fluxu fuisse humidi excrementi dimanatio; pellit enim in primis naturalis vigor à se excrementitias partes, dum timore concutitur, atq; nobiles, amicasq; naturalis cõstitutionis partes, qualis est sanguis, quòad fieri potest, sibi asseruat; præterea subtilioris rationis, & naturæ est sudor; crassioris autem materiæ sanguis; atqui facilius, & expeditius, quæ tenuia sunt, quam quæ crassiora, ex apertis carnis humanæ porris dilabuntur. Palàm præsentem opinionem defensitauit Cardinalis Caietanus in suis commentarijs in Lucam cap. 22., dum propter defectum aquositatis sanguinis, vt ille loquitur, quæ penitus hausta fuerat è venis, aliquas sanguinis guttas effudisse Saluatorem docet; nam in huius doctoris via primo loco tota sudoris substantia, & mox suffectus in sudoris vices è corpore sanguineus succus processit. Enim verò Caietani sententię illud solummodò videtur aduersari, quod sacer Euangelij Lucę contextus mixtum cum sudore sanguinem erupisse innuit ijs verbis, quæ 22. cap. sic habent: *factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram*; hęc autem cum accipienda, atq; interpretanda sint de tota copia, ac vna quauis parte sudoris à Christo domino profusi, apparet posteriorem non fuisse puro sudore sanguinem; aliter affirmari minime posset (quod tamen à sacra Lucę historia exorbitare videtur) primò profluentem mediatoris nostri sudorem sanguineum, aut sanguineis guttis similem fuisse, si priori loco emergens è corpore sudor omnis sanguinis prorsus expers fuisset.

Caietanus.

Cui sit difficultati obnoxia Caietani opinio.

Hoc vno firmamento permotus etsi ego non planè putem

putem recedendum ab hac posteriori opinione, quæ ita docet simul,& semel ex patentibus corporis Christi receptaculis permixtum sudori sanguinem,& vice versa, sanguini vnitum sic profluxisse sudorem, vt non ità facilè oculorum obtutu, aut simplex sudor à sanguine, aut sanguis à puro sudore discretus discerni posset; nihilominus tamen non possum non approbare, quod subtiliter tradidit Caietanus,velut inferius manifesta ratione docebo, cum ad eam quæstionem deuenero pertractandam, in qua perquirendum est,miraculosumne, an naturale magis opus fuerit emissio sanguinei sudoris.

CAP. III.

Num Apostoli oculis dominicum sudorem contemplati sint; an potius facinus istud à Christo Domino sint edocti.

ILlud etiam non otiosè quæri potest,qua ratione potuerit ad apostolicas aures peruenire certa sanguinei huiusce sudoris fama, vel, vt melius dicam,certa, & infallibilis veritas; Nam etsi res sit certissima,certitudinis tamen huius euidens ratio non apparet; Etenim,vt taceam in præsens sanguinei sudoris effusionem noctu contigisse, quo temporis spatio per tenebras admirabilem patientis Christi sanguineam distillationem non licebat Apostolis intueri, illud silentio premere nõ possum,quòd Assertor noster,dum sudoribus madefiebat, solus nullis adstantibus discipulis, qui huius sudoris certam notitiã capere possent, semoto in loco degebat, & cum *processisset paululum,* inquit Sacer Marci cõtextus,*procedit super terram,& orabat,vt si fieri posset transiret*

Marcus 14.

ſiret ab eo hora. Amplius adeò grauí ſomno triũ Apoſtolorum oculi, quos ſecum ad vigiliam, & orationem elegerat, tenebantur, vt etiam preſentes huiuſcemodi nihil potuiſſent intueri. *Et iterum abiens orauit eundem ſermonem dicens: Et reuerſus denuò inuenit eos dormientes (erant enim oculi eorum grauati,)* tali pondere, vt non modo reſpicere non poſſent, ſed nec etiam, vt ſtatim ſubdit Matthæus, ſcirent, quid interroganti Domino reſponderent. Matthæi cap. 26.

At inquies Chriſtum poſt tertiò iteratas ad Patrẽ æternum preces, cum diſcipulos alto ſopore oppreſſos ſurgere iuſſit, vt proditori ſecum obuiam irent, hoc inauditũ ſudoris genus, quod paſſus fuerat, paucis verbis, quæ à Diuo Luca non exprimuntur, tribus Apoſtolis aperuiſſe. Sed excogitatam hanc difficultatis explicationem ſeries hiſtorica non admittit, quæ expleta iam tertia orationis vice, Saluatorem proditoris duntaxat aduentum diſcipluis prædixiſſe refert, vt videre eſt Matthæi cap. 26. *Surgite eamus*, inquit, *Ecce appropinquauit, qui me tradet. Adhuc eo loquente. Ecce Iudas*, & Lucæ cap. 22. *Et ait illis, quid dormitis? Surgite orate, ne intretis in tentationem. Adhuc eo loquente*; ex quibus facilè intelligimus poſt tertiam Chriſti orationem, atque eiuſdem à militibus peractam comprehenſionem haud tantum temporis interceſſiſſe, quod ad patefaciendum ſudoris prodigium ſufficeret. Affirmare præterea Chriſtum dominum huiuſcemodi ſermonem cum apoſtolis habuiſſe, quibus ſudoris ſanguinei veritas fieret in propatulo, atq; totum id ſermonis miro prætermiſſum eſſe ab omnibus hiſtoricæ narrationis ſcriptoribus ſilentio,

eſt

est historicam Euangeliorum seriem, quę perfectissima est, imperfectam, atq; mancam declarare.

Auctoris cogitatio.

Illud igitur verius dictu fuerit, huius sudoris sanguinei scientiam ab eodem Saluatore nostro hausisse Apostolos, postquam abolita morte Iesus apostolicis oculis contuendum se se multoties obtulit, nam cum quadraginta dierum spatio post glorioſissimam à mortuis resurrectionem, Christus dominus maximam rerum diuinarum, atq; cælestium arcanorum cogitionem Apostolis impertitus sit, hanc etiam miraculosam sanguinis profusionem eisdem commemorasse haud creditu difficile est. In qua ratione, etsi nihil aliud præter grauem aliquem, & nobilem auctorem cupiam, quia tamen ritè obiecta difficultas enucleatur, ea satis probabiliter teneri, ac defendi potest. Nisi fortè malueris hac alia responsione vti, quæ sic habet. Ea non erat, neque noctis obscuritas, neq; somni Apostorum profunditas, quę discipulis tanto fuerit impedimento, vt ex afflicta Assertoris nostri natura certam capere non potuerint sanguinei sudoris cognitionem, præsertim cum coram Apostolis totus sanguinolentus Saluator adfuerit; sed age, ne hæc respondendi ratio nostrum esse recens inuentum videatur, eam manifesto grauissimi patris testimonio communiamus, quandoquidem D. Cyprianus sanguineum Domini sudorem eo ipso mœroris tẽpore haud ignotum fuisse Apostolis testatur expressissimis verbis. *Et te tristem vsque ad mortem præ nimia anxietate sanguineo sudore perfusus, coram Apostolis es professus;* cui Sancti Cypriani sententiæ non putamus satisfactum, si quis dicat, coram Apostolis quidem, quã-

D. Cyprianus ser. de passione Christi.

uis

uis non cognoſcentibus ſudaſſe Dominum. Neq; enim ad veram præſentiæ rationem, de qua loquitur S. Cyprianus, ſi propriè differere volumus, nuda exiſtentia, ſeu coexiſtentia, vt dicunt, niſi cognitio addatur, ſufficit, ſed omninò exigitur eorum, qui præſentes eſſe dicuntur, expreſſa cognitio, hinc enim eſt, vt rebus cognitione carentibus nihil propriè dicatur præſens; immò, vt omnes fatentur, non ſufficit poſſe cognoſcere, ſed neceſſe eſt, vt is, quo præſente res perpetrari dicitur, actu cognoſcat, cuius conditionis defectu facta, ſeu geſta coram vel dormiente, vel certè non aduertente, non dicuntur facta coram illo, vt in lege coram, ff. de verborum obligationibus habetur, *Coram Titio facere iuſſus non videtur eo præſente feciſſe, niſi is intelligat*; quæ omnia potiori ratione in re noſtra maius robur obtinent, maximè cum aſſerat S. Cyprianus Saluatorem coram Apoſtolis non obſcura ſanguinei ſudoris ſigna dediſſe; quæ ſubitò vigilantibus Apoſtolis innotuêre.

Eſſe præſens quid iuxta dicatur.

An verò, quemadmodum in vltima, qua patrem Aeternum deprecabatur, oratione, globos ſanguinis emiſit Dominus; ita etiam ante Angelici vultus aſpectum hanc paſſus fuerit carnis fragilitatem, non curiosè tandem quæritur. Affirmat Burgenſis ſuper hoc loco ea perſuaſus ratione, quod inuicta Saluatoris fortitudine minimè dignũ videbatur, ſic demiſſo eſſe animo, vt etiã ſecutâ iam angelica confortatione coram confortatore angelo hanc pateretur infirmitatis humanæ imbecillitatem; quin immo, inquit ille, non poſteaquam confortator Angelus apparuit, ſudauit ſanguinem, ſed potius verbis confortatus angelicis ceſſauit ſudare, ob

Quo temporis ſpatio Chriſtus ſudorẽ emiſerit.

Burgenſis in Luca c. 22.

illud consolationis subsidium, quod statim afflicta Saluatoris natura sensit.

Refellitur opinio Burgensis.

Mihi tamen Burgensis sententia, quæ nonnullis magnoperè placuit, non valdè probatur, debili enim fulcro subnixa est; putauit siquidem Franciscus Lucas hanc domini luctam omnem ex mærore, & tristitia traxisse originem; quæ sicuti aduenientè Angelo quieuit, ita pariter statim etiam sudor vi mæroris è corpore dimanans haud deficere non potuit. Hæc si vera, ac firma essent, lubens eius opinioni subscriberem, verũ quia, vt alias demonstrabitur, ex eo solùm capite sudor Christi non processit, propterea arbitror audita iam Angelica confortatione Christum Dominum prodigioso sudore fuisse perfusum, vti sacer ipse contextus innuere videtur, qui priorem sudore sanguineo angelicam præsentiã fuisse testatur illis verbis. *Apparuit autem Angelus de cælo confortans eum, et factus in agonia prolixius orabat, & factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis &c.*

DISPVTATIO QVINTA.

De sudoris sanguinei emissione.

CAP. I.

An miraculosè, & præter naturam sanguineus sudor è corpore dominico fluxerit.

NEC illa quæstio hoc loco prætermittenda est. An sanguinei sudoris profusio diuino supernaturalis virtutis auxilio peracta sit; an magis à naturalibus humanę Christi naturæ viribus effecta; quam nos quæstionem complurium doctorum

ctorum causa in præsens discutiẽdam suscepimus. Etenim aliqui noua quadam, & apud eosdem inaudita sudoris sanguinei specie commoti vulgò miraculosum, atq; prodigiosum fuisse Saluatoris nostri sudorem iactant.

Quod hunc in modum etiam licet argumentari. Diuino non nisi miraculo illud fieri potest, quod aduersus naturalem impetum, & inclinationem pati cogebatur Sacra Assertoris nostri natura, atqui naturali propensione non expellit, sed mordicus retinet in venis sãguinẽ sui ipsius amica natura; sãguineus igitur Christi sudor miraculosus fuerit necesse est. Deindè id naturale censeri debet, quod rei secundũ substantiã conuenit, hoc est, quod per se naturę inest, fluxus autẽ sanguineus neq; humanæ Saluatoris naturæ secundùm substantiã debebatur, neq; eidem per se inerat, nam alioqui cæteris etiã hominibus, dominoq; ipsi multoties huiuscemodi fluxus accidisset, ea siquidem ratio est eorum, quæ secundum substantiam Christo conueniebant. Amplius naturales hominis affectiones, & proprietates non semel, sed iterum, atq; tertiò non in vno duntaxat homine, sed in plurimis, ac fermè omnibus certa demonstrant, atq; attestantur experimenta, at nullum vnquàm hominẽ, prẹter vnum Saluatorem nostrum, legimus fuisse sanguineo sudore madefactum; insudant enim quotidiè plurimi hominum, sed quis consociatum cum humido excremento prodeuntem sanguinem vidit? narrant quidem grauissimi scriptores plerosq; vel breuissimo temporis spatio incanuisse, quamuis istud non adeò vsu tritum sit, atque quotidianis comprobatum

Prima ratio.

Secunda ratio.

Tertia ratio.

experimentis, at nullus tamen auctor, cuius sit aliquod nomen, & pondus, sanguinem naturæ thesaurum, fuisse naturali imperu à natura depulsum, credere, aut experiri potuit vnquam; diuinam igitur vim eam fuisse, quæ è venis Christi sanguinem excedere coegit, fateri omninò necesse est.

Quarta ratio D. Hilar.

Quod non tantùm ratio docet, sed etiam Sancti Hilarij grauis confirmat auctoritas, etenim libro de Trinitate decimo hunc sudandi modum planè naturales virtutis humanæ vires supergressum esse, docet in hanc sententiam. *Sudorem infirmitati nemo audebit deputare, quia & contra naturam est sudare sanguinem, neq; infirmitas est, quod potestas non secundùm naturæ consuetudinem gessit:* an locupletiores quæris authores? profectò omnium instar esse posset tanti, & tam insignis doctrina, & pietate patris auctoritas; quamquam etiam Venerabilis Bedæ ad idem faciat testimonium, quo ijsdem fermè Diui Hilarij vocibus eãdem docuit opinionem *Nemo*, inquit ille, *sudorẽ hunc infirmitati deputet, quia & contrà naturam est, sudare sanguinem, neq; ad hæresim infirmitatis pertinere vllo modo poterit, quod aduersus hæresim phantasma mentientem profuit per sudorem sanguinis ad corporis veritatem.*

Beda Luca 22.

Secunda opinio.

Contraria tamen superiori sententiæ opinio alijs nec infimis, nec obscuris doctoribus arrisit; quæ docet naturalem fuisse sanguineum Christi sudorem, atq; adeò ex naturali causa, & principio profectum, vt nulla diuini brachij potestas, quę consuetum naturæ ordinem excederet, sudori sanguineo comproducendo præfuerit.

CAP.

CAP. II.

Auctori magis probata opinio.

DE tota hac controuerſia quid ipſe iudicij habeã, commode haud mihi videor poſſe explicare, ni prius aliqua de ratione, & natura miraculorum dicam. Sit igitur omnibus iſtud notiſſimum, tribus maximè modis contingere, aliquod facinus eſſe, poſſe miraculoſum, nam vel perpetratum opus creatæ naturæ vires excedit ratione ſuæ ſubſtantiæ, vel ratione eius, in quo illud efficitur, vel demum ratione modi, & ordinis, quo perfici ſolet; qua in re exemplis periclitari oportet. Etenim miracula in triplici differentia poſita ſunt; quædam enim, etiam ſecundùm nudam ſubſtantiam conſiderata ſic eſſe conſueuerunt, vt nulla vel nobiliſſima creati artificis potentia effici poſſint, ſed ſibi poſcunt immenſam præpotentis Dei virtutem, qua producantur, atq; exiſtere incipiant, cuiuſmodi ſunt corporum penetratio, atq; glorificatio. Alia miraculoſa cenſentur, non quòd ſimplex eorum productio cuiuslibet rei creatæ virtutem anteuertat, ſed potius quia illud, in quo opus producitur, virtute ſibi connaturali alioqui eiuſdẽ operis capax alias, nunc nouo vitio, aut defectu aliquo impotens, & incapax planè redditur; quo pacto in extrema ſeculi huius die redacta in cineres corpora miraculosè vitalem animam rurſus in ſe ipſis fouebunt; nam licet rationalis animus, cùm primò creatus eſt, non miraculosè, ſed naturaliter corpus proprium informaret, ſequuta tamen ſemel corporis

Triplex eſt miraculorum ratio, erutа ex S. Th. p. p. q. 105. a. 8.

ſui

Cur noua corporum, quæ interierunt, vita miraculosa futura sit.

sui morte, non valet rursus sine miraculo illud ipsum corpus viuificare, siquidem dum è notis anteà membris rationalis spiritus secedit, eę dispositiones, quæ naturali virtute, atq; amico nexu animam, corpusq; inuicem copulata fouebant, corruptione intereunt, ex quo fit vt noua eiusdem materiæ informatio supra naturalem corporis mortui facultatẽ euadere incipiat, atq; præter creatæ naturæ virtutem recenter corpus illud duntaxat ad nouam vitã reuocari possit. Tandem solẽt nonnulla esse hominibus miraculosa ex eo solùm capite, quod vel minimo temporis articulo, vel alio quouis facillimo ordine id peragi cernimus, quod non nisi diuturno tempore, magnis non nisi laboribus, diligentiq; opera; ac studio, siue natura, siue ars quælibet moliri, agereuè potuisset, vt accidit aliquandò, cùm præsentiam Deus suam ostendens Sancti Caroli precibus graui morbo oppressis minimo temporis spatio exoptatissimam valetudinem elargitur.

De hac igitur tripartita miraculorum ratione illud nobis restat inuestigandum, an aliqua harum rationũ in hanc præsentem de sanguineo sudore difficultatẽ cadat, in qua percunctamur, an miraculosus, & supra naturalem Christi potestatem fuerit sudor iste sine dubio admirabilis.

Sudor sanguineus Christi naturali virtuti adscribendus.

Et mihi sanè allatæ partitionis naturam cõsideranti planè dicendum videtur, sanguineum Christi sudorem in nullam earum causarum, quibus miracula fiunt, sed in naturalem tantùm Saluatoris nostri corpoream potestatem conijciendum esse. Cuius quidem propositionis comprobandæ nõ alia aptior ratio dari potest, quam

quam si ostendatur, nihil eorum, quæ miraculosis rebus communiter accensentur, in sudore sanguinis potuisse reperiri. Vt ergo à prima miraculi ratione exordiar, sanè arbitrari non possumus, miraculosam fuisse sanguinei sudoris profusionem ratione suæ substantiæ, & effectionis; quandoquidem liquor, quem patenti ore terra hausit in horto, vt latius anteà est declaratum, nihil aliud fuit, quam humidum excrementum vero cruori Assertoris nostri permixtum, quorum neutra substantia, aut effectio creatæ virtutis limites transcendit, vtraq; enim, & à natura procreari, & procreata solet conseruari. Neq; miraculum fingere licet in ordine, ac modo, quibus sudor profluxit, nam eum profluendi tramitem est secutus, quem siue concitata motu, siue feruida calore, siue perterrita metu corpora purum sudorem pandere consueuerunt, per apertos enim porros ex internis venulis ad externas corporis Christi partes solito gradu properauit sanguineus sudor. Neq; ad extremum sudor diuino miraculo adscribi potest ratione eius, in quo peragebatur, is enim erat Saluator, cuius sacra humanæ naturæ constitutio ad sanguinem profundendum non ex diuina tantùm Æterni patris prædestinatione, sed etiam ex naturali propensione aptissima fuit; pluribus enim constabat venis totũ Christi corpus pererrantibus, ex quarum hiatu sanguinem distillare, naturale fuit opus; in sudore autem Christi conseruantes sanguinem venæ patuerunt.

At oppones, nequaquam in eo sitam esse miraculi ratione, vt ex referatis sacræ Christi naturæ venis cruor dilaberetur, quãdoquidem naturalissimum istud opus est, Obi. 1. Alio.

est, vt fluida sanguinis substantia se se ex patentibus receptaculis effundat, sed potius in eo positam esse miraculosi sudoris rationem asseres, quòd absolutissimi, atq; perfectissimi corporis adeò perfractæ, aut dilatatę venæ sint, vt crassa sanguinis substantia sibi apertum iter potuerit adinuenire. Sed perfacilis est responsio, siquidem nullum interceſſisse singulare miraculũ, cum Christi Domini venæ apertæ fuerunt, vel ex eo conuincitur, quòd cum sudor nihil aliud sit, quam humidum quoddã excrementum, seu, vt ab alijs appellatur, quædam sanguinis aquositas, atq; in ijsdem venarum conceptaculis non secus, ac sanguis ipse contineatur, profluatq; naturali motu ex venis; potuit vtiq; naturaliter ex ijsdem reseratis venarum conceptaculis elabi cruor, maximè cum sanguinea Christi domini substãtia subtilissima natura prædita foret, cuius id esse videtur peculiare, vt ex minimis quibuscunq; venarum rimis emicet.

Responsio.

Quid si sudor.

Sanguis Christi tenuis naturæ fuit.

Quòd si rursus asserat quispiam, fore hinc, vt quemadmodum omnes, quotquot sudore perfunduntur, humidum pellunt excrementum, ita similiter sanguinis substantiam facillimi expellerent. Respondeo istud ex superioribus minime consequens esse, nam licet eundẽ planè habitationis locum colant sudor, & sanguis, exigaturq; venarum dilatatio, vt pars sanguinis aquosa effluat, ea tamen dilatatio, quæ sudori pellendo sufficiens est, ad fluxum sanguinis minimè prohibendum non valet, ab eam crassitiem, cuius particeps est sanguinis materia; quapropter ad emittendum sanguinem maior venarum reseratio exigitur, quam ea, quæ vul-

Cur sanguinem nõ fudent homines.

gò,

gò, & communiter in hominibus ſudore madentibus eſſe conſueuit, quo ex defectu omnibus ſudor, pauciſſimis verò ſanguineus ſudor accidit, quamquàm vltetius exigitur, vt, qui ſanguineo ſudore aſperguntur, rariſſimo, tenerrimoq; corpore, ac ſubtiliori ſint ſanguine, atq; vehementiſſimo animi ardore pulſentur, hæc autem omnia quoniam in Chriſto domino, dùm trepidabat, fuere, nullo negotio Sacroſanctum cruorem ex omnibus membris elicuerunt. Verùm, quia inuſitato ſudantium more erupit è corpore Dominico ſanguineus liquor, à pleriſq; miraculoſus, ac portentoſus is dictus eſt, non quòd verè, ac reipſa veri miraculi conditiones, ac naturam ſortitus ſit ſudor; ſed potius quia vulgari prouerbio miraculum, ſeu mirabile illud appellatur, quod rariſſimè contingere ſolet.

Cur Chriſtus ſanguineum ſudorē emiſit.

Cur appelletur ſudor Chriſti miraculoſus.

Ex his collige ſanguineum ſudorem naturales corporum vires nō excedere, ſi illę quatuor cauſæ adſint, de quibus iam dictum eſt, quarum illa potior cenſenda videtur, quæ venarum aperitionem operatur, de qua latius in ſequenti capite diſputabo.

Collige præterea alijs etiam hominibus ſudorem ſanguinis contingere poſſe, vt reipſa nonnullis contigiſſe demonſtrabimus; oppoſitum tamen, & contrarium in communi vſu poſitum eſſe ob id, quod vix, ac ne vix quidem delicata adeò corporis conſtructio reperiri poteſt, quæ ſacratam Saluatoris naturam imitetur, & in perfectione, ac corporis temperatione adęquet. Quia igitur vel in ſubtilitate ſanguinis, vel in tenui natura, vel in animi motu, & incendio, vel in efficaciſſima apprehenſione, quilibet noſtrum deficit, propterea etiam

Quid requiratur ad ſudorē ſanguinis emittendū.

in sanguinei sudoris, emissione deficiat, necesse est.

Non me fugit tamen, alijs etiam de causis sudorem sanguineum competere posse hominibus, vt princeps Peripateticorum tradit Aristoteles libro de hist. animal. 3. cap. 19. in hanc sententiam. *Si sanguis immodicè humescit, morbus infestat; sic enim in spetiem saniei diluitur, & adeo serescit, vt iam nonnulli sudore cruento exudarint*; & libro de partibus animalium tertio cap. 5. idem pertractans argumentum. *Iam*, inquit, *nonnullis accidit, vt cruentum quoddam excrementum sudarent propter vitiatum corporis habitum, scilicet cum corpus laxum, fluxumq; esset; sanguisq; præ cruditate humesceret imbecillitate caloris, qui exiguus venulis inclusus concoquere non possit.* Hactenus ex Aristotele. Verùm ex nullis huiuscemodi principijs, aut causis sanguineus Christi domini sudor suam originem trahere potuit, siquidem ille, de quo Aristoteles verba facit, vel ex deprauat aegroti corporis temperie, vel ex corruptis, prauisq; humorum affectionibus nascitur; quorũ neutrũ in humanã Christi naturam cadere potuit, quę perfectissima corporis temperatione, optimo habitu, secundaq; semper valetudine vtebatur.

Aristoteles

Ex nimio humore, & ex vitiato corporis habitu sãguinis sudor oritur.

Non ignoro pariter, alios à quodam serpente sauciatos, qui à fluxu sanguinis hæmorrhois appellatur, (vt auctoritate graues medici tradunt) sudoris loco sanguineam exudare solitos esse substantiam; at nullus nescit, Christum Dominum ab his naturæ incõmodis planè immunem fuisse. Quapropter minus prudenter facere eos arbitrarer, qui citatis philosophi locis persuasi ex simili principio decurrentes Christi sanguineas guttas

Morsus serpentis hæmorrhois sanguineũ sudorẽ provocat.

natu-

naturales fuiſſe contenderent, cum aliundè, & ex remotioribus naturę humanæ myſterijs ſanguineus Chriſti ſudor effectionem ſuam habuerit.

CAP. III.

Quibus rationibus probari poſſit, naturalem fuiſſe ſanguineum Saluatoris noſtri ſudorem.

SAtius igitur ſanguinei ſudoris profuſionem naturales corporis Chriſti vires non fuiſſe ſupergreſſam, ſic liceat argumentari. Sudor Chriſti neque quātum ad ſubſtantiam, & effectionem, neq; quantum ad corpus, ex quo dimanauit, neq; quantum ad modum, & rationem productionis miraculoſus, aut portentoſus fuit; naturali igitur non verò diuinæ, & ſupernaturali effectrici cauſæ attribui debet; quandoquidem præter tactas rationes, alia non poteſt eſſe ratio patrandi miracula, quæ iure optimo ad illas non reuocetur. *Primaratio.*

Amplius ex Sanctis Patribus conſtanter ſuſtinendum eſt, effuſum in horto ſanguinem clarum fuiſſe maximi angoris argumentum, & non obſcurum interioris naturam Chriſti affligentis luctæ indicium, quod meo quidem iudicio naturalem Chriſti fuiſſe ſudorem probat, nam ſi ſudor ille dominicus magno non niſi intercedente miraculo contigiſſet, vt quid fruſtrà, & incaſſum hinc ingentem Saluatoris extitiſſe afflictionem argumentarentur Patres, cum, ſi ad miraculum recurramus, ſanguineus ſudor aut minima, aut planè nulla Saluatoris afflictatione emitti potuerit? ea enim, *Secunda ratio.* *Sanguineus ſudoris ſignum.*

quę diuina virtus nullis adstricta naturæ legibus molitur, citrà omnem corporis molestiam, & dolorē ęquè commodè, ac cum molestia, & mærore contingere
Tertia ratio. possunt. Ad hæc mira sanguinei sudoris effusio ea ratione, & via peragi debebat, quæ mentem, peculiaremq; Saluatoris nostri finem, cuius gratia sanguineo sudore perfundi voluit, infallibiliter astruere, ac sine errore aliquo confirmare posset, atqui finis sanguinei sudoris fuit clara humanæ naturæ demonstratio, vt infrà latius Sanctorum Patrum auctoritate patebit, naturali igitur assumptæ eiusdē naturæ facultate is liquor emanare debuit; secus enim nullum ad veritatem incarnationis obfirmandam erui posset argumentum, quandoquidem absoluta virtute ex ficta, & apparenti tantummodo natura humana comproducere, ac moliri idem
Quarta ratio. Deus posset ad mixtum aquę cruorem. Deindè ex Aristotele sect. 5. problemat. *Lachryma sudor quidam est*;
Aristoteles problē. 35. sed natura duce lachrimæ loco verus nonnumquàm cruor ex oculis erupit; hominum enim, Angelorumq;
Quid sit lachryma. dominam, dum filij sui acerbissimo animi dolore plagas, & cruciatus deflecteret, sanguineas profudisse lacry-
Ex oculis Sanctissima Virgo sanguineas lachrymas effudit. mas, testis est grauissimus Theophyl., vt ex fragmentis eius in historiam passionis colligitur; sed quid ego antiquissima huiusce veritatis testimonia consector, cum nouum, ac recens superioribus nostri huius seculi annis certissimum nobis testimonium occurrat; quod à fide dignis memoriæ proditum est; nempè mulierem quandam proprio coniuge, ac marito orbatam, sic amaro fletu eius mortem prosecutam esse; vt decurrentes sanguineę ex oculis lacrymæ mulieris oculorum aciem, &

pupillam

pupillam ſic acriter perſtrinxerint, vt deinceps naturali oculorum lumine, ac ſplendore fuerit deſtituta? Sic enim Conimbricenſis Epiſcopus tradit in Lucam 22 5. tractatu; additq; facinus iſtud in Luſitaniæ regno accidiſſe; ſi ergo ad defectum ſucci lacrymæ naturali impulſu ex oculis prodijt cruor; quid erit cauſæ, cur deficiente ſudoris Chriſti materia, ſanguis naturali modo non procederet? certè nullũ efficax diſcrimen aſſignari poteſt, quo primum illud, non autem hoc ſecundum naturali hominis virtuti adſcribatur, niſi fortaſsè maluerit quis affirmare, (quod tamen à vero, & communi omnium doctorum aſſenſu alienum eſt,) miraculosè etiam ſanguinem ex Virginis Sacratiſſimæ oculis, & illius mulieris erupiſſe. Quòd ſi veræ, ac naturalis philoſophiæ decreta attẽta animi cogitatione quis perpendat, ex re alioqui non diſſimillima naturalem fuiſſe ſanguinis Chriſti profuſionem colligat, oportet. Nam ſi, vt eſt apud philoſophos peruulgatum, tantus eſt naturæ impetus, vt aqua, etſi ſuapte natura terræ ſinum irriget ob inſitam ab orbis conditore Deo grauitatem, ima loca petat, & in inferioribus terræ viſceribus conquieſcat; ad ſuperiora tamen loca euehatur, ſui quodammodo oblita domicilij, & inſitæ immemor grauitatis, quo derelictum ab aere locum repleat, ibiq; non ſecus, ac ſi elementi aeris proprietates à Deo eſſet mutuata, dimoretur; an non iurè erit affirmandũ ſanguinem in Chriſti corporis venis clauſum ad cutem vſq; Saluatoris aſcendiſſe per apertas ſacrati corporis latebras, quo id muneris obiret, quod erat à ſudore perficiendum; ni totus iam tum ſudor ex corpore dominico

Luſitana mulier sãguineas lachrymas effudit. vid. Barr.

Quinta ratio.

Aqua ſapè ſublimè fertur.

nico fuisset expressus? placet siquidem magnoperè, quod de Christi sudore subtilitèr, ac doctè tradit Caietanus, qui sanguinem loco deficientis sudoris ex Christi natura arbitratur dimanasse. In Lucam enim cap. 22. *Iesus*, inquit, *bonæ complexionis sudorem sanguineum emisit, sicut natura in parte generatiua deficiente semine ministrat sanguinem. Simili namq: modo deficiente aquositate sanguinis, quæ est materia sudoris, non nihil quoq; sanguinis emisit. Erat enim corpus Iesu exhaustum, & magnitudo passionum pellens violẽtè sudorem, pepulit simul aliquid sanguinis deficiente sudoris materia.* Sic Caietanus. Sed quid plura? an non etiam in lactentibus fœminis lacte deficiente sanguinem excuti, naturale est? quis igitur vnam sanguinei sudoris emissionem miraculosam appellare audebit; cum aliæ sanguinis profusiones ducem naturam sequantur?

Caietanus.

Deficiente lacte ex vberibus mulierum aliquando solet elici sanguis.

Obiectio.

At dices, reor, argumentationem illam ex naturali aquæ motu ductam, quo ad superna loca attollitur, vt in puteis quibusdã callido artificis opere confectis cernimus, ad rem nostram confirmandam parui esse ponderis; nam in sublime quidem erigitur aqua naturali impulsu ad eum finem, vt corporum seiunctionem impediat, ne sequatur in rerum vniuersitate vacuum, quod totis viribus refugit natura; at hoc tamen de sudore sanguineo non militat. Posteà etsi naturæ cõsentaneum sit, in hominibus immoderato libidinis ardore actis semine deficiente sanguinem excuti in illis ipsis corporis humani membris, quæ ad generationem natura comparauit, & amplius, esto sit naturale opus ex nutricibus fœminis sanguinem exhauriri, cum lactis materia

Nimium emungentes cur sanguinẽ eliciant.

materia non ſufficit; haud tamen eſt vnquam admittendum, naturali impulſu deficiẽte ſudoris materia defluxiſſe ſanguinem, quandoquidem ex nullo homine ſanguineum emanaſſe ſudorẽ, aut litteris, aut memoriæ proditum eſt. Sed facilis eſt ad omnia iſta reſponſio.

Nam veriſſimum quidem eſt, aſcenſum naturalis aquę effici ſolere, ne aliqua pars orbis vacua reddatur; at nihilominus, ſi philoſophiæ decreta, rectamq; rationem conſulamus, aſcenſus naturalis aquę id, quod perſuadere ſtudemus, manifeſtè docet, atq; conuincit; ſi enim in inferioribus hiſce, ac ignobilioribus mundi corporibus, quę nullo inter ſe inuicem ſubſtantiali nexu copulantur, vt primùm corpus vnum ex naturali loco dimotum aliò concedit, protinus alterum natura iubẽte in illius locum ſufficitur, cur à fortiori, in omnium nobiliſſimo corpore humano, in quo miro naturæ artificio, & membra, & humores, atq; humorum excrementa ſic perpolitè coniunguntur, vt ſubſtantiale, & perfectiſſimum corpus conſtituant, atq; componãt; cur inquam eodem, aut ſimili naturę impulſu humido excremento deficiente, retineri debuit ſanguis, ne ex patefactis venarum receptaculis prorumperet? nam non modo ad prohibendum vacuum ex Chriſti corpore ſanguineus ſudor dimanauit, verùm etiam debuit naturæ impulſu ſe promere, ne vehemens ille motus, quo ſacrata Saluatoris natura agitabatur, pulſo iam omni ſudore, proprio termino careret, quod procul dubio contigiſſet, ſi ſudoris vices non ſubijſſet ſanguis.

Ad primũ.

Quibus de cauſis ſudor ſanguineus è corpore Chriſti dimanauit.

Secundum eadem facilitate, qua propoſitum fuit, diluitur; peto enim ab huius reſponſionis auctore, quid

Alphonſus Salmeron.

cauſæ,

causæ quidnè discriminis afferri possit, quo probetur in Christo miraculosè sanguineũ sudorẽ, in lactẽtibus verò, & plorantibus naturaliter sanguinẽ emergere posse? mihi .n. quidem nullum huiuscemodi discrimẽ illuxit, immo nec illucescere posse videtur; nam cum in ijsdem venarum conceptaculis non secus lac, & lachrymæ, ac sudor, & sanguis reperiantur, potiorem videre nequeo rationem, cur si in lactentibus, & lacrymantibus naturali propensione, ita pariter in sudore madentibus, sanguinem decidi posse non concedamus.

Quòd si huius discriminis testem esse rerum omniũ procreatricem naturam asserat, qua vsu comprobatum est nonnullorum oculos sanguineis lacrymis, & quorundam etiam mulierum vbera sanguine maduisse; nõ verò homines (Saluatore excepto) sudore sanguineo esse perfusos; iam, vel me tacente, suæ infirmitatem sententiæ is patefaciet; quippe qui ad sui defensionem eis vtitur, quæ in quæstionem veniunt. Præterea inualidam esse huius auctoris rationem nemo vereri poterit, qui ea meditabitur, quæ acuratè tradit Ioannes Maldonatus in Matthæum in hanc sententiam. *Audio de his, qui viderunt, & cognouerunt ante annos duos Lutetiæ Parisiorum, hominem robustum, & bene valentem audita in se capitali sententia sudore sanguineo fuisse perfusum.* Sic Maldonatus, cuius dictis planè indubitata fides tribui debet, cùm ob doctoris huius grauitatem, & auctoritatem, tùm ob certissimum huius euenti testimonium, quod etiam mihi omni studio, ac diligentia veritatem illius inuestiganti per litteras à viris fide dignissimis datas innotuit; anno siquidem millesimo quingentesimo

Ioannes Maldonatus. c. 26.

Lutetiæ Parisiorũ vir sudore sanguineo maduit.

simo octuagesimo tertio plures tetris carceribus inclusi sudore sanguineo madentem virum conspexêre Lutetiæ Parisiorum.

CAP. IV.

Refelluntur oppositæ opinionis argumentationes.

HÆc assertio, quę iam satis clara esse potest, etiam melius, & clarius ex ipsa difficultatum solutione poterit explicari. Prima argumentatio sic est dissoluenda. Quamuis sibi libenter asseruet natura sanguinem, eundemq; aliquandò contra naturalem appetitum cogatur effundere, vt in sudore sanguineo fortassis accidit, non propterea tamen sanguineus sudor miraculosum opus putandus est; sicuti miraculosa lapidis motio minimè est censenda (quamuis naturali motu centrum petat) si ab aere, vel ab impressa virtute contra naturalem lapidis impetum celerrimo motu sursum pellatur; aliter consequeretur necessaria ratione, aquam, quæ frigoris amica est, miraculosè calorem in se concipere, cum quotidiè calefit, quod esset ridiculum; quare propria ratio dignoscendi miracula fuerit meditari, num in casu nostro aliquid ex triplici tacta miraculorũ ratione reperiatur; at quia nulla earum sangineo sudori adaptari potest, propterea naturalem fuisse sanguinis sudorem cogimur affirmare. *Ad primã.*

Ad illud, in quo obijciebatur, naturale illud esse, quod per se inest, respondeo particulam illam, *per se inesse*, missis alijs modis, qũibus iurè posset explicari, duobus maximè, qui ad rem nostram faciunt, intelligi *Quot modis aliquid naturale dicatur.*

posse; Nam vel, *per se inesse*, idem significat, ac illud, quod à philosophis dicitur, esse de substantia, & essentia rei, vel certè significat illud, quod non ex accidenti, sed ex cõmuni, & vsitato sudantium more hominibus ineſt; vtrouis modo Christi sudor accipiatur, haud fuit naturalis; non enim sanguineus sudor fuit de essentia Saluatoris, neq; eidem semper potuit conuenire; neq; hoc in sensu ea intelligenda sunt, quæ naturalem fuisse sudoris cruorem probant; exacta enim nimium, & maximè propria est hæc, *naturalis*, significatio: Quare alia est vocis huius, *naturalis*, appellatio, qua aliquid naturale dicimus, cum illud naturæ viribus efficitur, quamuis rarissimè fiat, quo in sensu proprie à miraculoso, & diuino naturale tantummodo distinguitur; sonatq; idem naturale, ac opus non miraculosum, nec diuinum; quippe quod solius naturæ viribus effici possit; in quo sensu nos hactenus sanguineum Christi sudorem naturalem fuisse defendimus; is enim ortum habuit, vt paulò post demonstrabimus, à causa tantùm naturali, quæ etsi Saluatorem ad effundendum sanguinem coegerit (ex quo, si scholæ termini spectentur violenta potius, quam naturalis iurè videtur appellanda) naturalis tamen, vt à miraculosa, & supernaturali causa distinguitur, tutò dici potest.

In quo sensu intelligi debeat Christi sudorẽ fuisse naturalem.

Ex his manifesta fit tertij argumenti solutio, nam cætera, quæ desiderari possunt, satis patent ex rebus in hac quæstione enucleatis.

Diui autem Hilarij auctoritas bifariam potest probabiliter explicari. Primò sanguineus Christi sudor non fuit infirmitatis, hoc est, impotentiæ, & coactionis;

nis; non enim ex imbecillitate, aut infirmitate naturali ſic formidauit Aſſertor noſter, triſtitiaue eſt affectus, vt coactè ſanguinem daret, ſed liberè mœrorem, ſanguinei ſudoris remotem cauſam in ſe inſurgere permiſit; quo in ſenſu acceptum D. Hilarij teſtimonium non habet vim ſtatuendi miraculoſam fuiſſe ſanguinis emiſſionem, ſed probat tantummodò Chriſtum dominum liberè timuiſſe, cum cæteri homines impendente mortis periculo naturali quodam inſtinctu timeant. *Bifariã B. Hilarij & Bedæ teſtimonia explicantur.*

Secundò, Mens S. Hilarij non fuit affirmare portentoſam, atq; ſupernaturalem fuiſſe ſanguinei ſudoris profuſionem, ſed ei miraculum potius videbatur, Aſſertorem noſtrum ex tam ingenti, atq; incredibili mœrore certam mortẽ non incurriſſe; fortaſſis enim, inquiunt huius doctrinæ auctores, humanæ naturæ vires ſic validæ eſſe nequeunt, vt cum tanto dolore vitam ſimul propagare poſſint; ſed non negat, ſubdunt illi, D. Hilarius, quin admiſſo tali dolore naturaliter ſanguis ſubſequatur. Alij audentiores fatentur, D. Hilarium oppoſitæ opinionis fuiſſe defenſorem, atq; docuiſſe miraculoſum fuiſſe ſanguinis opus; Ego, vt lectorem meæ quoq; interpretationis participem faciam, (ſi ritè interpretationem aliquam admittere poſſunt citata Bedæ, & Hilarij teſtimonia;) cenſeo ſudorem Chriſti non fuiſſe infirmitati adſcribendum; ideſt Saluatoris naturali imbecillitati, timori, ac triſtitiæ, tamquam proximæ cauſæ, & effectiuo principio tribuendum; non enim vel naturæ imbecillitas, vel timor, vel triſtitia huiuſcemodi prodigioſum effectum potuerunt operari, ſiquidem naturæ imbecillitati, & timori ſanguinis expulſio repugnat, *Auctoris interpretatio.*

pugnat, cum naturali motu acta timore natura ad cor sanguinẽ vocet; ex quo clarè cognoscitur sudorẽ sãguineũ nullo modo ex infirmitate naturæ Christi traxisse originem, cum is naturæ infirmitatem, dolorem, ac metum superet; cum igitur ex vna parte timentes, ac mœroris molestia oppressi sanguinẽ nullum soleãt profundere; & ex altera Christus dominus inter mœrores, & angustias fuerit abundantissimo sanguine perfusus; vti certissimum quoddam ex his collegerunt Patres illi argumentum, sanguinem Christi in horto profusum non fuisse timori, ac naturæ infirmitati tribuendum, sed sublimiori, ac nobiliori principio, & causæ, de qua latius mox edisseram, cum vnum nodũ, qui adhuc restat, dissoluero.

Crassus ne, an tenuis fuerit sudor Christi.

Qui est huiusce modi. Hactenus satis probabiliter ostẽdimus potuisse tenuem sanguinem è venis per poros carnis Christi dimanare; atqui crassissimus fuit sanguis ille, qui distillabat (recenset enim Diuus Lucas guttatim cruorem dominicum decurrisse in terrã, gutta autem est crassioris formæ, ac densioris figuræ, vti clariùs ex græco textu habetur, in quo sic est, & *factus est sudor eius, sicut grumi*, qui non tenues, sed crassas ex cõcreto sanguine guttas significant;) ergò non videtur alio, quã diuino planè auxilio cõtingere istud potuisse; secus enim, si ad naturalem humanæ Christi naturæ virtutem recurramus, hinc efficeretur ad effundendos sanguinis grumos planè necessariam fuisse omnium Christi venarum dilacerationem, atq; confractionem; cum qua dubio procul, & totus sanguis, & ipsa Domini vita euanuisset. At non modo tenuem fuisse prodeuntem

tem ſanguinem ex corpore Chriſti, verùm etiam minutatim, ſenſimq; diſtillaſſe; arbitror, verùm quia emergẽtem e uenis ſanguinem protinus foramina carnis excipiebant, in quibus craſſus quidam humor reperitur, qui ſanguini admixtus eum reddebat craſſiorem; propterea diuinus Euangeliſta factum eſſe Chriſti ſudorem, ſicut guttas ſanguinis, teſtatus eſt, & iurè, cum ſanguis cuti adhærens, non ſecus, ac communis hominum ſudor, in guttas conglobaretur.

Vid. Ariſtoteles ſect. 5. problema. prob. 35.

DISPVTATIO SEXTA.

De vna ſanguinei ſudoris effuſione.

CAP. I.

Quoties Chriſtus ſanguineum ſudorem effuderit.

NVnc reuertamur ad enucleandam eam quęſtionem, in qua, velut initio ſecundæ diſputationis polliciti eramus, quęrendũ erat, An ſemel duntaxat Chriſtus, dùm in terram deuolutus, ac genibus flexis venerabundus Æternum Patrem ſollicita prece exorabat, humorem ſanguineum profuderit; an verò iterum, atq; etiam tertiò craſſas cruoris guttas emiſerit. Etenim ſolus inter omnes quatuor ſacros diuini Euangelij hiſtoricos, ſolus, inquam, Lucas huiuſce nobis nunquàm anteà cogniti ſudoris meminit capit. vigeſimo ſecundo ſic ſcribens, *& ipſe* [nimirum Chriſtus] *auulſus eſt ab eis, quantum eſt iactus lapidis.*

lapidis, & positis genibus orabat dicens, Pater si vis transfer calicem istum à me. Veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat. Apparuit autem illi Angelus de cælo confortans eum, & factus in agonia prolixius orabat, & factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Ex quo Sancti Lucæ testimonio hæc, quę sequuntur, habemus. Primò longo temporis spatio vacasse orationi Christũ, hoc enim apertè significauit Lucas, cum inquit, & factus in agonia prolixius orabat; Tum posteà Angelica præsentia, ac verbis itidem angelicis naturam Assertoris nostri humanam, quæ fermè omnibus destituta erat consolationibus, summaq; angebatur tristitia, subleuatam, atq; confortatam fuisse. Et tertiò tandem largè, ac abundè sanguineum sudorem profudisse.

Verùm enim vero ex his tribus, quæ indubitata esse arbitror, tria alia, quæ adhuc in obscurò latent, dubia exoriuntur; quot nimirum vicibus toto animi ardore orationi se se dederit Assertor; quoties Angelum confortantem sibi præstò habuerit; & quoties postremo totũ illius corpus sanguineo humore perfusum fuerit; hęc enim omnia ita in eadem radice nexa esse, vt alterũ ex altero colligẽdũ sit, videri fortassis cuipiam possent; quòd si verum foret, haud multo labore omnis difficultas euacuaretur; si namq; tertium illud, quod rem nostram maximè tangit, est ex primo cognoscendum, profectò non semel, atq; iterum duntaxat, verùm etiam tertiò Christus eandem carnis infirmitatem, qualis est fluxus sanguinei sudoris, passus esset; etenim disertis verbis Christi orationem, quam Diuus Lucas, quia in illa idem omninò semper à domino efflagitabatur,

Prima ratio, qua ostenditur Christum ter sudore sanguineo fuisse perfusum.

quasi

quasi vnam, & eandem prolixam fuisse commemorat, Matthæus, & Marcus trinam fuisse narrant, *& progressus*, inquit Matthęus, *procedit in faciem suam orans, & dicens, &c.* & post, *& venit ad discipulos, & inuenit eos dormientes. Iterum secundò abijt, & orauit dicens, Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua, & venit iterum, & inuenit eos dormientes, & relictis illis, iterum abijt, & orauit tertio eundem sermonem dicens.* Idem etiam litteris consignauit D. Marcus, vt videre est cap. 14. cuius verba cõsultò omittimus, quoniam eadem fermè sunt, ac illa D. Matthęi iam recitata. Ex quibus cõcludi facile posset trinam fuisse sanguinei sudoris emissionem; quod etiam alijs ratiõnibus conuincitur. cap. 26.

Etenim noua hæc sanguinem desudandi species, nouusq; iste sudoris modus in Assertore nostro duntaxat fuêre ob summum animi angorem, quo premebatur, dum imminentem, immo pręsentem animo mortem intuens apertissimè, velut ob oculos ludibria, verbera, plagas, & omnẽ deniq; ignominiosissimę mortis sęuitiam meditabatur; at hęc omnia, quę ad sudorem sanguineum sacram Vindicis nostri naturam propellebant, ita meditanti Christo obiecta erant in prima, & secunda oratione, vti pariter in postrema Saluatoris deprecatione; ergo si viua futuræ mortis apprehensio tertia orationis vice, sanguineum sudorem elicere valuit, nulla poterit esse sufficiens ratio, qua eundem sudorem causare non potuerit illa eadem tenax, & immobilis diri cruciatus cogitatio, quam Christus dominus in prima, & secunda oratione habuit. Secunda ratio.

Ad

Tertia ratio. Ad hæc agonia, vt loquitur Diuus Lucas, seu pergrandis animi tristitia, vt inquiunt Marcus, & Matthæus, quæ omni ex parte afflictam Christi naturam vexabat, verũ sanguinei sudoris molita est opificium, atqui ex certissimis Matthęi, Marci, & Lucæ testimonijs pariter in prima, secunda, & tertia ad Æternum Patrem oratione ijsdem omnibus malis circũuentus erat Dominus; igitur, vel in omnibus tribus suis orationibus in nostræ salutis pretium sanguineũ liquorem dedit Assertor noster, vel certè in nulla, quod asserere impium esset.

Quarta ratio. Amplius prædictis rationibus haud dubiam fidem facit Diuus Lucas huiusce sudoris auctor, & idem locupletissimus testis; is enim eadem ratione de sanguineo Christi sudore, ac de oratione edisserit, at ex alijs cælestium arcanorum scriptoribus eam orationem, quam Diuus Lucas, descripsit, trinam fuisse habetur, pari igitur modo trinus etiam esse debuit sudor sanguineus.

Quinta ratio. Prętereà ideò confortator Angelus in corpore efformato sibi virtute propria ex elemẽtari aere Vindici nostro apparuit, vt defessis Christi rebus succurreret, expellentemq; sanguinis liquorem cõmuniret naturam, atqui tribus vicibus hoc pietatis munere, & officio functa est beata mens Angelica; totidem igitur vicibus ex sacra domini natura erupit sanguineus humor.

Sexta ratio. Tandem ne in typo, seu figura contingat aliquis error, omninò æquum est, vt illud, ad quod figura prænotandum, pręsignandumue ordinatur, figurę respondeat; sanguineus autem sudor Diuo Prospero teste in

libro

libro ſententiarum, quas ex Sancti Auguſtini doctrina excerpſit, ſignificabat multiplicem martyrum ſanguinis effuſionem, *orans enim*, inquit Proſper, *Chriſtus cũ ſudore ſanguineo, ſignificabat de toto corpore illius, quod eſt Eccleſia, emanatura martyria*; pluries igitur exudaſſe Chriſtum craſſam ſanguinis materiam intelligendum erit; quandoquidem non ſemel ſtrenuiſſimi martyres in fidei Chriſtianæ teſtificationem ſanguinem ſuum glorioſiſſimè profuderunt. *D. Proſper in lib. ſent. 68.*

His fortè, vt opinor, tamquàm probabilibus coniecturis commotus quidam citati Diui Lucæ teſtimonij interpres concedi poſſe dixit, Chriſtum non in tertia modò, verùm etiam in prima, & ſecunda oratione ſanguineum ſudorem paſſum fuiſſe; Sed quia huiuſce ſuæ opinationis nullam affert rationem, qua variam hanc ſanguinis effuſionem Chriſto accidiſſe probet; propterea voluntaria potius, quam vera videtur illius opinio; Minus etiam mihi probatur, quod ſubdit, Chriſtum ter abſterſo ſudore confortantis Angeli miniſterio, ter ad diſcipulos redijſſe. Etenim quamuis tribus vicibus dormientes diſcipulos inuiſiſſe dominum concedamus, haud tamen ex ſacris litteris ſedulam hanc Angeli ſudorem abſtergentis operam habere, colligerevè poſſumus, hoc enim nullus mortalium, niſi id cuipiam foret diuinitus patefactum, noſcere poteſt; quocirca huius doctoris ſententia eſt quidam potius pij meditantis animi fructus, quam probabilis, & vera huiuſce myſterij narratio; quorſum enim neceſſe fuit Chriſto ad diſcipulos redeunti ſanguineum ſudorem toties Angelum abſterſiſſe? equidem nullam huius rei arbitror afferri *Barradij opinio commutatur.*

posse rationem, quę aliquā veri speciem habeat; immò, si in re graui leuibus vti liceret coniecturis, assererem Christum dominum propriam naturam plurimo sanguine aspersam in primo, & secundo ad discipulos reditu illis obiecisse, vt hac specie miseranda Apostolos, qui carnis infirmitati succumbentes graui somno erant oppressi, excitaret ad vigilandum, & orandum; quemadmodum paulò ante præceperat illis dicens, *sustinete, hic, & vigilate mecum*.

Obiectio. At inquies ab Angelo humorem sanguinis fuisse exsiccatum, vt extremo Assertoris mœrori aliquod solatium adferret, cuius rei signum euidēs esse potest, quod ne minimum quidem illius sanguinis vestigium in aliqua corporis Christi parte superfuerat, vt ex eo colligere possumus, quod Ioannes, quem sibi præ cæteris, vt in vigilia, & oratione duraret, assumpsit Iesus, hoc inusitatum sudoris genus alto silentio pertransijt.

Responsio. Verùm exiguam ista fidem merentur; nam quod ad primum attinet, non erat Assertor noster sic animo cōsternatus, nec tanta corporis lassitudine, tamquè debilitatis sensibus grauabatur, vt vel hoc perexiguo egeret Angeli adminiculo; si namq́, viribus proprijs (quod maius est) ab oratione ter surgens, se se ad discipulos contulit; certè in abstergendo sudore angelica sollicitudine, & opera haud illi opus fuerat. Secundum etiam non vrget; potius enim ratio illa probat Christum dominum non prima, & secunda solùm, sed etiam tertia orationis vice nō sudasse globos sanguinis, quod prauitatem hæreticalem apertissimè redolet; & prætereà ex allata responsione duo incommoda consurgunt; si namq́;

namq; ſudorem ſanguinis in Domini facie, manibus, & huiuſmodi non fuiſſe in prima, & ſecunda oratione, ac propterea illum fuiſse ab Angelo exſiccatum ex eo putandum eſt, quod nullam huius ſudoris mentionem fecit Ioannes Apoſtolus, qui nõ procul à Chriſto aberat, pari itidem ratione in tertia Chriſti oratione, huiuſcemodi ſudorem Chriſto euenisſe, negãdum erit, quoniã neq; de tertia oratione, ſudoreue ſanguineo aliquid nobis ſcriptum reliquit idem Ioannes Apoſtolus. Quare dicendum potius videtur (data trini huius ſudoris hypotheſi) quòd quamuis ſanguinis ſudorem & cognouerit, & obtutu etiam proprio aſpectarit Ioãnes, egregium tamen hoc, & admirandum facinus litteris nequaquam conſignauit (à quo ſimul, & à Principe Apoſtolorum omnia didicerat Diuus Lucas,) propterea quod ab eodem rectè, & congruenter erat muneri huic ſatisfactum, priuſquam Ioannes hiſtoricam narrationem ordiretur.

CAP. II.

Mens auctoris circa præſentem materiam.

EGò, vt alios meæ quoq; opinionis reddam certiores; vnica duntaxat vice ab afflictata Aſſertoris noſtri natura ſanguineum profluxiſſe ſudorem arbitror; quam quidem ſententiam omnibus Sanctorũ Patrum votis comprobatam, & vnanimi interpretum fermè omnium aſſeueratione confirmatam eſſe, is dubio procul comperiet, qui in vigeſimum ſecundum caput Euangelij Diui Lucæ Sanctorum Patrum commẽ-

tarios,& aliorum doctorum enarrationes, explanationes, sacri codicis concordias, & quæstiones illas, quas circa eam Euangelij auctoritatem excitãt communiter interpretes, legere non recusarit; quem communem assensum nonnullis in præsentia, nec,vt opinor, planè inualidis rationibus probare constitui, vbi aliqua ad veritatem huiusce opinionis fulciendam annotauero.

Complures igitur diuinæ scripturæ interpretes nonnisi miraculo creatæ naturæ vires superante sudorem hunc alioqui memorabilem, tribuendum esse contendunt;quorum opinioni si assentirer,haud facili negotio possem difficultatis propositæ attingere rationem; Etenim quæ non seruatis naturæ legibus, omnipotens superni numinis virtus molitur, humana nequeunt ratione satis explicari; verùm quia existimo dubiam, & veritati etiam minimè congruẽtem opinionem eorum, qui in sudoris Christi perscrutanda materia solent ad miracula confugere,vt superius id ipsum quæstio excitata, planum fecit, ideo ex philosophicis disciplinis ad hanc veritatem demonstrandam sufficientem nobis segetem petendam esse satius fore duximus. Sicuti igitur humidi vaporis excrementum, quod philosophiæ parens Aristoteles sudorem vocat,à calore hominis interiori effici, ac peragi solet; ita nimia aeris intemperie, præcipuè quum viget frigus, comprimi, & ne effluat sæpè numero aut penitus impediri, aut certe retardari consueuit; quam ob causam, etsi humana corpora hyberno tempore,quam æstiuo abundantiori humido, constent, minorem tamen sudorem patiuntur, nec ita largis humectantur excrementis, externo enim frigore,

3. de partibus animalii cap 5.

Cur hiberno tempore difficile erumpat sudor.

re, cuius peculiare munus eſt omogenea, & etherogenea congregare, humores quodammodo coagulari ſolent adeò vehementer, vt vix diſſolui queant; ex quo fit, vt caloris naturalis victoria in pellendo è venis ſudore longius protrahatur, ſi corpus illius, qui ſudorem emiſſurus eſt, ſub dio reperiatur; maximè verò ſi temporis nocturni iniurijs ſit obnoxium; tunc enim contrarium caloris vitalis frigus cutis humanæ porros precludens aditum ſudori ſic obſtruit, vt longo temporis ſpatio, & valido ſanè intercluſi caloris impetu opus ſit ad obſtructa venularum, & porrorum corporis referanda foramina. Verùm contingit aliquando, nec calorem, vel maximum, nec apertam corporis viam ad ſudorem exterius propulſandũ ſufficere; ſolet enim ſæpè numero emiſsio ſudoris ab alijs etiam cauſis impediri; inter quas nõ infimum locum tenet magna aliqua corporis, & animi perturbatio; hæc enim, dum imminentibus ſibi malis occurrere ſtudet, totum corpus humanum concutit, ac proſternit, tum vlterius vitales ſpiritus excitat, qui toto corpore diffuſi, ac in eodem quodammodo retenti venas adeo replent, & inflant, vt exterius exire non patiantur humorem, non ſecus ac ab aëre in Clepſydra exiſtente, ne ab eadem erumpat, coerceatur, detineturq; aqua. Eo igitur temporis ſpatio, quo impeditus ſudor effluere nequit, maior, ac abundantior interim efficitur; qui vbi primum relaxato ſpiritu liberum ſibi aditũ adinuenire poteſt, per ampliora venarum corporis iam facta foramina, ſubito ac copiosè totus vndequaq; erumpit.

Perturbatio animi ſudorẽ impedit.

Ex his ergo, quæ maiori ex parte nituntur auctoritati

Tom. 6. sect. 2. problematum.

tati Aristotelis, satis commodè explicari potest præsens de sanguineo Christi sudore difficultas. Cum enim Assertor noster sub frigido Ioue oraret, grauissimaq; afficeretur mentis tristitia, non videtur potuisse in prima, aut secunda orationis vice sanguineum profundere sudorẽ, non modo ob nocturni intemperiem aeris, verùm etiam ob grauissimum mortis horrorem, quo vitales spiritus commoti venas illius sic inflarunt, vt omnia sacrati corporis foramina comprimerentur; sudorq; alioqui ad effusionem expeditus erumpere nõ valeret. At verò quia tertia orationis vice Christus dominus spreto fortiter acerbæ mortis horrore pristinam animi hilaritatem recuperauit, acerboſq; futuræ mortis præconceptos animo dolores mitigauit, victrice charitate, relaxatisq; (si ita loqui fas est) commotis spiritibus, ad extremum liber aditus humori diu retento patuit; ex quo velut irriguus quidam fons sudoris sanguine permixti erupit. Quocirca sanguineo Assertoris sudori id accidit, quod riuo nonnumquam occurrere solet; nam si forte is ita detineatur, vt cursu suo carens sistat, intercluſas aquas mirũ in modum auget, easq; sinu suo colligens mox ablato repagulo copiosissimo aquarũ fluxu in subiacentem planitiem sic acriter effundit, vt nullo negotio obuias sibi terræ partes irriget. Sic cum humana Christi natura vehementiori quodam mœrore angeretur, vitales illius spiritus vndequaq; circũueniebantur, atq; coërcebantur, ex quo venæ sudorem in se continentes non mediocriter inflatę tumescebant, vnde fiebat vt nulla ratione è venis humor se educere posset; at vbi per spiritus iam remissi libertatem (quod solummodo

Ratio prima, qua Christum tertia orationis vice sanctum sanguinem sudasse probat.

modo in tertia oratione contigit) ſanguineus humor exire potuit, maximo quodam impetu ex patefactis omnibus corporis partibus per manus, caput, & quot quot erant Aſſertoris noſtri membra, fortiter in terram cucurrit.

Porro hæc ratiocinatio mihi fit quoq; ſimillima vero, ac etiam prope modum certa ex vſu eorum, qui magna febrium violentia correpti, vigente atq; perdurante nimia caloris febris exuberantia, æſtuq; maximo emittendi ſudoris vtilitate potiri non poſſunt, quouſq; mitior febris reddatur, quę vbi feſſos ægroti artus tam acriter torquere ceſſauit, tunc maximè impeditus anteà ſudor ſeſe ex corpore educens profluit. *Secũda ratio.* *Febri laborantes cum vigente febris violentia non ſudant.*

Præterea ſudor ex corpore Aſſertoris proſiliens fuit copioſiſſimus, vt diuinus Euangeliſta teſtatur; decurrebat enim in terram more labentis riui, ſed fieri minimè poterat, vt adeò abundans ſudoris copia iteratis vicibus è corpore Domini flueret, quin exhauriretur, atq; exſiccaretur omnino humor maximè, ad propagandam vitam neceſſarius; non potuit igitur Chriſtus in prima, & ſecunda orationis vice ſanguineis ſudoribus perfundi citrà certum mortis exitium. *Tertia ratio.* *Quarta ratio.*

Amplius corpus Saluatoris delicatiſſimę fuit conſtitutionis, & optimæ temperationis, quæ modicam ſudoris materiam ſanguini admixtam habuit. Quo poſito ſic ratiocinari poſſum, omnes theologi rectè ſentientes norunt Chriſti ſudorē non fuiſſe purum humidi excrementi liquorem, ſed potius cum ſudoris materia ſanguinis multum fuiſſe copulatum; ex quo fit vt toties non potuerit ſudoris infirmitatem pati Dominus; neq;

enim

Aristoteles lib. de hist. animal. c. 17. enim Saluatoris animus post tantam sanguinis effusionem degere potuisset inter mortales, cum teste Philosopho, *si multum sanguinis effluat anima, deficiat, si verò nimium, vita intereat.*

Quinta ratio. Amplius ea est sudoris proprietas, vt quo maior is fuerit, maiorem pariter in corpore exudantis languorē, ac quendam membrorum torporem efficiat, quem admodum docet Aristoteles sectione secunda problematum adhunc modum scribens. *Qui autem mouet sudorem, labefactat, confunditq; habitum corporis, atq; etiam laxiorem, quam conueniat, habitum reddens simul, & intimum calorem educit, diminuitq;, vt non æquè gelido cælo possit resistere, & humor externus expeditius se corporibus inserit, cum laxiora iam foramina propter sudationem habeantur.* Hæc Aristoteles, cui adhęrens subdo ipse à minori ad maius huiusmodi argumentum; maioris est detrimenti sanguineus sudor, quam sit simplex humidi liquoris excrementum; atqui nuda sudoris materia vitiat corpus; exterminabit igitur, dissipabit, atq; corporis constructionem demolietur penitus sudor sanguineus toties repetitus, tam grandis, ac sub frigido aere profusus. Nisi, vbi minimè opus est, in hac re miraculum fingere velis.

Aristoteles publ. 43.

Vltima ratio. Adijce tandem, vt cætera taceam, trinam sanguinei sudoris effusionem haud Assertori conuenisse, qui cum in rebus aduersis excelso, magno, fortiq; animo semper fuerit, in hac ipsa sudoris occasione à se ipso dissidens, secumq; discordans humili, demisso, languidoq; nimium animo sic extitisset, vt non vnica, quæ cogente carnis, qua erat circumdatus, infirmitate, vitari

tari difficile potuit, ſed denuò atq; tertio iterata angelici ſpiritus conſolatione illi opus fuerit.

CAP. III.

Oppoſitis rationibus occurritur.

PErpendamus modo adductas ſub initium quæſtionis contrarias rationes. Et quò ad primum equidem arbitror dubiam, immò fallacem eſſe viam, atq; rationem illam effuſionis ſanguineæ numerum inueſtigandi varias orationis Chriſti vices perſequendo, etenim vt argumentatio allata aliquam ad intentum contrariæ nobis ſententiæ ſtabiliendũ, vim habere poſſet, ab eodem principio, nec diuerſo fine duo illa ſuam trahere deberent originem, quod tamen non contingit; ſæpius enim in orationem incubuit Aſſertor, vt ſuo nobis exemplo certum tribulationis perferendæ commonſtraret præſidium, quod eò firmius redditur, quò ſæpius repetitur, at vnica tantum vice ſudorem dedit, vt indiuiduam naturæ aſſumptæ exiſtentiam oſtenderet, quidquid mentiatur impius falſorum dogmatum proſeminator Manichæus. Nec in cauſa huius ſudoris effectrice oratio, & ſanguis dimanans conueniunt, vt mox demonſtrabitur. Nec ſuffragatur aduerſarijs corroboratio illa ex Sancti Lucæ cap. 22. petita; ille ſiquidem clarè diſcrimen numeri, & multiplicitatis orationis à ſudoris ſanguinei numero nobis declarauit, cum Dominum prolixius oraſſe, hoc eſt ter eandem penitus orationem pronunciaſſe teſtatur, poſt quod temporis ſpatium, vt egregiè idem aſſerit, *factus eſt ſudor eius,*

Cur ſæpius Chriſtus oranerit.

Cur ſemel ſudorem emiſerit.

ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.

Barradius. Ad ſecundam; quamuis nonnullis recentioribus ſacri eloquij expoſitoribus non diſpliceat Cornelij Ianſenij viri doctrina, ac morum grauitate præſtantis opinio, qua putat ter in ſplendida, præſtantiq; forma ſe ſe corporeis Chriſti oculis aſpectabilem præbuiſſe Angelum, ſic enim in Euangelica concordia ſcribit.

Ianſenius num 138 cõmentar. *Credi potest in ſingulis tribus facta orationibus; vt ſimpliciter hinc intelligamus orationis fructum ſignificatum, nimirum quod, etſi non impetremus, quæ precantes petimus, conſequi nos tamen ſemper à Deo ad ferenda mala conſolationem, & fortitudinem;* Mihi tamen cum communi fermè aliorũ ſcriptorum ſententia non arridet Cornelij opinio, ſed in poſtrema duntaxat Chriſti oratione ad conſolationem deſtinatum fuiſſe ab Æterno Patre Angelum putarim, cuius quidem meæ opinionis fundamentum ex vltimo aſſertionis ſuperius declaratę argumento colligendũ eſt.

Semel duntaxat Chriſto oranti conſolator Angelus adfuit.

Tertiæ rationi ſic videtur ſatisfaciendum; Chriſtus perfectiſſima animi ſui præconceptione in duabus primis orationibus æquè, ac in tertia clariſſimè omnia intuebatur, neq; aliquod in mentis cogitatione diſcrimen poterat reperiri, quandoquidem omnia erant Domino cogitanti paria. Verùm nulla facta ſiue in Aſſertoris apprehenſione, ſiue in rebus à Chriſto planè cognitis, penituſq; perſpectis varietate, varius tamen, & diſpar mœroris exitus fuit. Nam (ſi alios audiamus) in prima, & ſecunda Chriſti domini precatione, quia triſtitia, qua cor Aſſertoris interno animi ſenſu grauiter torquebatur, non adeò vehemens, atque valida fuit, vt humidum liquorem è venarum cauernulis pellere poſſet, id-

circò

circò ſudore ſanguinis primę, ac ſecundæ Chriſti preces caruerunt; at verò quià poſtrema orationis vice maximum Chriſti mæror habere cæpit incrementum, propterea prodigioſum ſanguinis ſudorem vnaquæq; corporis Domini pars prodidit. Verùm quia non puto, excreſcẽtem doloris, & triſtitię magnitudinem potuiſſe corpus Saluatoris ad copioſum ſanguinis liquorem effundendum impellere, vt latius ſuo loco oſtendam, arbitror nec prima, nec ſecunda orationis vice ideò ſudaſſe Dominum, quoniam venæ impediebantur, ne collectum iam diu in ſe ipſis humorem exhalare poſſent toto illo primæ, & ſecundæ deprecationis ſpatio.

Ad quartam igitur dico triſtitiam, qua ſemper tribus orationis vicibus natura Chriſti imbecillis afflictabatur, veram ſanguinei ſudoris effectricem cauſam non fuiſſe per ſe, ſed tantùm per accidens, & ſine qua non, vt loquuntur philoſophi, cauſam enim ſudorem ſanguinis phyſico attingentem influxu in corporibus bene valentibus in calorem hominis naturalem arbitramur eſſe conijciendam, qui in poſtrema duntaxat ſupplicatione ad ſudorem profundendum ſufficiens fuit ob tactam in explicatione aſſertionis noſtrę rationem, de qua poſtmodum ex profeſſo, ac ſeparatim peculiarem quæſtionem excitabo, in qua ea omnia, quæ huic noſtræ in tranſcurſu tactæ opinioni facere poſſunt difficultatem, ad iudicij trutinam reuocabo, ac de medio auferã omnes, quos in præſentia intactos ſcrupulos relinquo.

Triſtitiam fuiſſe cauſam proximam ſanguinei ſudoris.

Vltima ratio ſic erit diſſoluenda. Ni prorſus inconſideratè Diui Proſperi adducta auctoritas perpendatur, ex eadem ipſa deductæ argumẽtationis declaratio eruitur.

tur. Habet enim ita Prosper. *Orans cum sudore sanguineo significat de toto corpore illius, quod est Ecclesia, manatura martyria;* ex quo testimonio illud solùm intelligi potest, quod quemadmodũ ex omnibus corporis Christi partibus sanguis manauit, ita ex toto Ecclesiastico corpore consurgent martyres, id quod etiam manifesta ratio conuincit; Nam si in sensu ab ijs, qui nobis in hoc aduersantur, intellecto prędictum Sãcti Prosperi testimonium acciperetur, hinc (quod nullus vel leuiter theologicis imbutus disciplinis ausus est opinari) efficeretur, vt non tertia tantùm, sed innumeris penè vicibus sanguineum sudorem profudisset Dominus; quandoquidem ex omni fidelium cętu, tot hominum, mulierumq; millia ad fidem Christi astruendam, atq; defendendã sanguine suo gloriosè terrę sinus irrigarunt.

CAP. IV.

An omnes æqualiter corporis Christi partes sanguineum sudorem passæ fuerint.

DVo in pręsens inuestiganda sunt. Vnum quod adhuc non satis liquet, Nempe an vnumquodq; corporis Christi membrum sudorem sanguineum profuderit. Alterum. Num pares fuerint humanę Christi naturę partes in effundẽda sudoris substantia; de vtroq; enim non temerè quęri potest. In cuius rei explicationem, quid meo occurrat animo, nunc aperiam.

Verùm illud in primis, quod alibi exactius persecutus sum, esse certum statuo, hanc sudoris Christi operationem

tionem ſupra communem ſudantium conſuetudinem peractam, ſupra naturam tamen nequaquam fuiſſe, vt hinc cognoſcas eam non diuinis adſcribendam eſſe poteſtatibus, ſed potius humanis aſſignandam eſſe virtutibus; quę ſudorem ſanguinis rectè valuerunt è venis Chriſti elicere.

Hoc igitur animaduerſo, non omnes naturę Chriſtî partes ſudorem ſuppeditaſſe ſanguineum dicere poſſet quis probabiliſſimum fieri ex eo, quod in quibus viget agonia, quam latinus interpres trepidationem appellat, haud conſueuerunt in omnibus membris talem experiri carnis paſſionem, vt acerrimus rerum naturalium perſcrutator Ariſtoteles teſtatur tom. 6. ſuorum operũ ſectione ſecũda problem. nu. 31. non potuit igitur Chriſtus trepidans ex omnibus corporis partibus ſudorem emittere. Ariſtotelis verba, quę rem noſtram diligenter explicant, hîc apponam; Etenim quęrens, cur trepidantes, ſeu graui metu perculſi nequeant facie, ſed pedibus tantùm ſudare. *Cur*, inquit, *pedes in trepidatione ſudant, & non facies, cum in muneribus vitæ omnibus, vt facie maximè, ſic pedibus minimè ſudemus? An quia trepidatio metus quidam ſuper re inchoanda eſt, metus autem refrigeratio partis ſuperioris eſt? Quam ob rem facile quoq; pallent, qui trepidant, pedibus item ſollicitantur, & palpitant; ſic enim trepidantes homines faciunt, ſeq; quodammodo exercent; quapropter ea ratione, parte ſudare ſolent, qua laborãt; manus etiam aſſolent perfricare, & ſe modo inflectunt, modo extendunt, etiam ſæpè exiliunt, neq; etiã vnquàm quieſcunt, ſunt enim exciti, propenſiq; ad negotium, quoniam calor eorũ ſe collegerit in pectoris loco, qui corpulentior eſt; quamobrem vndiq;*

Ariſtoteles

Trepidantium natura ex Ariſtotele.

vndiq; cum eo ipso calore, tum sanguine turgescente efficitur, vt motu vario, crebroq; agitentur; sed pedibus maximè in sudant, quoniam pedes perpetuo tenentur labore, cum cæteræ corporis partes quietem consequi per situs mutationem motionisq; possint. Hactenus Aristoteles, cuius si opinio (quemadmodum omnes palam asserunt) rationi consentanea est, probat non obscurè, Christum ex aliquibus duntaxat membris sudorem profudisse, siquidem illo tempore morti præuio ea perturbationis specie tenebatur, quam Aristotelis expositores trepidationem, sacrę verò scripturę interpretes, agoniam appellant, cuius trepidationis illud peculiare est, vt sudorem à facie, & omnibus ferè alijs corporis partibus erumpere non permittat.

D. Bernardus. Possum eandem sententiam egregio Diui Bernardi testimonio confirmare, is enim sermone tertio de Dominica in ramis palmarum nobis hæc scripta reliquit. *Non solis oculis, sed quasi omnibus membris fleuisse videtur, vt totum corpus eius, quod est Ecclesia, totius corporis lacrymis purgaretur*, ex qua auctoritate hoc argumentum colligi potest. Christus dominus non ex omnibus absolutè corporis sui partibus, sed quasi omnibus hunc edidit humorem, fuerunt igitur aliquæ partes, quę hac sudoris profusione caruerunt.

Adde tandem satis non posse intelligi, ne dum credi, hunc sudorem ex omnibus partibus erupisse; nam ex quo se se loco eduxit humidum excrementum, ex eodē certè loco plurimus, atq; copiosissimus sanguis manauit, qui si ex omnibus, & singulis membris profluxisset, iam non guttę sanguinis, ceu meminit Diuus Lucas,

sed

ſed magnum quoddam veluti ſanguinis flumen extitiſſet, quod procul dubio tenerrimam corporis Chriſti carnem venas, totamq; naturæ conſtitutionem dilaceraſſet.

Verùm contrariam ſuperiori ſententię opinionem veriſſimam arbitror, ad quam perſuadendam, ſi alię mihi non ſuppeterent rationes, ſatis, meo quidem iudicio, eſſet argumenti, quod ea ſit omnibus omnium doctorum calculis approbata, & à doctis, pijſq; viris tradita; ad quorum auctoritates, & dicta recenſenda, quoniã longiori oratione opus eſt, ideò huius rei ſtudioſus lector ſcripturę, & Patrum teſtimonia ſuper c. 22. Lucæ perquirat; ego enim vnica Sancti Proſperi ſententia, quę inſtar omnium eſſe poterit, pręſentem aſſertionis meę veritatem cõmuniam. *Orans enim*, inquit Proſper in ſententijs ex Beati Auguſtini doctrina exceptis, *Chriſtus cum ſudore ſanguineo ſignificabat de toto corpore illius, quod eſt Eccleſia, emanaturas martyrum paſſiones;* cuius teſtimonij, vt verba illa, *de toto corpore*, indicant, verus, & germanus sẽſus eſt; ex vniuerſo corpore Chriſti myſtico, hoc eſt ex omni fidelium cætu manabunt martyres, quoniam verum, & naturale Aſſertoris corpus vndequaq; ſudore ſanguineo perfuſum eſt. *Proſper. ſent. 68.*

Ad eſt quoq; huic opinioni valdè probabilis ratio; nam ſanguinis ſudor nõ potuiſſet in terram defluere, vt ſcribit Lucas, niſi in magna vi, ac copia fuiſſet, magna autem quantitas ſanguinis omnes corporis partes, ex quibus diſtillaret, neceſſariò poſtulabat; etenim cum ſudor eſſe nequeat in humano corpore abſq; venis, in quibus vnà cum ſanguine quieſcit; (humidum enim excre-

excrementum nihil est aliud, quam pars quædam sanguinis aquosa) venæq; non omnes in vna tantùm corporis determinata parte sitę, sed per totam corporis substantiam diffusæ sint; profecto vt certissimum arbitrari debemus omnes sacratę Assertoris naturę partes calefacto iam corpore, ac porris venularum omnium patefactis vndequaq; sanguineum liquorem dedisse; & hęc ratio in re vulgatissima sufficiat.

CAP. V.

Quæ sit vis rationum contrariæ opinionis.

NVnc expendamus testimonia eorum, quos paulo ante testes aduersus opinionem nostram adduximus. Et primum quidem Aristotelis testimo- enim nihil oppositę nobis sententię prodest, illud enim probat id etiam, quod concedere nolunt, nimirum pedes, vel ad summum, manus etiam Christi sudorem sanguineum possas esse duntaxat, quod absonum, & falsissimum est. Quare problema Aristotelicum de illis solummodo trepidantibus accipiendum est, qui subito, & inopinato metu perterriti huc, atq; illud discurrunt, solisq; pedibus, qui motu incalescunt, insudare, solent, quod Domino non accidit; non enim eo timore trepidabat Christus, de quo philo sophus loquitur, sed potius factus erat in agonia, hoc est in mœrore, & anxietate, horroreq; pergrandi, quo corripi consueuerunt homines graui vrgente periculo; maxime verò impendente certę mortis necessitate, qui horror non membrorum exteriorum exercitatio, seu commotio est,

sed

ſed interna ſentientis partis afflictio nullam in externis membris motionem efficiens ; ex quibus ad argumentum reſponderi poteſt, ac negari idem eſſe agoniam, de qua Sanctus Lucas, & trepidationem, de qua Ariſtoteles loquitur ; quare licet tantùm è pedibus trepidãtium erumpat ſudor, in agone tamen perculſis non in pedibus ſolùm, ſed etiam in membris omnibus ſudor concedi poteſt.

Quòd ſi inſiſtant nos vrgere, contendentes Chriſti agoniam non aliud eſſe à trepidatione, de qua ediſſerit Ariſtoteles; dicere poſſumus ſecundò, Chriſtum dominum, vti ſuprà vſitatum ſudoris modum veram ſanguinis ſubſtãtiam emiſit inter trepidandum, quod alijs ſimili metu agitatis haud ſolet accidere, ità ſimiliter non in pedibus tantùm, ſicut cæteri faciunt, verùm etiam in reliquis corporis partibus ſanguinis ſudorem paſſum eſſe, cuius reſponſionis aſſignabo rationem, cum rurſus de ſudore Chriſti ſermo inciderit.

Secundum verò opinioni noſtræ nõ officit, illa enim Diui Bernardi auctoritatis particula, *quaſi*, numerum partium corporis non minuit, ſed ſtatuit potius, ſic vt mens illius fuerit, affirmare Chriſtum non oculis duntaxat, ſed verè omnibus membris ploraſſe, in qua ſignificatione vſurpatam eſſe paſſim in diuinis litteris, ſanctiſq; patribus particulam, quaſi, reperio, vti ſupra latius dictum eſt.

Tandem ex huius opinionis illuſtratione ſatis patere arbitror, quod pro inconuenienti inferre ſtudet vltima argumentatio, id maximè conueniens, ac neceſſarium fuiſſe ; nec tamen grandis illa ſudoris ſanguinei copia,

nobile corporis Christi ędificium funditus euertere, aut demoliri potuit; quoniam multò maior, & abundantior sanguis in venis Christi iterũ in alijs cruciatibus effundendus remansit, quam fuerit is, qui è venis, & arterijs domini in vltima Christi ad Patrem prece effusus est. Et hæc de primo quæstionis membro sufficiant.

CAP. VI.

Quænam membra Saluatoris abundantiorem sanguinis sudorem profuderint.

QVod verò ad secundum spectat in titulo capitis superioris propositũ. Credo equidem inęquales membra domini tulisse sanguinis effusiones, itaut aliqua corporis Christi membra plus, aliqua minus sanguinis ad noxas hominum abolendas dederint; quæ autem peculiariter ea fuerint, quæ plurimo, quęq; minimo sudore aspersa sint, colligi posse videtur ex diligenti principaliorum Christi membrorum consideratione, quæ versetur circa naturam, statum, ac conditionem partium corporis Christi; siquidem à natura ità comparatum est, vt vnum corporis membrum ad sudorem fundendum altero magis propensum sit.

Et primo quidẽ intuitu cum sudor sit excrementum humidi liquoris, vt sæpius dictum est, videri fortassis cuipiam posset vero simillimum, partes illas humanæ Christi naturæ copiosiorem sudorem suppeditasse, quæ suapte natura corpulentiori carne, quæ humido pascitur; cæteris præstant; quod ad hunc modum persuadetur. Christus omnimodam sudoris effusionem passus

ſus eſt, vt teſtatur ſanguis ſimul cum ſudore effuſus, qui ideò ex Aſſertoris carne erupit, quoniam ſimplex ſudor totus exhauſtus, atq; conſumptus fuerat; igitur quæ maiori humido pollent, cuiuſmodi corpulētioris carnis partes ſunt, copioſiorem ſudorem pariter dare debuerunt; quæ ratiocinatio, ſi vera eſt, facili negotio difficultatem tollit; nam cum (ſi gēneratim corporis partes conſideremus) in partibus imis maiorē carnis quantitatem, quam in ſummis eſſe videamus, vtiq; dicendum erit, maiorem in inferioribus, quam in ſuperioribus partibus inſediſſe ſudorem; cumq; præterea ſi magis proximè partis vniuſcuiuſq; naturā ſcrutemur, pedes maiori carnis mole gaudeant, quam caput, & rurſus abundantiorem habeant carnis materiam tibiæ, ac crura cum adnexis, quam poſſideat pectus, vberior in ventre, pedibus, & ſic deinceps, quam in alijs partibus extitiſſet. Verùm quià non ità ſudoris Chriſti negotium ſe ſe habuit; ſecus illis partibus arbitror acciditſe, vti phyſicæ diſciplinæ mihi facilè perſuadent.

Nam, vt à generica partium conſideratione exordiar, puto ex ſuperioribus corporis Chriſti membris largiorem ſudorem decurriſſe, quam ex inferioribus membris labi potuerit; cuius rei ſatis opportuna ratio eſt, quoniā calor, per quem aditus ſudori reſeratur, vt ſe profundat, in ſuperiori hominis loco dominatur, & ſurſum ſemper tendit, vbi conquieſcens maiorem humori copiam ſecum trahere ſolet; quæ poſtmodum vitali ſpiritu in ſuperiori parte reſidente commota ſe copioſiſſimè profundit.

Hinc rationis dubitandi ſub initium capitis tactę ſo-

lutio eruitur, neq; enim semper ibi maior sudoris copia collocanda est, vbi potior carnis copia sistit, sed potiùs vbi maior materies caloris, spiritus, distillationisq; humidæ reperitur; quarum rerum opportunam, aptamq; sedem superiores partes fuisse existimo.

Hinc etiam aliarum difficultatum, quæ de membris Domini specialiter consideratis oriebantur, declaratio patet; Nam super omnia corporis Christi membra diuinum caput largiori sudoris materia abundauit; est enim hominis facies ad sudorē promendum aptissima, non solum quia fons, & origo humoris existit, & distillationes ex capite oriuntur, cerebriq; substantiam maxima humiditate pollentem asseruat caput; verùm etiam quia laxioris, solutioriſq; est naturæ, per quam facillimè sudoris transitus fit; ad quod manus solet adiuuari multis foraminibus, ac multiplicibus venulis, quæ in capite habentur. Tum proximè sudor dorsi est subsecutus; is enim in abundantia nihil fermè capitis sudori concessit; nam terga, quemadmodum narrat Aristoteles, sudorem magis asseruant, quam stomachi partes; priores enim facilius refrigerantur, quam posteriores, quæ vti corpulentiores, sic humidiores esse solent. Cuius rei rationem idem philosophus adducit, talia subnectens. *Causam vero, cur humidior sit*, hoc est pars posterior, *medulla habet, quæ per spinam tendens multum humiditatis afferre possit*. Ad extremum aliæ membrorum, licet minores, subsecutæ sunt sanguinis effusiones.

DISPVTATIO SEPTIMA.

De cauſa ſanguinei ſudoris.

CAP. I.

Oſtenditur aduerſus impium catholicæ religionis hoſtem Caluinum, moerorem, ſudorem ſanguineum, & cætera, quæ metuenti Chriſto acciderunt, ex gehẽnæ metu non traxiſſe originem.

QVod deinceps diſcutiendum eſt, magnam, & ingentem habet ſententiarum varietatem, quæ cum non ſit premenda ſilentio, diligentem, & accuratam à nobis diſputationem exigit. Ridiculus, & inſanus Caluinus impiorum dogmatũ, vt mos illius eſt, apprimè tenax, nouam, & inauditam in Saluatorem noſtrum blaſphęmiam iactaret, ſi ab eo ſudoris ſanguinei cauſam ſciſcitaremur, diceretq; grauiſſimas inferni pœnas, & tormenta, quibus tunc crudeliſſimè Chriſtus torquebatur, ſanguineum ex membris Domini ſudorem pepuliſſe; Nam cum de timore Chriſti, quo in paſſionis exordio affectus eſt, loqueretur Caluinus, poſthabita Sanctorum Patrum doctrina, certiſſimoq; totius Eccleſiæ cõſenſu, impudentiſſimè protulit Chriſtum dominum Dæmonis carcerum expugnatorem, atq; victorem, victum, ac detentum in ijſdem carceribus fuiſſe, atq; ſæuiſſimos paſſum eſſe dolores; vt refert Cardinalis Bellarminus ex Caluino lib. 2. inſtitutionum. cap. 16. §. 10. *Bellarminus.*

Caluiniana hæresis de timore Christi.

10. hæc ipsa Caluini verba recitans. *Christus ergò, cum lachrymis, & clamore valido orans à metu suo exauditur, non vt à morte sit immunis, sed ne absorbeatur, vt peccator, quia ille personam nostram gerebat; & certè nulla fingi potest magis formidabilis abyssus, quam sentire te à Deo derelictum, & alienatum, & cum vocaueris, non exaudiri, perinde, ac si in tuam perniciem ipse conspirasset*, & paulò post, *ita cum Diaboli potestate, cum mortis horrore, & cum inferorum doloribus manum conserendo factum est, vt referet de illis victoriam*. Si verò quæras ab eodem, quandonam cæperit in inferno detineri Christus, respondebit eodem libro 2. institutionum cap. 16. §. 12. cæpisse versari in inferno illa eadem hora, qua in horto cæpit contristari, & orare *si nunc* inquit, *roget quispiam an tunc descenderit Christus ad inferos, cum mortẽ deprecatus est; respondeo hoc fuisse exordium, vnde colligi potest, quam diros, & horribiles cruciatus perpessus fuerit, cum se ad tribunal Dei reum stare cognosceret nostra causa.* Quibus sanè verbis docere voluit Caluinus omnes illos cruciatus, dolores omnes, & incredibilem Saluatoris nostri anxietatem, de qua ipse dixit, *tristis est anima mea vsq; ad mortem*, ex metu, & timore propriæ salutis amittendæ profecta esse, nam (vt periurus ille inquit,) apprehendebat Assertor noster Deum sibi infensum, atq; inimicum propter scelera nostra, timebatq;, ne in perpetuos cruciatus demandaretur; ob quem metum sanguineum sudorem protinus expulit. Quare licet in dæmoniaca Caluini doctrina hęc de causa sanguinei sudoris sententia expressis verbis non habeatur, ex recitatis tamen locis manifestè colligitur; vt patet ex ipsis Caluini verbis, cui concors omnium Patrum,

Matthæi 27.

trum, & theologorum ſententia aduerſatur docens nullas vnquàm damnatorum pœnas luiſſe Saluatorem. Sed & ſacræ litteræ diuinitus inſpiratæ aduerſus Caluinum pugnant; in illis enim ſolemnes illæ voces leguntur, quibus ore proprio Saluator credentibus, & benè operantibus certa æternæ fælicitatis præmia pollicebatur; at quo modo æterna gaudia, cæleſtiaq; bona Ieſus crebrò, & aſſeueranter promittere, aut largiri poterat, ſi adeò horribilis metus, & formido ęuum ſempiternũ amittendi in Chriſtum cadere poterat? Poſſem, ſi opus eſſet, ad coërcendam adeò turpem hanc Caluini mentiẽdi licentiam ex ſcripturis plurima in medium teſtimonia proferre, quibus clariſſimè oſtenderetur nunquàm Saluatorem eſſe potuiſſe de ſalute propria ſollicitum, cum diuino beatitudinis præmio frueretur. Poſſem innumeras ex theologico fonte hauſtas rationes adducere, non obſcurè comprobantes neq; pœnis inferni, neq; timori amittendæ ſalutis obnoxium fuiſſe Saluatorem; ni me ab hoc opere, alioqui laudatiſſimo, retraherent ea, quæ apud hæreticalium dogmatũ caſtigatores, atq; egregios oppugnatores legere, & meditari quilibet per ſe poteſt, qui planè huic muneri cumulatiſſimè ſatisfecerunt. Videndi Rupertus Bellarminus, Iacobus Valentia, & his duobus vetuſtiores cæteri hæreſum oppugnatores. Ego tamen interim non poſſum non demirari ſummam pręſtigiatoris huius petulantiam, qui legere poterat, ac reuereri ſimul D. Hilarium erroris ſui intrepidum oppugnatorem, qui zizaniæ huius non modo nõ natæ, ſed nec dũ pullulantis radicum fibras euulſit lib. 10. de Trinitate, quo loci timoris Chriſti rationem D. Hilarius.

nem

Egregium D Hilarij teſtimoniũ ad refellendam Caluiniana hæreſis prætextum.

nem inueſtigans, & Caluinum, nec dum in lucem editum interpellans, hunc in modum expreſsis verbis redarguit. *Tu verò, quo ſenſu rationis intelligis Chriſtum Domînum ad quod feſtinat timere, & conſternantem fortes infirmitate trepidare? & vulnera non permittentem dolere vulneratum dolere? & contumelia crucis dehoneſtari, cui crux conſcenſus ad Deum eſt, & redditus ad regnum? ſed forte vel hoc tibi relictum occaſionis impiæ arbitraris, vt deſcenſionem ad inferos, & ipſam mortis timuerit neceſsitatem, dũ id ipſum triſtari videtur hoc dicto. Pater commendo in manus tuas ſpiritum meum. Hoc legens, & non intelligens, aut piè tacuiſſes; aut etiam religiosè intelligẽtiam eius oraſſes, non magis per impudentem aſſertionem ſtulto furore veritatis incapax vagareris. An ne tibi metuere infernum chaos, & torrentes flãmas, & omnem pœnarum vltricum abyſſum credendus eſt, dicens latroni in cruce, Amen dico tibi hodie mecũ eris in paradiſo? Naturæ huius poteſtatem, iam non dico metus, ſed nec infernæ ſedis regio eſt concludens, quæ deſcendens ad inferos à paradiſo non deſit. Sicut hominis filius loquens in terris maneat, & in cælo martyri ſuo paradiſum promittens, & conſũmatæ beatitudinis delicias pollicens. Non habet hũc metus corporalis penetrantem quidem inferos, ſed vtique naturæ ſuæ virtute diſtentum. Et naturam hanc mundi dominã, ac libertate ſpiritualis virtutis immenſum non ſibi terrore mortis gehẽnæ chaos vindicat, qua paradiſi deliciæ carere non poſſunt. Futurus in inferis dominus, & in paradiſo eſt futurus. Deſeca ad metum pœnæ naturæ inſecabilis portionem, & de Chriſto apud inferos pone quod doleat, & in paradiſo relinque, quod regnet. Latro enim rogat, vt ſui in regno ſuo meminerit; & credo cum ad hanc beatæ confeſſionis fidem auditus trã-*

ſeunte

ſeunte palmes claro gemitus accendit, & regnum Chriſti per dolorem infirmitatis in Chriſti corpore didicerit. Ille dignationem reminiſcentis in regno poſtulat, tu crucis mortem ad metum deputas; Dominus communionem ei Paradiſi mox pollicetur; Tu Chriſtum in inferis ſub pœnali terrore concludis. Diuerſæ ſpeciei fides iſta eſt. Paradiſum meruit ſub cruce latro pendentem Chriſtum confeſſus in regno. In pœnæ ergo dolore, & metu mortis Chriſtum deputans, et Paradiſo neceſſe eſt, ſit carituras, & regno. Hęc ſubtiliter, & diuinè Hilarius contra Caluinianam hęreſim, quam inſuper admodum diſertè, & clarè redarguit Diuus Cyprianus ſermone de paſſione Domini; docens nullo vnquam tempore Chriſto Domino formidabilem fuiſſe Æterni patris aſpectum hiſce grauiſſimis verbis. *Sed tu domine, qui iudex es omnium, qui poteſtate ponis animam tuam, & poteſtate reſumis, nec pœna te ex neceſſitate proſequitur, nec formidabilis tibi poteſt eſſe conſpectus, quid anxiaris? quid tremebundus ad orationem diſcurris?* Ex quibus ſanctorum patrum teſtimonijs inferre licet ea omnia, quę de timore Chriſti, & de ſanguineo ſudore eiuſdem ſacrę paginę loquuntur, neq; ex inferni ſupplicijs, neq; ex metu proprię felicitatis amittendę, quę Chriſto certiſſima, ac planè indubitata fuerat, profluxiſſe. Et hęc hactenus de peruerſo Caluini dogmate. D. Cypria. ſerm.

CAP. II.

De cauſa ſudoris ſanguinei varia Catholicorum Doctorum placita.

MOdò adeamus eos, qui ſanctiſſimè Chriſtianam religionem colentes, necnon meritam ſeruatori noſtro gratiam perſoluentes omnia purè, &

caſtè, vt decet, de filio Dei ſcriptis prodidêre, ac cum ijs ipſis probabilem sãguinei ſudoris cauſam inquiramus.

Prima opinio. In primis igitur doctores ij, qui ſanguinis huius profuſionem in miracula conijciunt, ne ſecum ipſi pugnent, ad cauſam à communi naturæ vſu, & conſuetudine abhorrentem confugiunt, ac docent à ſolo præpotẽti Deo, ſiuè etiam ab alia quauis cauſa, quę à vulgari intelligẽtia remotior ſit, ſanguineum ſudorem comproductum fuiſſe.

Confutatio prima opinionis. Verùm hanc ſententiam, quæ à pluribus præſtanti doctrina viris defenditur, iam non modò, quæ ſuperioribus capitibus diſputata fuêre, infirmant, ac deſtruunt, ſed etiam quę ſtatim ex ſanctorum Patrum, atq; aliorum decretis deprompta afferemus, nõ obſcurè repellent; neq; enim, quamuis præter vſitatam conſuetudinem ſudor ſanguinis euenerit, eum propterea ſuprà naturam accidiſſe putandum eſt; tanta ſiquidem ſolet eſſe naturæ vis, & ſolertia, vt ea etiam, quæ nobis miranda videntur, virtute ſua poſſit operari.

Secunda opinio. Neotericorum haud ignobiles quidam ſacræ ſcripturę expoſitores totum hoc ſanguinei ſudoris negotiũ expediunt paulò altius repetita illius ratione ex fine, atq; cauſis generalibus, quarum intuitu humanis ſpolijs indui voluit ſalutis noſtræ vindex dominus. Nam cum diuinum Æterni patris Verbum humanam hanc mortalitatem in propriam hypoſtaſim aſſumpſerit, vt miſeros Adæ filios ex inextricabilibus peccati laqueis ſolueret, quibus vndiq; irretiebantur, propterea ſub initium eius temporis, quo extrema pati Dei filius homo factus decreuerat (cum videlicet, vt patri ſupplicaret, ſeceſſit in hortum) totus in peccati fęditate, ac ſordibus

contem-

contemplandis ità est defixus; vt peccati miserrimæ speciæ commotus, ac truculento eiusdem aspectu perterrefactus in maximum timorem deuenerit; Cũq; præterea totius orbis graue peccatorum onus humeris suis esset à patre impositum; quandoquidem, *miserat illum Deus propitiatorem pro peccatis nostris.* Ioannis 4. & ad Timot. 1. *Fidelis sermo, & omni acceptatione dignus misit Deus filium suum peccatores saluos facere,* & Matthęi 1. *Vocabitur nomen eius Iesus, ipse enim saluum faciet populum suum à peccato.* Ad hæc quià idem Assertor noster, qui natura sua excellentissimo diuinitatis splendore gaudebat, se ipsum nostri causa alienis tunc sordibus penè obsoletum intenta animi cogitatione contuebatur, tam mirifico ex his omnibus est pudore affectus, vt ex omnib. corporis partibus abundantissimos sanguinis grumos dederit; sic enim, & natura, & communis verecundiæ vsus obtinuit, vt pudorem magnum nõ exiguus rubor consequatur, qui in varias corporis Christi partes trãsmissus totum Domini corpus igneo quodam calore inflammauit, atq; ad sanguinem effundendum disposuit; tanta enim concepta in uenis flamma sanguis dominicus æstuabat, vt protinus emicuerit ob nimiam sanguinis attenuationem, aut ex fractis nimia agitatione venulis, aut certè ex rarefactis venarum conceptaculis. Hęc prodita sunt ab ijs, qui effectricem sanguinei sudoris causam pudori, ac verecundiæ, qua de peccatis nostris affectus est Dominus, accensent.

Ioannis 4. ad Timot. 1. Matt. 1.

Sed his duo aduersantur. Alterum. Via hæc sudoris sanguinei explicandi non modo nõ consona, sed, q; verius est, sanctis patribus repugnãs, ac aduersa videtur; illi

Refellitur 2. opinio.

enim alias à verecundia planè remotissimas sudoris causas, vt mox patebit, adducunt. Alterum. Hic modus, & hæc ratio sanguinis profundendi incredibilis, & nullo vnquam temporis æuo vsitatus fuit; nam licet pudor cogat eos erubescere, in quibus dominatur si ij ea mala secum ipsi meditentur, quę ignominiam, ac dedecus secum trahunt, cuiusmodi sunt pudenda peccatorũ vitia; insurgit .n. proculdubio molestia q̃dã, & ęgritudo, perturbatioq; animorum eorum, qui in peccati sordibus contemplabundi hærent; ex quo capite potuit innocẽs ille agnus erubescere; non eo tamen vnquam progressus est pudor, vt venas dissecãdo, & carnis molem disrumpendo è naturalibus vasculis sanguinem potuerit propulsare; hoc siquidem proculdubio pudoris vires pręterit. Mitto in pręsens (quod tamen magna probabilitate non vacat) in huius opinionis confutationem asseuerare, nullum in Christo Domino locum obtinere potuisse pudorem fœditatis peccatorum, quæ non à Christo, cuius natura erat ab omnibus planè peccatis immunis, & innoxia, sed à prauis hominum voluptatibus perpetrata fuerãt; at qua quæso ratione, quoue iusto prudentis iuditio, quę aliena improbitate euenerant, aliquam pudoris, & verecundiæ afferre Christo poterant occasionem? pręcipuè cum non Christo, sed peccatoribus ignominię, & dedecoris nota ex perpetratis peccatorum sordibus inureretur.

Cur pudentes erubescant.

Tertia opinio Gersonij.

Ioannes Gersonius 4. parte operum suorum de passione Domini in expositione textus duas ad sanguinem profundendum causas adfuisse arbitratur. Prima non ipsi solum peculiaris, & propria, sed nonnullis etiam

Patribus

Patribus, alijsq; Doctoribus familiaris est. Secunda fuit à Ioanne excogitata, nec non à communi cęterorũ opinione aliena. Prior fuit immobilis tormentorum, & mortis, quam seruator erat subiturus, appræhensio, quæ in eam animi angustiam Christum redegit, vt sanguineos liquores profundere coactus fuerit. Posterior fuit summa quędam voluptas, & lętitia, qua Christus Dominus perfundebatur ex ea cognitione, quam ab instanti conceptionis seruator habebat; quaq; clarissimè nouerat, inferiorem suę naturę portionem, vt semper anteà, sic in ipso mortis agone ad nutum rationi obtemperantem planè futuram. Etenim cum de morte propria cogitabundus in genua procubuit Assertor, protinus graue certamen inter rationem, sentientemq; appetitum ortum est, volebat enim ratio, quò iusta aduersus peccatores Æterni patris indignatio sedaretur, vt Christus Dominus morti succumberet, ac proindè præsentem mortis calicem sensui acceptãdum hunc ad finem, ratio offerebat; sed reluctabat ex aduerso sui ipsius amica sentiens facultas, ac mortem acerbissimam omni conatu quærebat subterfugere. Hinc quià certum pugnę exitum apprimè Christus prævidebat, callebatque optimè in reluctãtem sensum suum ita planè rationem dominari, vt remotis omnibus naturę ignieulis lubens sensus esset rationi mortem imperanti obtemperaturus; idcircò eximia lętitia repletus exultauit animus Saluatoris, & gestiens vitales spiritus commouit, ex qua spirituum commotione sanguineus sudor ortus est. Gersonij verba, si ea quis audire velit, sic habent. *Iesus innocens mortis, vitæq; Dominus sanguinem sudauit ob imminentis*

*minentis mortis consideration*ẽ*, quam secundum sensualitatem tantoperè formidabat, & præsertim secundò cum positus fuit in agonia, & in signum mortis,* & quę sequuntur; quę Gersonij verba, vt lector clarè intuetur, primam attingunt, atq; explicãt de sudore sanguinis Christi causam. Quocircà paulò post secũdam eiusdem sudoris causam enarrans hęc subnectit. *Fuit autem hoc certamen, eo quòd ratio viuaciter, & clarè, & ineuitabiliter sensualitati mortem ostẽdebat amarissimam, quam paulo post erat passura, voluitq; ratio, sensualitatem eam sustinere mortem ad obediendũ Deo, absq; fuga cogitãda, & absq; quocunq; modo excogitando. Ex aduerso verò sensualitas percipiens hanc mortem, præsentiebat omnia futura, ac si essent præsentia, id ò maiorem in modum reluctabatur tali morti, cum nullum videret effugium, nec euadendi potestatem vllam. Ideò excipiebat illam tamquam rationis ancillam, eiq; subiectam obtemperare illi, quod ratio iuberet. Cumq; ratio illa esset, vt Deus, obediebat sensualitas, & huic se submittebat pœnæ,* & mox. *Quare facilè creditur quod cum ratio cognosceret sensualitatem eidem hoc pacto esse obedientem, suscepit in hoc in Deo singulare gaudiũ, & naturalem feruorem, atq; vigorem, per quem totus sensualitatis sanguis fuit commotus, & processit sanguineus sudor.* Hęc ille quidem. At enim vel me tacente quilibet per se aduertet, inordinatam esse, ac potestati naturæ minimè congruentem hanc sudoris expellẽdi rationem; Etenim limatioris ingenij Philosophis nunquàm probabile visum est, quempiam vel maximo affectũ gaudio emittere potuisse sanguinem; est enim hoc opus impellẽtis, ac fortiori, violentoq; motu propulsantis virtutis, non autem lenientis, & naturam exhilarantis, atqui lętitia recreat,

Confutatio opinionis Gersonij.

recreat, ac reficit magis, quam adigat, atq; concutiat gaudentis animum, & naturam. Quod insuper ait Gerson, sensum Christi, tamquàm rationis seruum mortis aculeo se vltrò obiecisse, non satis firmum videri posset ijs præsertim, qui norunt à Christo Domino nequaquã abfuisse eos omnes defectus, qui ex primi parentis noxa sic in humanam naturam irrepsêre, vt excellentissimæ charitatis, & scientiæ Assertoris perfectioni non repugnarent, cuiusmodi sunt hi, quos D. Damascenus naturales, & indetractabiles passiones appellat; hoc est, qui necessario quodam nexu cuiuslibet hominis naturam sic sequuntur, vt secum nullam trahant aut scientię, aut gratię imperfectionem; atqui in hisce defectibus, quib. obnoxia fuit vindicis nostri natura, primas sibi partes deposcit timor ille horribilis mortis iam iam ab oculos positę, quę naturali hominis sensui eo grauior videri solet, quò certior dignoscitur. Cum ergò Saluator acerbissimam, ac ignominiosissimam sibi mortem imminere certissimè teneret, ac omnes cruciatus, opprobria, teterrimaq; sibi parata esse supplicia clarissimè intueretur, quî potuit inferior Christi portio, quę naturali motu, ac propensione tantoperè mortem abhorret, superiori portioni acquiescens vltimum animi à corpore discessum adeò formidabilem acceptare, & pronis sensibus amplecti? certè mihi in hoc intuêti ipsum incredibile istud videtur, cũ esset operatio repugnãs, ac contraria Christi naturæ, quæ etsi indissolubili vinculo diuinę hypostasi esset adnexa, eos tamen diuina dispensatione dolores patiebatur, quos si pura natura humana fuisset, ex terribili mortis aspectu dubio procul pertulisset.

Quales defectus esse potuerint in Christo.

Quarè

Quarè igitur, cum mortis timor, ac fuga sic humanæ conditioni adhæreant, vt nullam culpę detestabilis notam mortem deuitanti inurant, sitq; naturalissimum homini in extremo mortis periculo constituto totis viribus, omniq; conatu mortis ictum declinare; non est cur Gerson affirmet animalem Christi Domini appetitum spontè pœnis se se submisisse; quod si secus, ac nos arbitramur, contigisset; quorsum diuturna illa interior tristitia in Christo surrexisset? quibus item de causis tanto animi, ac corporis mœrore semel, iterum, atq; tertiò mortem esset deprecatus? vt quid tandem Angelico subsidio fuisset opus, si inferior portio mortem perferre non recusabat? Amplius illud quoq; Gersonis sententiam coarguit, quòd ratio ipsa siue superior portio, quam fuisse, sicut Deum, affirmat, quamq; nullo vnquam teritam esse mortis aspectu prędicat de morte ipsa tristis fuisse videtur, quemadmodum illa Saluatoris verba indicant, *tristis est anima mea, vsq; ad mortem*, ex quibus liquet omnes animæ Christi partes, inferiorem videlicet, ac superiorem portionem, in graui tristitia fuisse versatas ob iam imminentem mortis occasionem.

Portione et superiori Christus mortē abhorruit.

Prima ratio.

Neq; dicas particulam illam *tristis est anima mea, vsq; ad mortem*, non rationalem, sed animalem partem, quæ nonnumquàm anima dici solet, significare; quoniam nimis remota, ne dicam omninò extorta, neq; domini verbis congruens est huiusce modi expositio loci illius scripturæ, quæ, vt author est D. Augustinus, ptopriè, & vt verba sonant interpretanda, & intelligenda est, si nullum fidei Catholicæ dogma repugnans, & contrarium indè

Explicatio illius loci scripturæ tristis est anima mea vsque ad mortem.

Secunda ratio.

indè consequatur, Christum autem superiori etiam portione contristatum esse, ac mortem refugisse non dedecuit; præcipuè quoniam, vt sapienter scribit Damascenus, passiones Christi in hoc à nostris differunt passionibus, quòd nostræ voluntatis præueniunt actionem, illæ verò non Christi voluntatis anteuertunt operationem, sed subsequuntur; nos enim, vel inuiti passionum fluctibus sæpè agitamur, at Christus Dominus, veluti D. Augustinus testatur lib. 14. de Ciuitate Dei capit. 9. *Hos motus certissimæ dispensationis gratia, ita, cum voluit, suscepit animo humano, sicut cum voluit, factus est homo*; quòd idem est, ac si diceret Saluatorem nostrum spōtè, liberèq; , & doluisse, & timuisse, tunc solùm cum & doloris, & timoris passiones in se operari voluit. Prætereà quid obstat, quominus Christus certo mortis metu cōmotus superiori etiam portione vitam iustissimè tueri contendere potuerit? maximè cum non ita acerbā mortem deprecaretur, vt nullo modo eam vellet perpeti, sed solùm eam recusaret, quatenus ingens quoddam humanæ naturæ malum erat, ac quod caput est, nō absolutè, sed sub hypothesi, si nimirum alia ratione diuinæ iustitię satisfieri potuisset; quo pacto non modò innatum, sed elicitum etiam naturæ humanæ desiderium diuinæ subijciens voluntati vitam rogabat dicens. *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste, veruntamen non mea, sed tua voluntas fiat*. Ad hęc mortem detrectasse Iesum, superiori etiam parte ipsimet diuini Euangelij præcones Matthæus, & Lucas innuunt, dum ille de morte loquens cap. 26. Sic ait. *Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu*; Dumq; iste de eadem morte agens cap. 22. *Pater, si vis*, inquit,

Libr. 3 de fide orthodoxa cap. 20.

D. Augus.

Tertia ratio.

Quarta ratio.

Matthæus.

Lucas.

inquit, *transfer calicem istum à me, veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat*; quibus sanè testimonijs, manifestum est, Christum Dominum voluntate etiam, quæ superior portio dicitur, fuisse conturbatum, mortemq; refugisse.

Ex his igitur ad Gersonem repellendum arguere sic licet; superior Christi portio de sæua morte non mediocriter contristabatur, potiori igitur ratione pars inferior duce natura mortem formidare, ac timere debebat, maximè cum naturalia in Christo, vt pari, ac consona voce testantur Patres, tunc iuxtà naturam operari, diuina Saluatoris voluntas concederet; quocircà cum illud sit naturæ præcipuum, vt sentiēs appetitus vitam, non autem interitum quærat, non debuit ratio siuè superior naturę Christi portio singulare gaudium in Deo susc̃ipere ob pronitatem sensus ad mortem, qui mirum in modum mortem recusabat. Præterea Christus Dñus, vt cumulatissimè diuinæ Æterni patris iustitiæ satisfaceret, toto passionis spatio gaudij, ac lætitiæ expers esse voluit, cum mœrore omnia squalerent, *tristis*, enim, *erat anima illius vsq; ad mortem*, nullus igitur Christo Dño esse potuit gaudij locus; ergò neque feruori ex gaudio procedenti, ac quod fit indè consequens, vlla sedes sudori sanguineo esse potuit. Ad extremum scisc̃itarer à Gersone rationem, cur cum non minus clarè in exordio, quam in progressu sui sensus naturam, & ad rationi obediendum alacritatem verè dignosceret Christus, attamen sub finem tantùm orationis, non verò antea ratio lætari potuerit, & tam prodigiosum ex hac lætitia producere voluerit effectū, cuiusmodi fuit sāguineus

neus ſudor, qui, vt alias fusè diſputauimus, tertia dunta-xat orationis vice è dominico corpore dimanauit; equidem nullam huiuſce diſcriminis afferri poſſe autumo rationem, vt facilè oſtenderem per ſingula capita diſcurrendo, niſi animaduerterem, me longius eſſe prouectũ, quàm propoſita Gerſonis ratio mereatur.

CAP. III.

Caietani, & quorundam Sanctorum Patrum de cauſa ſudoris ſanguinei ſententiæ.

QVare deinceps pergam ad alias doctorum opiniones. Etenim Caietanus ſuper commentatione vigeſimi ſecundi capitis D. Lucæ arbitratur emiſſi ſudoris cauſam fuiſſe vim acerrimam paſſionũ, quibus mortalis Xpi natura torquebatur. *Erat .n.*, inquit Caietanus, *corpus Chriſti exhauſtum, & magnitudo paſſionũ pellens violentè ſudorem, pepulit ſimul aliquid ſanguinis, deficiente ſudoris materia.* Sed Caietani opinio non abſoluit penitus difficultatẽ, nam prẽter violentam paſſionũ commotionem, cum opinio noſtra explicabitur, alia ad ſudorẽ ſanguinis effundendum perneceſſaria fuiſſe demonſtrabimus. Deinde vis, ac magnitudo paſſionum Saluatoris nihil aliud erat, quam ſummus ille animi, & corporis metus, quem ipſe de ſe teſtatur dicens, *triſtis eſt anima mea vſq; ad mortem*, atqui metus, & triſtitiæ vires ſanguineum ſudorem elicere non potuerunt, vt latius infrà declarabitur.

D. Hieronymus libro ſecundo aduerſus Pelagianos cum multis, ac varijs rationibus probare contendiſſet *D. Hieronymus.*

ad benè, laudabiliterq; operandum omninò necessariũ esse diuinæ gratiæ beneficium, docuit sanguinei sudoris originem, ac causam fuisse maximum conatum, quo Saluator Iesus orationi vacabat. Sic enim loquitur. *Saluator in passione ab Angelo confortatur, & Critobolus meus non indiget auxilio Dei habens liberi arbitrij potestatem, & tam vehementer orabat, vt guttæ sanguinis prorumperent ex parte, quem totum erat in passione fusurus.* Verùm ex ipsa narratione Euangelica liquidissimè perspicitur non solum deprecationis Christi feruorem, sed etiam mœrorem, ac tristitiam ad effectionem sanguinei sudoris cõcurrisse. Præterea nullus orationis conatus, sine præuia afflictæ Saluatoris naturæ perturbatione, tam ingentem excitare valuit trepidantis naturæ flammam, ex qua sudor sanguinis oriretur, vti mox patebit.

Didacus Stella. Didacus Stella D. Hieronymi opinionem assecutus eodem citato capite ad hunc fermè modum loquitur. *Sudor Christi erat nimius, & maximus, qui ex omnibus corporis partibus, & porris manabat ad modum sanguinis effluentis per vestes*, & paucis interiectis; *hunc*, inquit, *Christus emisit ob maximam conatum orationis, et ob terribilium omnium maximam memoriam, & obiecti periculi, & ingentem angustiam, qua à sensualitate torquebatur, quæ pati permittebatur naturaliter. Cor aũt Christi cũ esset inflãmatum, omnes porri recludi, & deijci cæperunt, & emittere sanguinem.* Hactenus Stella, qui non tantùm allatæ ex D. Hieronymo sententię adhæsit, verùm etiam insuper alias sanguinei sudoris causas adiecit, quæ quoniam non longè distant ab ijs rationibus, quæ mox in subijcienda a me sentẽtia adducuntur, propterea vnum, & idem de vtrisq; ferendum

dum erit iudicium.

Neq; ab opinione Sancti Hieronymi longiùs abfuit Beatus Ioannes Chryſoſtomus homilia 84. in vigeſimũ ſextum caput Matthæi hiſtoriæ, quo loci de ratione, ac cauſa ſanguinei ſudoris ediſſerens, feruori, ac contentioni deprecantis Chriſti ſanguinis cauſam attribuit hiſce verbis. *Ipſe verò intentius orabat, adeò vt vel ſudores vberius defluxerint.* *B Ioannes Chr. ſoſt.*

Beatus Anſelmus in ſermone de paſſione Domini inueſtigans illud idem, quod nos quærimus, duo huius ſudoris aſſignauit principia; quorum primũ arbitratur fuiſſe quaſdam cordis Chriſti anguſtias, quib. mirificè tunc tẽporis angebatur Aſſertor; ſecũdũ aũt expreſſam fuiſſe putat ignominioſiſſimę mortis imaginem. *Anguſtias,* inquit ille, *cordis tui dulciſſimi, certiſſimè indicabat ſudor ille sãguineus, qui orationis tpe de ſanctiſſima carne guttatim decurrebat in terrã;* & paulò poſt ſubdit; *naturalem carnis tuæ infirmitatem huiuſcemodi indicijs expreſſiſti, quibus docemur, qnia verè languores noſtros portaſti, & non abſq; doloris ſenſu paſſionum ſentes percurriſti. Sed ò dulciſſime Domine Ieſu, quanta fuit paſſionis tuæ acerbitas iam exhibitæ, cuius adhuc abſens diſtincta appræhenſio, ita naturam terrendo concuſſerat, vt ſudare ſanguinem cogeretur.* Hactenus ex Anſelmo, qui, vt mea fert opinio, ſuam hanc mutuatus videtur ſententiam à Beato Cypriano, cuius in ſermone de Paſſione Domini hęc ſunt verba. *Et te triſtem vsque ad mortem prænimia anxietate ſanguineo ſudore perfuſus coram Apoſtolis es profeſsus.* *B Anſelm.* *B. Cypriano.*

Similem ſententiã melliſluus Bernardus dulciſſimis, ac venuſtiſſimis verbis expreſſit tom. 1. de Paſſione Domini *D Bernardus.*

mini cap. 37. *Inſpice*, inquit Bernardus, *tribulationem ipſius mitiſſimi cordis, qua angebatur, cum totùm corpus ex omni parte ſanguineo ſudore manaret. Neq; enim corpus extrinſecus tanto, taliq; ſudore defluere, ſi corpus intrinſecus nullius doloris moleſtia frãgeretur. Contritum eſt cor meũ in me, inquit Propheta. Sciſſo igitur corde interius, ſciſſa eſt, & exterius pellis noſtri Salomonis, effuſus eſt ſudor ſanguineus ſuper terram, rubricata eſt roſa paſſionis, & charitatis rubicundi Chriſti Ieſu; eccè quam rubicundus, & quam totus rubicundus.* Hactenus Bernardi verba; Quibus fauet B. Dionyſius Carthuſianus articulo 48. enarrationũm in Lucæ hiſtoriam.

D. Dionyſius Carthuſianus.

Enim verò ſententia, quam ex patribus adduxi, iam pridem eſt à pluribus ſacrę paginę ſtudioſis recepta, hãc enim, & noſtræ ætatis ſcriptores, Cornelius Ianſenius, Ioannes Maldonatus, Franciſcus Burgenſis, Salmeron, Gaſpar à Melo, Franciſcus Suarez, & complures alij tradiderunt; hanc ſuperioris ęui etiam nobiles Theologi docuerunt. Gabriel Biel, qui in tractatu de paſſione Domini articulo quarto primæ partis non modò eam diſertiſſimis verbis declarauit, verùm etiam congruenti ſimilitudine illuſtrauit ad hunc fermè modum ſcribens. *Numquã aliquis martyrum, nunquàm aliquis quocũq; ſupplicio exponendus legitur ſanguineum ſudorem ſudaſſe, quamuis plurimi iam tortorum manibus traditi mortem pœnoſam effugere deſperarent. Nec mirum, quoniam, etſi cæterorum multi mortem ſibi imminere certò cognouerunt, vim tamen mortis, atq; doloris acerbitatem nullus diſtinctè prænoſcere potuit, quam tamen dominus, tamquam nunc præſentem ſenſu interiori diſtinctè præguſtauit; ſicut, qui ſemel ſectus eſt,*

Gabriel Biel.

ſi

ſi iterùm ſecari oportet, quia iam eſt expertus ſectionis dolores, longè plus quàm primò horret ſectionem, & mox, *tanta ſiquidem fuit mentis eius anxietas ex angore præmiſſo, vt ruptis, vel apertis ad intra uenulis ſimul cum ſudore pretioſus efflueret ſanguis, ſicut nonnumquam propter vehementiam terroris, vel horroris inſoliti homines quidam de naribus ſãguinem fundunt, vt de odientibus cattos, expertum eſt*; Ex qua Gabrielis ſententia non ſolum intelligere poteſt Lector verum ſanguinei ſudoris principium, ſed etiam elarè põt intueri, quod aliàs multorum torſit ingenia; nempè q̃ ob cauſam alij omnes, qui valida impendentis mortis formidine pulſantur, minimè talem ſubire ſoleant carnis infirmitatem, qualem dominus in effundendo ſanguinis ſudore expertus eſt. Eiuſdem ad extremum ſententiæ defenſor, vt alios plures omittam, fuit Nicolaus de Lyra, qui loco iam multoties citato hæc prodidit. *Ex vehementi anxietate ſenſualitatis qua permittebatur agere, & pati, quod erat ſibi proprium, vt dictum eſt, fiebat vt non ſolùm humores exirent per ſudorem, ſed cum hoc aliquid de ſanguine ſudorem tingente.* Verùm hæc omnium doctorum poſtrema opinio improbari poſſe videtur his potiſſimum argumentationibus. Etenim timor pergrãdis degenerem timentis animum arguit, at excelſam fuiſſe Saluatoris animi magnitudinem nemo in dubium reuocare poteſt, qui mediocriter in ſacris litteris ſit verſatus; quibus non ſemel teſtatum nobis eſſe voluit egregium roboris animi ſui ſpecimen dicens. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere*, & rurſus, *ne terreamini ab eis, qui occidũt corpus, & poſt hæc non habent amplius, quid faciant.* Quid? non ſolùm verbis, ac

Nicolaus de Lyra.

Quibus argumentis nõnulli poſtremam hãc opinionem oppugnant.

Matt. 10. Luc. 12.

bis, ac sententijs, sed etiam re ipsa nõ horruisse mortem declarauit inuicti animi robur illud, quo munitus Assertor se se militibus ad necem quærentibus obuiam debit. *Surgite eamus, ecce appropinquauit, qui me tradet.* Prætereà scienti historias notum est, plerisq; mortaliũ humana duntaxat scientia præditis haud visam esse terribilem mortis oppetendæ faciem; qua de re omittam in præsens egregium illud facinus Socratis, qui audita in se iniustæ mortis capitali sententia, nec interno, nec externo animi sensu aliquod perturbatæ mentis signum dedit; & veniam ad proceres illos antiquæ Romanæ nobilitatis duces, ac viros, qui, vt fractis, ac tandem prostratis hostibus insigni victoria ij milites potirentur, quibus præerant, vitam, quam superstitem, atq; incolumem poterant traducere inter hostium manus glorioſissimè profuderunt, neglecto quouis, vel grauissimo mortis metu; Ethnici ergò, quibus nulla effulserat lux Euangelij, incerto etiam bellorum exitu certissimi de morte, incerti de victoria pro spe incolumitatis exercitus, mortem alacri animo oppetebãt; & Christus Dominus veritatis auctor, & magister, atq; humani generis dux inuictissimus, de nobili illa, ac copiosissima victoria certissimus, quam multis ante illius temporalem aduentum seculis præcinerat Isaias, mori metuet in pretium captiuitatis nostræ? Quid an non vehemens adeò tristitia, & virtuti diuinitatis eius, & personę derogat; & feruentissimum charitatis ardorem, quo ardentissimè Saluatoris cor æstuabat, imminuit? Et tandem concessisset Assertor noster in fortitudine innumeris fermè martyribus, quorum corpora, etsi excarnificarentur

Matt. 27.

Admirãda Socratis cõstantia.

Cap. 53.

ficarentur, omniq́ue suppliciorum genere dilaniarentur, alacres tamẽ, gestientes, ac intrepidos animi sensus, quibus mortem contemnebant, perpetuò tuebantur incolumes.

Sed totum hoc, quod à nonnullis aduersus recitatam opinionem excogitatum fuisse video, aut leue, aut nihil est, quandoquidem conficeretur ex eo verius, Christum Dominum non timuisse, contrà expressam Euangelij Lucæ veritatem, quam eundem Saluatorem nostrum ex mortis timore, & angustia sanguineũ nõ profudisse sudorem. Illud ergo fortius erit ad probandum ex metu mortis sanguineum sudorem non fluxisse, quòd videamus timentis faciem, & membra pallore occupari; at non aliam ob causam oritur pallor, quã quod sanguis, qui in venis per faciem, ac totum corpus diffusis continebatur, ob incussum homini metum fugit, & à proprijs venis recedens, ac ad cor hominis fouendum accedens deserit vultus humani partes, quæ sicut, quandiù rore sanguineo irrigabantur, speciem rubri coloris reddebant eximiam, ita vbi primum sui sanguinis fugam, ac recessum senserunt, ingratum humano aspectui pallorem præseferre coguntur. Quocirca si Christus Dominus, vt citati auctores autumant, fuit ab hac timoris passione agitatus orationis tempore, hinc haud potuit erumpere sanguineus liquor, qui insurgente metu ad intima quæq; corporis Christi membra potius, quàm ad extrema natus erat confugere. *Qualis sit effectus timoris.*

Et hæc fermè sunt, quæ de effectrici sanguinei sudoris principio in contrarias partes à præclarissimis viris, ac patribus memoriæ prodita sunt. Consultò enim hoc

loco in præteritis relinquendam esse censui eorũ opinionem, qui in attingẽda ea causa, de qua sermo est, ad ardentissimum mediatoris nostri amorem confugiunt, docentes feruidum eximiæ charitatis Xpi ignem, eiusdẽ Saluatoris cor occupasse, atq; verum per porros sãguinem distillare coegisse è venis; non secus, ac vehentissimi ignis æstus sæpè numerò efficere solet, vt expressa è rosis aqua fluat. Nam meo sanè iudicio sic aientium sententia, plus religionis, ac pietatis, quam veritatis habet. Etenim cum simillimo, ac planè eodem amoris ardore à miserijs subleuandi genus humanum cor Saluatoris perpetuò inflãmaretur ab ipso natiuitatis exordio, similem sanguinis profusionem aliàs produxisset amor; quod tamen non accidit.

CAP. IV.

Declaratur, & defenditur magis probata auctori sententia.

HIs igitur cognitis, nec non explicatis restat illud aperiendum, ex quo mens nostra planè intelligetur. In cuius gratiam ante omnia aduertendum est, Vindicem salutis humanæ Christum Dominũ vero, ac proprio timore mortis fuisse perculsum eo tẽporis spatio, quo ad mortem deprecandam orationi vacauit; quamuis iustis de causis olim Sancti Hilarius in Matthæum, & Hieronymus, & Ambrosius in Lucam aliter quodammodo sensisse videantur, siue ad abolendam è fidelium memoria Arrianorum impietatem; qui ex timore inficiabantur diuinitatem eiusdem Assertoris, siue ad commendãdam Saluatoris nostri excelsam animi magnitudinem etiam in extremo mortis discrimine;

Hæresis Arrianorum.

Cur nonnulli patres aliquando videantur negare Christum timuisse.

mine; vti ſenſiſſe videntur Hieronymus,& Ambroſius; à quorum opinione non longè abfuit Diuus Ioannes Chryſoſtomus, qui ſermone de ſancta Trinitate Chriſtum Dominum non habuiſſe, ſed tantummodo exterius prętendiſſe mortis formidinem, vt hinc Cacodęmon deceptus ſuperari, ac vinci poſſet, docuit his verbis. *Prætendit igitur Dominus formidinem, quo ille (Dæmon) allucinaretur, vt cum accederet hominem, & ab ipſo in fugam verteretur, redimerentur oẽs, qui ab illo detenti erant. Quemadmodum rex aliquis inuaſurus tyrannum fingit metũ dicens exercitibus ſuis, fugiamus hinc à facie illius, vt ne à nobis fugiat, ſed perſequatur nos, & ſic conuerſi comprehendamus illum. Ita, & dominus prætexebat formidinem, vt cum Diabolus ipſum quaſi hominem aggrederetur inueniret Deum, qui illum interimeret, & liberaret omnes, qui ab illo detinebantur in inferno; ſic enim dixit. Apparuit Angelus confortans eum, qui ab Angelis adoratur, & cui flectitur omne genu cæleſtium, terreſtrium, & ſubterraneorum.* Verùm ſicut in hac opinione non perſtitit Chryſoſtomus, retractauit ſiquidem eam in cap. Matthæi 26. redarguẽs eos, qui triſtitiam, ac animi anxietatem ſimulatè duntaxat Chriſto tribuebant, vt manifeſtè dignoſcitur ex verbis Chryſoſtomi, quæ quoniam ſequenti quæſtioni opportuniora erunt, hic ſunt reticenda; ita ſimiliter, nec Ambroſius, nec Hieronymus eam opinionem perpetuò ſunt ſequuti. Ille enim per humanam infirmitatem diſplicuiſſe Aſſertori mortem pijs admodum, atq; elegantiſſimis hiſce verbis teſtatur in commentarijs ſuper 22. cap. D. Lucæ editis. *Hærent,* inquit Ambroſius, *pleriq; hoc loco, qui triſtitiam Saluatoris ad argumentum inolitæ*

D. Ioannes Chryſoſt.

Illustre testimonium D. Ambrosij de timore Saluatoris.

potius à principio, quam susceptæ ad tempus infirmitatis inclinant, & naturalis sensum cupiunt retorquere sententiæ. Ego autem excusandum non puto, sed etiam nusquàm magis pietatem eius, maiestatemq; demiror. Minus enim contulerat mihi, nisi meum suscepisset affectum. Ergò pro me doluit, qui pro se nihil habuit, quod doleret, & sequestrata delectatione diuinitatis æternæ tædio meæ infirmitatis afficitur. Suscepit enim tristitiam meam, vt mihi suam lætitiam largiretur, & vestigijs nostris descendit vsq; ad mortis ærumnam, vt nos suis vestigijs reuocaret ad vitam. Confidenter enim tristitiam nomino, quia crucem prædico; nec enim speciem incarnationis suscepit, sed veritatem; debuit ergo, & dolorem suscipere, vt vinceret tristitiam, non excluderet. Nec enim habent fortitudinis laudem, qui stuporem magis vulnerum tulerint, quam dolorem. Hactenus ex D. Ambrosio. Sed & Beatus Hieronymus in ijsdem commentarijs, in quibus recitatam opinionem tradiderat, Christi Dominiorationem ponderans, hæc quæ mirificè Christi timorem mortis intuitu susceptum astruunt, subdidit: *Attamen reuertens in semet ipsum, quòd ex hominis persona trepidanter renuerat, ex Dei filij persona confirmat. Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu; Non, inquit, hoc fiat, quod humano affectu loquor, sed propter quod aduersus tua voluntate descendi.* Et ecce quàm clarè in timorem mortis humana fragilitate actum incidisse Saluatorem, fatetur Hieronymus illis verbis, *quod ex hominis persona trepidãter renuerat &c.*

D. Hieronymus.

Quid sit timor.

Est prætereà aduertendum, si timoris naturam spectemus, esse timorem, vt auctor est Aristoteles libro. 2. Rethoricorum cap. 7., frigiditatem quandam, cuius illa

quidem,

quidem, ac precipua vis est, vt non modo adstringat, atq; constipet sanguinem, verùm etiam eundem humorem impellendo ad cor agitet, ex quo oriri solet subitus in vultu timentis pallor; propterea quod superiores hominis partes sanguine destituantur. Porrò autem nouus ille sanguinis concursus interioris trepidantis partes, precipuè tamen cor mirum in modum accedit, ac inflammat; immò concepta in visceribus, ac precordijs flamma eo acrior, ac maior euadere solet, quo timentium corpora, humanosq; sensus diuturnior, grauioq; timoris molestia frangit, perdurante siquidem timore non solùm metuentis precordia connaturalem sanguinis sui calorem experiuntur, sed etiam aduentitio sanguinis ad ima properantis calore confouentur; ex quo fit, vt non possint non mirabiliter accendi. Verùm aliunde etiam cõcitus in precordijs, velut igneus vigor, sanguinis restus crescit, atq; augetur; nam cum frigus ex nictu progenitum certo, ac potenti sit impedimento, nè communis sanguis ad solita naturæ receptacula reuertatur, ratione eius contrarietatis, & oppositionis, quam Philosophi concentrationem appellant, magis, ac magis inclusus sanguinis vigor, vires, suas hominem inflammabiles excitat; quippe cum vnius sanguinis calor fortior esse consueuerit. Auctam inde tam vehementi vulgus sententia, dore, cuius efficientis duplicis concurrit [illegible]

Sed in animante nostro non hic fuit exursionis sanguinis finis, nec hactenus cordis contineri potuit ardor, verùm longè grauius habuit incrementum, ex quo diuturno ardoris horum dolore, veteri; flammæ noua, ac recens virtutis flammula addita est. Atq; eam

esse

esse potuit postrema Assertoris flamma ? Nempé ea quàm ex angelica consolatione afflicta Mediatoris natura hausit; nam cum duarum, vel trium fermè horarum spatio torpore metus, ac tristitię oppressa quodam modo iacerent Saluatoris nostri membra, ea mox, vbi confortatrix speties Angelica timenti Christo affulsit, tantum roboris, tantumq́, insolitę cuiusdam virtutis nacta sunt, vt ab illis protinus torpor omnis excesserit, ob summum videlicet naturalis Christi corporeæ virtutis, ac vltimum conatum, qui quoniam instar ardentissimi se habebat incendij ob excitatos, ac commotos omnes vitales, atq́; animales spiritus, doloris, ac metus vires non modo fregit, verùm etiam planè de medio sustulit.

Quid ex Angelico conspectu Christus acquisierit.

Illud tandem sciendum est, plures causas ad eundem effectum producendum sæpissimè exigi posse, quamuis in illis omnibus non omninò idem, ac similis concursus requiratur; quędam enim remotè, seu mediatè tantùm; quędam vero non remotè, sed proximè, ac mediatè ad substantiam, seu naturam rei efficiendę concurrunt; vt illustrissimis exemplis explicari posset, ni ea vnicuiq́; Philosophię studioso, clara, ac passim in scholis obuia essent. Sicuti nobis in pręsens res ista clarissima redditur, vt contemplari licet in hoc ipso Assertoris nostri sudore, cuius efficientiæ duplicis generis causæ pręfuerũt, alię remotę videlicet, aliæ proximę, & remota quidem sanguinei sudoris causa timor mortis fuit, proxima verò sanguineus calor circa cor Christi ebulliens, ac vigor ille acerrimus, quem ad aspectũ Angeli corporæ Saluatoris vires excitarunt. His igitur constitutis.

Duplicis generis causa sanguineũ sudorem operata sit

Nos

Nos breuiſsimè dicamus, proximam ſudoris ſanguinei cauſam conijciendam eſſe in maximum ardorem, vel flagrantiſſimum incendium, cùm ex metu, tùm ex confortatione Angelica, atq; ex commotis, acenſisque totius corporis Chriſti igniculis profectum; hac enim flamma tota in Chriſti præcordijs collecta ſanguinis copia adeò feruida, atq; ebulliens facta eſt, vt illa eadem protinus non ſolùm ex metu contractum obicem, quo ſanguis impediebatur, ne ad partes corporis ſibi à natura tributas rurſus abiret, diſſoluit, ſed etiam iam diu obſtructos venarum, & carnis ſuperinfuſo metus frigore patentes porros reddiderit, ex quo nulla mora actus vi tanta ſanguis ex omnibus Corporis Chriſti partibus emicuit; Nam cum mutua altercatione hinc metus Saluatoris ſanguinem cõſtipare, & indè calor extenuare attentarent, vicit tandem, qua erat ſuperiori, ac robuſtiori virtute, ſanguinis æſtus, atq; extincto penitus metu ad exoptata diù venarum domicilia proſilijt, quæ vt inſolitam, ac abundantiorem efferueſcentis ſanguinis virtutem concepere, ſtatim patuerunt, atque mixtum cum ſudore ſanguinem effuderunt; ex nimia ſiquidem efferueſcẽtia, ac ebullitione ſanguis ille tenuiſſimam naturam eſt adeptus, quę ad ſe ſe diffundendum non modò apta erat, ſed etiam a raritate, miraq; ſubtili corporis Chriſti conſtructione adiuuabatur. Enim verò licet clarum huiuſce rei exemplum ex omni parte ſimile haud queat reperiri, non obſcurum tamen veſtigium cernitur in ijs, qui niues pertractare ſolent, quorũ manus in primis valido frigore offenſæ, moxq; calore ſanguinis, ac ſpirituum auxilio roboratæ conceptam prius

Prima opinio.

Veſtigium aliquod opinionis explicata.

prius frigoris rabiem sic expellũt, vt ex frigidissimis feruentissimæ euadant, & ignitæ penitus videantur.

Obiectio. At inquies, cum ex manibus pertractantium niues ne minimum quidem non modò sanguinis, sed nec ét humidi excrementi effluat, certò conijci põt sudorẽ Xpi sanguineum, ac illud quod exempli loco ad rem nostrã quoquomodo declarandam produximus, ex vno, & eodem proficisci non posse principio; secus enim non minus in allato casu, quàm in Mediatore nostro sanguinis sudor esset concedendus, quin immò etiam in grauissimo metu perterritis hominibus prodigiosus liquor accideret, cuius rei oppositum quotidiana docet experientia. At iam lubens testatus sum, non omnem *Responsio.* simile illud in se continere similitudinem, ob idq; nulli mirum videri debet, si ex manibus niuem volutantium sanguis non erumpat, maximè cum alias dixerim, cur alij vel timentes, vel quoquomodo perturbati sanguinem minimè fundant. Præterea plures addi, ac assignari causæ possunt, cur Christo, nõ autem his accidat sanguinis eruptio; etenim multò maior sanguinis copia in Assertore commota fuerat, ac proindè feruentior æstus; deindè delicatior, ac nobilior corporis dominici habitus. Ad hæc tenuior, ac subtilior sanguinis Christi substantia. Et tandem ille animi, totiusq; corporis feruor, ac contentio vehementissima timenti Christo fuerunt. In his autem, de quibus in exemplo sermo est, non tanta commoti sanguinis copia, non tantùm incundium, non adeò insignis corporis compositio, sed ignobilior, ac crassior corporis, & sanguinis substantia, ac denique nulla animi, modicaq; corporis impellens

Quantum differimen esset inter corpus Christi, & aliorum hominum.

virtus

virtus esse potuerunt.

Superesset postremò fusius explicandum à calore tenuitatem sanguinis peragi posse, nisi obtutu ipso in re non dissimillima istud cerneretur, nempè in aqua, quæ ignis ardore affecta, adeò tenuis redditur, vt non aquæ elementaris, sed potius rarissimi aeris speciem repræsentet.

Qui in ijs etiam quæstionibus, quę ad fidei Catholicę regulam non spectant, vellet sanctorum Patrum dicta non modò reuereri, ac diligenter obseruare, verùm insuper religiosè sequi; (quamquam nulla cuipiam incumbat istud obseruandi necessitas, in ijs præcipuè quæstionibus, quæ salua fide in contrarias partes laudabiliter agitabantur, cuiusmodi est præsens exorta disputatio); posset non adeò violentè, atq; extortè Patres, quorum sentẽtias de sanguinei sudoris causa attulimus, ad nostram opinionem piè interpretari, ac docere Sanctos Anselmum, Cyprianum, Bernardum, & reliquos omnes, qui effectricem sanguinei sudoris causam mortis timori adscribunt, de remoto duntaxat sudoris principio, ac causa mediata fuisse locutos; & ex aduerso D. Hieronymum, & Chrysostomum, qui orationis conatum, ac feruorem sanguinis causam esse docuerunt, de proximo, seu immediato sudoris principio verba fecisse; arbitrari enim duos hosce Patres orationis vehementissimę vocabulo eas omnes causas proximas, quæ ad sanguinei sudoris opificium concurrerunt, comprehendisse, fortè non omninò videtur inconueniens; de quo tamen haud pugnarim, si quis contendat oppositum.

Cum opinione Auctoris conciliari possunt sanctorum Patrum sententia.

CAP. V.

Diluuntur obiectæ difficultates.

NVnc pro clauſula totius huiuſce diſputationis de vero ſanguinei ſudoris principio diſſoluamus ea dubia, quæ militant contrà eorum opinionem, quibus à timore Saluatoris profectum eſſe ſudorem ſanguinis, viſum eſt; quod opus videtur concluſionis noſtræ claritati planè neceſſarium, nam eæ argumentationes non modò probare videntur, timorem, quo Chriſtus afficiebatur, non fuiſſe proximam, verùm etiam nullo modo remotam cauſam, quod aſſertioni noſtrę aduerſatur. Et primam quidem refellere promptiſſimum erit, ſi dicamus, intelligi poſſe bifariam, ex timore Chriſti certum colligi dimiſſi animi argumentum; vel .n. timor mortis nulla iuſta de cauſa, ſed potius leui occaſione; vel certè ex graui, certoq; propriæ incolumitatis periculo conſurgit. Qui accepto, priori in ſenſu, timore concutitur, is dubio procul debitę fortitudinis virtuti derogat, ac meritò ſanè illi vitio vertendus eſt timor; at aliud omninò debet eſſe vniuſcuiusq; prudentis iudicium de eo, qui truci crudeliſſimę mortis iàm iàm imminẽtis vultu cõcutitur, horret, atq; expalleſcit. Chriſtus autem Dominus non temerè, ſed agnito, penitusq; perſpecto ignominioſiſſimæ mortis ſibi paratæ diſcrimine, timore valido iactabatur. Neq; verò in Saluatoris mœrore ea animi magnitudo deſiderabatur, q̃ idem ipſe Mediator noſter ex alijs expetebat, docens non eſſe timendum ab eis, qui corpori necem duntaxat

inferre

inferre poſſunt, ſed eum potius timendum, qui poteſtate pollet animam ſempiternis addicēdi ſupplicijs; quandoquidem non eò ſpectabāt Saluatoris noſtri ſententię, vt ijs doceret, nullo modo homini mortis periculum ſic eſſe formidandum, vt obiecto quouis mortis diſcrimine, ab humanis mentibus repellēdus eſſet mortis timor; ſed tantummodo nobis prohibet eam formidinem, qua & mens à recto abducitur, & totus homo à tramite virtutum aberrat.

Germanus cēſus illius loci Nolite timere eos, qui occidit corpus.

Animi porrò Saluatoris alacritas, qua munitus milites, & carnifices, quos maximè declinare poterat, interpellauit, ſpontè profeſſus ſe eum ipſum eſſe, quem percito furore ad necem conquirebant, minimè tollit, quominus iam anteà vehemens horror mortis Chriſtum ipſum inuaſiſſet; ad cuius rei notitiam oportet meminiſſe, eam, quam Saluator coram perſecutoribus animi magnitudinem præ ſe tulit, in eodem Domino fuiſſe poſt fugatas duntaxat mortis ſuæ imagines, velut ex certiſſimo Sacræ Hiſtoriæ contextu liquidò cernitur.

Illud etiam facilè eſt, quod ſecūdo loco obijciebatur. Etenim Chriſtus Dominus nulla animi, aut corporis virium imbecillitate timoris fluctibus agitabatur, poterat enim, ſi voluiſſet, excelſa animi magnitudine, & æquiſſimo ſentientis facultatis aſſenſu truces mortis ignominioſiſſimæ minas ſuſtinere, vti Socrates, & pleriq; Romanorum duces feciſſe leguntur; verùm quia aduerſus notę temeritatis, & arrogantię hęreticos, ex timore Chriſti fidei noſtræ Sacramenta mirificè conſolidabantur, vt Patres tradunt aſſerentes, vel hinc maximè incarnati verbi, ac humanæ naturæ veritatem elu-

cere, propterea alto diuinæ Maiestatis consilio factum est, vt id doloris senserit Christus, quod plerique mortalium non infimi ad aspectum mortis experti non sunt. Quamquam aliud dari potest responsum sine dubio verissimum. Puri hominis sensus, immò quotquot reperiuntur in illo corporis, & animi vires, sic perbellè cõcinnatę sunt, vt & altera alteri pręstò sit, & alia in aliã adeò opportunum influxum prębeat, vt vehementior minus vehementem, & superior inferiorem non solùm obruant, verùm etiam proprias earum operationes impediant; siuè superior, ac potentior hominis affectio ex metu, siuè ex lætitia, siuè ex quacunq; alia re proueniat. Hinc est, (si huiusce rei petatur exemplum,) vt vehementissimus dentium dolor, hominem adeò exanimet, vt omnes cæterarum potestatum operationes impeditę atq; obrutæ penitus videantur; hinc q; pariter oritur, vt vel sola intentissimę mentis contemplatio tantæ soleat esse efficacitatis, vt eius vsu homines quidam, etsi delicatissimis cibis vescantur, nullam tamen ciborum suauitatem sentiant; hinc tandem proficiscitur, vt plerique mortalium profundis cogitationibus agitati plerumq; ante se transeuntes non agnoscant, non intueantur, hæreant, ac si mente captiessent; & quod præcipuũ est, nec vehementissimo admoto ignis ardore excitari possint; qua de re lectori aperire libet eximiam cuiusdam Præsbyteri historiam, quam Beatus Augustinus libro decimo quarto de Ciuitate Dei cap. 24. narrat in hunc modum.

Qui sit consensus virtũ hominis, tùm animi, tùm corporis.

Admirãda cuiusdam Præsbyteri historia.

Præsbyter fuit quidam nomine Restitutus in Paræcia Calamensis Ecclesiæ, qui quando ei placębat, rogabatur autem,

vt

vt hoc faceret ab eis, qui rem mirabilem coram scire cupiebant, admiratus, quasi lamentantis cuiuslibet hominis voces, ita se auferebat à sensibus, & iacebat simillimus mortuo, vt non solum vellicantes, atq; pungentes minimè sentiret, sed aliquãdo etiam igne vreretur admoto sine vllo doloris sensu; nisi postmodum ex vulnere, non autem obnitendo, sed non sentiendo non mouere corpus eo probabatur, quod tamquàm in defuncto nullus inueniebatur anhelitus; hominum tamen voces, si clariùs loquerentur, tamquam de longinquo se audisse referebat. Ea erat illius Præsbyteri appræhensionis virtus; cui si minus æqualem, quod non accidit, certè non prorsus absimilem vnusquisq; hominum in se animi, corporis, ac sensuum potestatem dominari experitur. Quoniam igitur, vt ad rem nostram reuertar, naturali sensuum virtute non dissimillima prçstantissimorum illorum inuictæ fortitudinis virorum animi mouebantur, fiebat, vt contempta mortis sæuitia omnes animi vires ad stabiliendam suorum exercituum incolumitatem intenderent, atq; in hac vna spe, & cogitatione ita toti defixi tenerentur, vt hac sola spe illecti, ac fallaci nudæ cuiusdam fortitudinis ostentatione commoti, cũ sanguine propriam vitam profundere glorioſissimum opus fore arbitrarentur; tantùm apud eos prçconcepta propriæ fortitudinis laus, vel exoptata victoria valebãt. Sed quid mirum; si apparẽtis duntaxat boni specie falsi spectata alioqui uirtute uiri, his in rebus situm esse summi boni prçmium allucinarentur, quibus ignota erat sempiternæ felicitatis ratio; quid, inquam, mirum esse debet, vltimum hominis finem ignorantes Duces in fictam beatitatem in præceps sic latos esse, vt mala pro bonis,

Cur nõnulli Romanorum Duces hilari animo in mortem ruerẽt.

bonis, dolores pro lętitia, extremos cruciatus pro delicijs, ac mortem deniq; ipsam pro exoptatissima vita complecterentur? At in Mediatore nostro longè alia, & dispar ratio fuit, quippequi alio, ac sublimiori ordine dispositas habuit animi sui, ac corporis virtutes; sicut.n. corpus Christi opus erat planè diuinum, & à solo spiritu diuino architectatum, sic superna quadam dispositione congruentes erant inter se inuicem illius facultates, vt neq; à lætitia dolor, neq; à mœrore gaudium lęderentur, neq; summa, ac efficacior virtus corporis, aut animi, infimam, aut imbecilliorem, neq; mediocris tenuem, neq; ęqualis parem obruerent; sed quælibet illarum omni secluſa perturbatione munere proprio perfectè fungebatur. Hinc ergò quoniam humana infirmitas naturali impulsu ad mortis aspectum subito metu perterrita est, propterea Christus Dominus, cuius virtutes à proprijs operationibus nullo modo impediebantur, mori detrectauit, metuit, ac non mediocriter cõtristatus est; maximè cum in eum nulla, vel minima cadere posset ignoratio.

Quod autem tertio loco opponebatur, fore, vt Christi Domini charitas ex metu mortis esset imminuta, diluere facile est; verius si quidem, ac satius dixissent talia obijciẽtes ob mortis timorem, & magis auctam, & nobis etiam clarius declaratam fuisse Assertoris nostri charitatem, qui abdicata à se penitus formidine mortis, impellente ad hoc ipsum amore, vitã pro peccatoribus profundere lubenti, alacriq; animo sic gestiebat, vt non dubitarit ipse cadere in interitum, quo nos ab interitu reuocaret.

Quæ

Quæ hactenus allata ſunt quartam argumentationem ſatis declarant. Quamquam apertiori fortaſſe via, & ratione refelli põt. Etenim hi Saluatoris milites, quibus mors, vel teterrima nullius erat moleſtiæ, aut tormenta mortis Deo ſic adiuuante non meditabantur, aut profectò claram, diſtinctam, atq; euidentem cruciatus mortis perferendę cognitionem non habebant; at ſecùs planè Chriſtus Dominus non modò diuina ſcientiæ, verùm etiam perſpicaciſſimi intellectus acumine ſic futura tormenta clarè intuebatur, ac cum eidem Aſſertori ſęua militum feritate illata ſunt, crudeliſſima experiebatur. Porrò ex hac limpidiſſima tormentorum cognitione, qua noſter Mediator inſtructus erat, multò facilius in timorem mortis ducebatur, quam ex confuſa ſuppliciorum cognitione in metum mortis trahi poſſent martyres. Adijce prętereà Martyrum mentes adeò abundanti cœleſtis iucunditatis rore à Deo conſueuiſſe irrigari, vt mortis futuræ meditatio, ac notitia nõ eis metum incuterent, ſed potiùs certiſſimã perennis gaudij prębęrent occaſionem. Ex aduerſo autem Xps Dominus, etſi eſſet Deus totius conſolationis, tamen ita diuinę lętitiæ lucem, ne in humanam naturam dimanaret, cohibuit, vt per id temporis fuerit expers totius conſolationis, quemadmodum viua voce clamauit dicens, *Deus, Deus meus, quare me dereliquiſti?* Si igitur ſolus patiens Ieſus paſſionis tempore omni prorſus auxilio fuit deſtitutus, quę quęſo poterit eſſe admirationis cauſa, ſi etiam ſolus grauiſſimos mortis aculeos horruit?

Martyres cur tormẽta deſpicerent.

Chriſtus qua ratione dicatur fuiſſe à Deo derelictus.

Ad vltimam argumentationem, quæ ex timore, ac męſti-

Prima reſpondendi ratio.

mœstitia eruitur, non est vna, ac simplex doctorum responsio. Reperiuntur enim, qui difficultati putent esse satisfactum, si dicatur, sudorem sanguinis effici potuisse virtute timoris ex tristitia, & dolore insurgẽtis, si tam vehementes sint tristitia, & afflictio, vt timentis corpus concutiant, ac inflamment; tunc enim, inquiunt isti, ex perturbatione illa potest attenuari sanguis, nec non etiã ex apertis carnis Christi porris eadem violentia actus
Cõfutatio. emanare. Sed horum non videtur approbanda responsio, nam si Philosophica subtilitate rem hanc perpendamus, tantum abest, vt ex metu, & timore prouenientes angor, & afflictio corpus inflammare possint, vt ex oppositio verius in eodem frigidas qualitates excitent, ex quibus consurgit pallor, quem in pauentium vultu legimus, etenim cum afflictio illa suas radices ex metu trahat, sitq; metus, vt iam est explicatum, frigus quoddam in corpore subitò exoriens, profectò si effectus causæ propriæ naturam, & affectiones imitari debet, frigidam ex metu qualitatem, qua velut subito gelu torpere corpus, ac præcludi foramina carnis consueuerunt, non verò calorem generari, dicamus necesse
Secũda responsio. est. Alijs placet respondere Mediatorem nostrum à se ipso abdicasse naturalem hanc consolationem, per quã naturali propensione timentis cor in subsidium è omnibus membris sangninem ad se vocat, sicq; docent isti auctores, sanguinem ad cor timentis Christi non
Cõfutatio. confluxisse, vt hinc grauior euaderet mortis cruciatus. Verùm haud scio, explicandæ ne magis, an declinandæ potiùs difficultatis gratia efformata sit talis responsio. Quorsum enim ad rem ostendendam naturæ principijs

con-

congruentem, confugere opus est ad miracula, quæ nõ nisi graui de causa, & vbi nulla alia naturalis ratio suppetit, cõcedenda esse docet omnis Theologorum cętus? Neque enim citrà miraculum detineri potuit sanguis, quin celeri cursu ad cor Christi confouendum properaret; atqui nos hactenus latissimè probauimus omnia, quę in hoc ipso sanguinei sudoris negotio euenerunt, iuxtà vsitatam naturæ consuetudinem accidisse. Quid? si istud cõcedatur nouo miraculo protinus nouũ addendum erit miraculum, nam vt se proderet sanguis, noua miraculosa virtus efflagitabatur, quandoquidem cętęrę Christi naturæ vires haud suffeciissent ad pellendum è venis sanguinem, quoniam hæ defuissent effectrices sudoris causæ, quas Dominum ad sanguinis fluxionem prouocasse vidimus. Neq; verò audienda est responsio eorum, qui vi timoris, & tristitiæ ad cor Saluatoris decurrisse sanguinem concedunt, sed tamen virtute amoris, & obedientiæ eundem sanguinem ad extremas humanæ Christi naturæ partes rursus fuisse repulsum, ficq; è porris dimanasse, dicunt. Quoniam hinc consequens foret Assertorem nostrum sub timoris initium sanguineo sudore protinus maduisse, quod tamen Euangelicæ narrationi aduersatur. Deinde nec amoris munus, nec obedientiæ eiusmodi virtus est, vt sanguinem ad extremam vsq; Saluatoris nostri cutim propulsare valeant, sed maior, ac robustior ad impulsũ hunc peragendum vis requiritur. Prætereà ad summũ, si quid virtutis, & efficientiæ commoto sanguini contulissent amor, & obedientia, id dubio procul remotum extitisset efficiens principium, ea prorsus ratione, qua

Tertia solutio.

Refutatio.

ſuperius declaratum eſt. Quare opinioni iam explicatæ adhærentes dicimus timoris quidem proprium eſſe, ad cor vocare ſanguinem, ideoq; cauſam proximam pellendi ſudoris nõ eſſe timori accenſendam, ſed potius ijs ipſis cauſis, de quibus latè ſermonem anteà fecimus.

DISPVTATIO OCTAVA.

De fine ſudoris ſanguinei.

CAP. I.

Cur Chriſtus Dominus ſudore ſanguineo perfundi voluerit.

SED quærat pius Lector, cur ſanguinis grumos profundere voluerit, qui ad mortalitatem redimendam Virginis vterum eſt ingreſſus; nam cum ſcriptura dicat factum eſſe ſudorem Chriſti, ſicut guttas ſanguinis, non eſt profectò arbitrandum temerè, ſed potius ad magna religionis noſtræ Sacramenta declaranda inuſitatum ſanguinis ſudorem Chriſtum dediſſe. Princeps ratio fuit, vt hoc facinore emittendi ſanguinem Chriſtianæ pietatis profeſſores omni penitus hæſitatione ſublata hæreticorum blaſphæmijs aures occludere poſſent; nam cum, vti Ioãnes Apoſtolus primum omnium monuit epiſtola ſecunda, *exiſſent in mundum, qui non confitebantur Ieſum Chriſtum veniſſe in carnẽ*, propterea Saluator noſter diluí voluit hoc ſudore, quo maximè humanæ naturæ veritas, & corporalis cõſtructio

Prima ratio.

Ioannis Apoſt. epi. 2.

ſtructio oſtenditur, vt hos ſeductores conuincere, immò exſibilare poſſet fidelis hominum cætus; neque enim is talem ſanguinis ſudorem edere poteſt, qui fictitijs tantùm, ſimulatisq; membris conſtat. Hanc cauſam cùm plurimi Patrum, & Theologorum, tùm in primis Beda docuit in commentarijs ſuper illo D. Lucæ loco, *& factus eſt ſudor eius &c.* ad hunc modum ſcribens. *Nemo ſudorem infirmitati deputet, quia & contrà naturam eſt ſudare ſanguinem, nec ad hæreſim infirmitatis pertinere vllo modo potuit, quod aduerſus hæreſim phantaſma mentientem profuit per ſudorem ſanguinis ad corporis veritatem.* Quam eãdem Catholicæ veritatis ſententiam multo tempore ante Bedam ijſdem planè verbis aſſecutus eſt D. Hilarius hæreſum intrepidus oppugnator libr. 10. de Trinitate circà medium. *Neq; ad hæreſim infirmitatis*, inquit Hilarius, *pertinere vllo modo poterit, quod aduerſus hæreſim phantaſma mentientem profuit per ſudorem ſanguinis ad corporis veritatem.* Sed Diuus etiam Ireneus in opere ſuo aduerſus hęreſes cap. 32. hęc in eandem ſententiam prodidit. *Nec ſudaſſet globos ſanguinis; nec dixiſſet quod triſtis eſt anima mea &c. ſi ſcilicet Chriſtus carnem de Virgine non accepiſſet*; cuius ſententia nihil virium, aut roboris haberet, ſi ſanguinis guttæ certum, ac indubitatũ non forent aſſumptæ à Verbo naturæ humanæ argumentum.

Beda in Luc. 6. 22.

D. Hilar. 10. de Trinit.

D. Ireneus cap. 22.

Secunda ratio fuit; vt oſtenderet ſe veras ęterno Patri preces fudiſſe; ne videlicet aſperſa hypocriſis labe ijs videretur oratio, qui grauiſſimis conſidentem Chriſtũ à dextris Dei etiam nunc laceſsunt iniurijs.

Secũda ratio.

Tertia ratio. Ne quis duram illam animi, & corpo-

Tertia ratio.

ris anxietatem, cuius ęstu humana Saluatoris natura abripiebatur passionis tempore, simulatam duntaxat timoris spetiẽ re ipsa fuisse criminaretur, & ideò decuit Assertorem nostrum sanguineo sudore perfundi; Duas hasce rationes enucleatè, ac luculenter tractat meritissimus diuinę eloquentię parens Ioannes Chrysostomus homilia 84. in 26. cap. Matthęi historię ad hunc modũ de fine sanguinei sudoris loquens. *Ipse verò intentius orabat adeò, vt vel sudores vberius defluxerint. Ea rursus de causa, ne hypocrisis res ista videretur; ne ve possent hæretici dicere, quod anxietatem, & tristitiam illam simulauerit, idcircò, & sudores quasi guttæ sanguinis defluxerunt, & Angelus confortans eum, & multa signa timoris apparuerunt, ne quis ficta hæc audeat dicere, hac enim de causa orat;* & paucis interiectis talia in eãdem sententiam subnectit. *Quandoquidem non satis est imperitis mærentis faciem solummodò videre, verba quoq; addidit; nec verba rursum sufficerunt amentibus rem magis quærentibus; & rem ergò mærentis adhibuit, vt vel qui valdè contentiosi, & pertinaces sũt, credere possent verè hominem factum, vereq; mortuum fuisse.* Hactenus Chrysostomus, cuius postrema verba non modò id, quod in secunda, & tertia ratione commemoratum est, sed etiam quod prima ratio docebat, apertissimè astruunt, atq; confirmant. Ex quo Beati Ioannis Chrysostomi testimonio, vt hoc quoque quod aliàs pollicitus sum, obiter moneam, dilucidè colligitur, iuxta huius Sanctissimi Patris doctrinam Christum Dominum non solum non simulasse, sed etiam naturalem tristitiam habuisse, cum orationi vacaret; quamuis alibi idem Doctor egregius aliter & sensisse, & docuisse videatur.

D. Io. Chrysost. hom. 84.

Quarta

Quarta ratio, quæ affinis admodum, & ſimillima eſt iam recitatis Sanctorum Patrum rationibus, afferri põt ex Beato Anſelmo cuius hæc ſunt verba ſermone de Paſſione Domini. *Anguſtias cordis tui, dulciſſime, certiſſimè indicabat ſudor ille ſanguineus, qui orationis tẽpore de sãctiſſima carne guttatim decurrebat in terrã,* & mox, *naturalem,* inquit, *carnis tuæ infirmitatem huiuſcemodi indicijs expreſſiſti, quibus docemur, quia verè lãguores noſtros portaſti.* *Quarta ratio.* *Anſelmus ſermone de Paſſione domini.*

Quinta ratio. Sanguineus ſudor certo fuit nobis mortalibus, ne dùm indicio, verùm etiam teſtimonio, Aſſertorem noſtrum precationis ſuæ exoptatiſſimum finem ab Æterno Patre obtinuiſſe. In cuius rei gratiam, ac notitiam, illud ſedulò cogitandum eſt, ſalutis noſtrę Redemptorem, qui, vt inquit Apoſtolus, *in diebus carnis ſuæ preces, ſupplicationesq; ad eum, qui poſſet illum ſaluum facere à morte, cum clamore valido, & lachrymis offerens exauditus eſt pro ſua reuerentia*; recolendum inquam eſt, Mediatorem Ieſum duntaxat non rogaſſe, vt ab eo trãſiret calix nimium amarę mortis, quod illi conceſſum non fuit, ſed inſuper plura alia ijſdem ipſis lachrymis orationis tempore profuſis poſtulaſſe, & nobilior quidem alijs ea petitio fuit, qua, vt Æterni patris voluntati eſſet planè ſatisfactum rogauit; tùm proximè ea alia petitio eſt ſubſequuta, qua enixè precatus eſt, vt diſcipulorum ſuorum fides, quę adhùc per humanam imbecillitatem firmis nequaquàm fulciebatur radicibus, ſanguine ſuo purgata, & omnibus terrenæ fragilitatis incommodis libera redderetur; quæ vbi obtinuit, cœpit protinus abundantes cruoris ſui riuos effundere, vt hoc ſanguinis pignore obtẽtum precationis ſuæ finem *Quinta ratio.* *Ad Rom. cap 5.*

decla-

declararet mortalibus tanti myſterij cognitione carentibus. Totum iſtud, ne inane, & vacuum cuipiam fortaſsè videatur, grauiſſimo Venerabilis Bedæ teſtimonio ſtatui eſſe confirmandum. Etenim cum loco ſupra citato hęreticorum errores profligaſſet, qui ex ſudore Xp̃i perualidum, vt ſibi videbantur, telum arripiebant, ad diuinitatem Saluatoris impugnandam; mox quid ſanguineus Chriſti ſudor verè ſignificaret, prodidit his verbis. *Sed potiùs intelligat per irrigatam, ſacratamq; eius sã-guine terram non ſibi, qui nouerat, ſed nobis apertè declaratũ, quod effectum iam ſuæ precis obtineret, vt fidem videlicet diſcipulorum, quam terrena adhùc fragilitas arguebat ſuo ſanguine purgaret.* Hactenus ex Beda.

Beda in Luc. c. 22.

Sexta ratio.

Sed hiſce ſextum ſanguinei ſudoris myſterium, qđ ritè ex humana reparatione haberi poteſt. Nam cum tota Protoparentis Adæ filiorum multiplicitas poſt amiſſam ſtatus innocentiæ felicitatem, in qua primi parentes breuiſſimo tempore fuerunt, in infinitas propemodum miſerias eſſet delapſa, ex quibus vitiatam, atq; corruptam vndequaq; naturam contraxit non in ſuperiori dũtaxat hominis parte, quæ fuit Deo rebellis, ſed etiam in inferiori, cuius iraſcibilis, atq; concupiſcibilis appetitus rectæ rationi obtemperare nolebant; Cumq; ex altera parte vellet ſummus omnium opifex Deus creaturam in cęcis peccatorum tenebris ſe volutãtem à tam infelici, ac miſero deprauatę, turbatæq; mentis imperiò, atq; interitu reuocare, ne in æternum orbaretur ijs conſumatæ beatitudinis conſolationibus, ob quas à Deo condita erat; Statuit Chriſtus humanæ ſalutis reparator ſub paſſionis initium abolere peccati

macubas

maculas ijs remedijs, quibus tota Adæ poſteritas infici ſolet; quia igitur originalis labes ex traduce carnis, & ſanguinis in humanum genus ſubrepſit; propterea Xp̃s Dominus, vt excellentiori modo originali culpæ, atq; communibus ſanguinis humani incommodis opportunũ ferret auxilium, ſanguineo ſudore ex omnibus corporis partibus diſtillante madere voluit, ex quo perfecta, & abſoluta totius humanę naturæ ſanitas orta eſt. Quemadmodum piè, ac diſertè philoſophatur Sanctus Bernardus tom. 1. de Paſſione Domini cap. 37., in quo poſteaquã multa de hoc diuino Aſſertoris noſtri cruore dixerat, mox quam ob cauſam totus rubicundus fieri voluerit, pijs ſanè, atque elegantiſſimis hiſce verbis declarauit. *Nec vacat à myſterio iſta ſanguinis Ieſu effuſio generalis; ſudauit enim toto corpore ſanguinem, qui noſtras venerat tollere infirmitates ex corpore noſtro, & ſanguine cõtractas, vt ad conualeſcentiam, & ſanitatem totius corporis, ſpiritualisque Eccleſiæ ſufficeret ſudor ſanguineus ab omni parte corporis; capitis ſcilicet noſtri Domini Ieſu Chriſti effuſus. Liberati ergò ſumus de ſanguinibus; Deo gratia ſit auctori ſalutis noſtræ benigno Ieſu, qui ſuum pro nobis ſanguinem liberaliſſimè effudit.*

D. Bernardus de paſſione Domini cap. 37.

Nec infimum myſterij locum tenet ſeptima cauſa, quam Beati Auguſtinus, Proſper, Bernardus, pluresq; alij Patres proſequũtur. Erat ſiquidem admirabilis hęc ſanguinei ſudoris profuſio iuxtà horum Patrum ſentẽtiam manifeſta ſimilitudo eius ſanguinis, quem ex toto fidelium cętu ſtrenuiſſimi martyres vera magiſtri, ac ducis ſui veſtigia ſequentes, in apertum Chriſti, atque Doctrinæ Chriſtianę teſtimonium effuſuri erant. *Vel*

Septima ratio.

hoc,

D. Bernardus de Passione Domini cap 37. hoc, inquit Bernardus, *significabat sudor sanguineus à toto corpore capitis nostri effusus, quia in toto corpore suo spirituali, quod est Ecclesia, sanguis martyrum erat effundendus, & Ecclesia rubicanda.* Similia habent Augustinus enarratione

Sent. 68. versus illius psal. 142. *Eripe me de inimicis.* & Prosper in ijs sententijs, quas ex Augustini doctrina decerpsit.

Octaua ratio. D. Bonauentura. Octauam effusi sanguinis rationem petere possumus ex D. Bonauentura, qui in explanationibus editis in capit. 22. Lucę docet, propterea Christum sanguineo sudore abundasse, vt humanis mẽtibus innueret in cuiusnam vtilitatem oratio feruentissima Deo exhiberetur. *Ideo enim*, inquit Bonauentura, *sanguis decurrebat in terrã, ad ostendendum, quòd pro Ecclesia orabat, & pro illa effundere sanguinem suum cupiebat.*

Nona rõ. Arboreus. Nono loco sanguinei sudoris rationem enarrat Ioannes Arboreus eo, de quo sæpiùs locuti sumus, D. Lucæ loco, in hunc morem. *Et quòd Angelus confortarit Christum, & emiserit Christus sudorem sanguineum insignia sũt humanæ infirmitatis argumenta, fluentem sudorem distillauit, & collegit secum riuos sanguinis præludendo ad illum sanguinem, quem pro remissione peccatorum erat effusurus.*

Sanguinei sudoris effusione meruit Christus. Verùm hæc Arborei opinio non mihi planè arridet. Nam etsi rectissimè fateatur, sudorem Christi non obscurum humanæ imbecillitatis, atq; infirmitatis fuisse documentum, velut hoc idem plures patrum sunt opinati; quod subdit tamen censuram Theologorum impunè prętereire non potest, si, (quemadmodum illius verba indicant) censeat Arboreus, effusum sanguinis sudorem ad crimina peccatorum abolenda non inseruisse; nam ita effusus in horto sanguinis liquor respiciebat

ſpiciebat eum ſanguinem, quem poſteà Dominus ad Eccleſiæ diuitias magis, ac magis cumulandas profuſurus erat, vt ipſe interim ſanguineus ſudor non careret infinito valore ad eadem peccatorum crimina purganda; quippequi immenſi valoris erat ob hypoſtaticam vnionem, quam cum diuina Verbi perſona obtinebat, arctiſſimam; fuitq; pariter effuſus cruor teandrica operatio Incarnato Verbo ratione non diuinæ tantùm, ſed etiam creatæ voluntatis libera, ac voluntaria. Quarè, vt hæc ita ſint, ſicuti putat Arboreus; Nempè ſudorem ſanguinis figuram fuiſſe liquoris pro peccatorum ſordibus abluendis deinceps fundendi; non eſt tamen inficiandum diſtillanti ſudori ſanguineo eandem peccata remittendi virtutem infuiſſe.

Poteſt ad extremum addi, tantam hanc Chriſti Domini propaſſionem indicem fuiſſe eius amoris, quo nos indignos peccatores proſequebatur; huius enim amoris ardore inflammatus Aſſertor ſine carnifice moræ impatiens ſanguinem noſtri cauſa profundendi magnos ſanguinis ſui riuos ex ſe ipſo libentiſſimè profundere cæpit. Et hæc in præſens de fine, ac cauſa ſanguinei ſudoris ſufficiant; nam cęteras rationes, quas pro pietate ſua religioſæ mentes contemplari ſolent, animaduertere is poterit, qui ſacra librorum lectione capietur. *Decimaqua tio.*

CAP. II.

Num sanguineus sudor libero humanæ voluntatis Christi subeßet arbitrio; an necessariò, & coactè fluxerit.

SVperest ad concludendam, terminandamque præsentem de sanguineo sudore materiam paucis pertractanda quæstio ista. An Christus voluntario liberi sui arbitrij dominatu è membris cruentum sudorem sic emanare permiserit, vt eum sanguinis fluxum posset inhibere; An verò potius ita commotus sit sanguis naturali membrorum Christi impulsu, vt omnem liberæ eius voluntatis operationem anteuerterit. Et sanè non erat præsenti loco dissimulanda difficultas, quippè quæ iurè expetunt ea, quæ superioribus capitibus explicata fuêre; nam cum docuerim non supernæ, sed naturali virtute excitatum fuisse sudorem sanguinis, profectò statim consequi videtur necessariam, seu coactam fuisse hanc Assertoris nostri sanguinis effusionem; si namq; cogente naturali passionum motu in Christi membris sudor apparuit, cõsequens est, vt necessitas sudoris apertè inuehatur; quod enim duce, ac motore tantùm propensione naturali euenit, id à liberis operationibus secernatur necesse est. At verò quia in superiori disputatione vltrò arbitratus, necnon etiam aduersus Ioannem Arboreum argumentatus sum, cruorem dominicũ suis instructum, atq; ornatum meritis fuisse; idcircò videri potest ab omni penitus necessitate absolutum, & liberum extitisse sanguinis sudorem; nam cum meriti, & necessitatis rationes sint inuicem oppositę; non enim

cum

cum operationis neceſſitate meritum permiſceri pōt; ſicuti ex aduerſo cum meritò ſimul vigere nequit naturæ neceſſitas; propterea non neceſſitati, ſed libertati tantùm dominicæ voluntatis obiectum fuiſſe ſanguinis ſudorem, apparet non temerè affirmandum.

Honofrius Meneſcal in apologetica diſputatione, quam de vulnere lateris Chriſti habet, duplicis generis ſanguinem in corpore Dominico aſſignat. Alterum, qui in venis, arterijsq; reperiebatur, quiq; non niſi extrinſecus vi adhibita è venis egredi poterat. Alterum verò, qui non in venis, ſed in humano Chriſti pectore reſidebat, quiq; nulla penitus violentia compulſus, ſed ſpontè emanans proprium domicilium deſerit. Hinc, etſi in venis poſitum ſanguinem Aſſertori non deneget Honofrius, attamen quia libera poteſtate, & ſpontè Chriſtus Dominus non modò ſanguinem eū, quem inter crucem, clauos, & vulnera, ſed etiam eum, quem inter orandum profudit, libera voluntate effudiſſe putat; idcircò totum à Chriſto effuſum ſanguinem, non venarum, ſed pectoris ſanguinem appellat. Opinioni autem ſuæ robur addit ex illo Iſaię vaticinio, *oblatus eſt, quia ipſe voluit*, quod vaticinium non de morte duntaxat, verùm etiam de tota, & quauis ſanguinis parte diuinitus prolatū eſſe intelligens, infert etiam cruentum ſudorem liberè à Chriſto nobis fuiſſe donatum. Fauet præterea, humanam Chriſti voluntatem adeò mirificè ſemper cum diuina eiuſdem Saluatoris voluntate congruiſſe, vt quidquid diuinæ placitum eſſet voluntati, illud non detrectaret humana, ſed vtriuſq; eſſet vnum velle, & vnum nolle; at in dubium verti non

Opinio Honofrij.

Prima ratio.

Cap. 53.

Secunda ratio.

poteſt, quin diuinæ voluntati cruentus ſudor planè liber, ac voluntarius fuerit; talis igitur pariter libero humanę voluntatis Xpi fuit arbitrio, aliter concors illa diuinæ, & humanæ volũtatis vnio, quam communis vox Patrũ exprimit; fuiſſet diſſoluta. Ad hęc, Xpi incõmoda, ac motus omnes, quibus mortalis eiuſdem caro tũc obnoxia fuit, Auguſtino teſte libro. 14. de Ciuitate Dei cap. 9., *certiſsimæ diſpenſationis gratia, ita cũ voluit Chriſtus ſuſcepit animo humano, ſicut cum voluit factus eſt homo;* atqui pleno voluntatis imperio ſic mortales artus induit, vt ijſdem carere potuiſſet, ſi ita Verbo diuino foret viſum, pari ergò ratione motum iſtum corporeæ carnis, & humanam hanc ſanguinei ſudoris infirmitatem ſic pati voluiſſe Aſſertorem erit opinandum, vt ſanguinis fluxionem impedire potis fuerit. Amplius, quæ inhumanis hominum membris præter liberum voluntatis imperium inſurgunt, effectorem ſuum habere videntur originalem protoparentis Adę labem, certum enim eſt aliundè huiuſcemodi motus proficiſci non poſſe, qm̃ in primo illo felicitatis ſtatu etiã ad nutum omnes ſenſus, & corporis motiones adeò rationi, voluntatique fuiſſent obtemperantes, vt omnes planè paſſiones, ſi quę tunc fuiſſent, in perfecta, & tranquilla hominis poteſtate futuræ eſſent, ſiuè quo ad eorum exercitationem, ſiuè durationem, ſiuè intentionem, ſiuè poſtremò quoad terminationem, id erat iuſtitiæ originalis decus, & præſidiũ; at quia in Aſſertore nulla fuit primi parentis tranſgreſſionis noxa, ideircò decuit, immò neceſſe fuit, vt nulla paſſio, quæ ob Adę peccatum in hominem deuenit, ea ratione, qua pęna peccati cenſetur, in Chriſto Dño reperiri

Tertia ratio.

Auguſtin.

Quarta ratio.

Quale fuiſſet dominium voluntatis in ſtatu innocentiæ ſuprà tùm corporis, tùm animi poteſtates.

reperiri posset, quod tamen secus accidisset, si ex peccato orientes motus, ac passiones, quę liberũ rationis vsum pręueniunt, in Mediatore nostro dominatę fuissent.

Mihi non inconsideratè prorsus ista cõsideranti nusquàm visum est absolutè concedendum, sanguinis sudorem liberè, seu quod præsenti loco idem valere putamus, voluntariè à Christo domino profluxisse. Antequam verò meam hanc opinationem auctoritate, & ratione communiam animaduertendum censeo, humanam Saluatoris naturam sub duplici titulo, & ratione nobis esse in præsens contemplandam, erant namq; in Christo domino non tantùm vera caro, veruſq; sanguis, sed etiam vera diuinitas. Hęc autem duo, etsi substantijs discreta forent, in vnam tamen mira prępotentis Dei virtute hypostasim substantiali nexu ita connectebantur, vt alia diuinæ, aliaq; naturę humanę competerent. Quocircà si solitariè, & per se præcisè Christi naturam humanam quis contempletur, comprehẽdat statim necesse est, per multis naturæ incommodis, quamplurimis corporeę substantiæ passionibus, & alijs miserijs obiectam fuisse naturalem corporis dominicę compositionem; omnes enim ex D. Damasceno naturę infirmitates, quę sine peccati labe puram mortalitatis naturam iustitiæ originalis dono denudatam necessitate quadam consequuntur, assumpsit Christus, qui, vt humanis calamitatibus opem ferret, ex Æterno Patris sinu in terram descendit, ac teste Apostolo, *formam serui accipiens habitu inuentus est, vt homo*, cuius fragilis, & terrestris natura corporis mole circumdata ijs motibus necessariò subiacebat, qui, etsi ex carnis infirmitate

Sudor sanguinis quà ratione necessarius, seu casus fuerit.

D. Damas.

mitate trahant radicem, eidem carni nihilominus, atquè humanę incolumitati aduersantur ea duntaxat ratione, qua frigus, exuries, morsq; ipsa naturam oppugnare dicuntur. Cum igitur, vt alibi declaratum est, sanguinis sudor ex amaro quodam mœroris fonte tãq; remoto principio dimanaret, atq; natura sua ad dissoluendam corporis Xpi cõpositionem ordinaretur, pfectò non videtur appellandus liber, sed necessarius, & coactus; conspirat enim natura totis viribus in propriã cõseruationem, nõ aũt in destructionẽ, quod secus accidisset, si libero voluntatis Christi impulsu id cruoris prupisset; tunc enim in propriam, ac manifestam sui ipsius perniciem sanguineum cruorem excitasset ea natura, quæ in propriam salutem tendit quocunq; obiecto discrimine.

Sanguinis sudor dici potuit liberè profluxisse.

At si ex altera parte humanam Saluatoris naturã, vt Verbo diuino copulatam, eidemq; obtemperantem, nec non actu efficaci decernentem, atq; molientem aliquid contemplemur, non est inficiandum liberam fuisse sanguinei sudoris profusionem, nam quidquid in natura Christi fieri contingebat, haud poterat diuinam Verbi effugere voluntatem, cui, si humana voluntatis Christi libertas obsequens fuit, vt planè indubitatum est, conficitur euidenter aditum patuisse sudori sanguineo libertate Saluatoris promouente, quam in sanguinei sudoris emissionem dominatam esse reor, non modò ratione rei obiectæ, quatenus propositum sibi sanguinis sudorem ab intellectu, virtute eius scientiæ, quam ab initio suæ conditionis infusam Saluator habuit, liberè, ac spõtè acceptauit, quemadmodum acceptasse credendus est

immanem

immanem flagellorum, ac crucis ſequitiam, verùm etiam ratione effectus, & operationis, cuius opifex, & principium fuit voluntas, quæ cruentam illam ſudoris materiam elicito voluntatis actu imperauit, edens facinus inuictæ fortitudinis, qua timorem ſuperauit, ac vicit adeò validè, vt protinus neceſſitate quadam naturali cruenta materies fuerit ſubſequuta ob commotos ebullientis ſanguinis Chriſti ſpiritus. Quibus ſic conſtitutis.

Mihi difficilè non eſt auctoritate, & ratione vtriusq; aſſertionis meæ veritatem ſtabilire. Et in primis quidem naturali neceſſitate ſanguinis fluxum Saluatorem pertuliſſe, illud certò vnicuiq; eſſe poteſt argumento, q̃ Chriſtus Dominus, (vt naturam à ſpeciali adminiculo diuinitatis derelictam habuiſſe cõſideratur) in ea naturali diſpoſitione erat conſtitutus, vt ſacra eiuſdem natura à cauſis neceſſariò operantibus, neceſſariò etiam pateretur, neq; per naturales humanæ naturæ vires illatum ſibi nocumentum, aut effugere, aut declinare poſſet, ad eum fermè modum, quo ſæpius famis impulſu, ac neceſſitate naturali cruciabatur, nonnũquam ſiti erat obnoxius, frigorisq; morſum cogebatur experiri; At ex naturalibus cauſis duntaxat, vt alibi fuſius declaratũ eſt, ſanguinis cruor originem traxit, ei igitur neceſſariò obnoxia omninò eſſe debuit Aſſertoris noſtri naturæ. Deinde quamquam Chriſtus Deus, & homo erat, tamen in hoc paſſionis negotio, ità Deus quodammodo diuinitatis ſuę poteſtatem, ac illimitatam virtutem cohibens hominem diris ſupplicijs affici permittebat, ac ſi nullam cum humana Chriſti natura conſociacionem

Opinio auctoris probatur.

obti-

obtinuisset; de quo certiorem testem excitare non possum eodem ipso Domino, qui extremum in Cruce spiritum agens, testatur, ac clamat, ita se à Deo extrema supplicia pati fuisse permissum, ac si nullam de natura Christi suscepisset Deus ipse curam, illis verbis; *Deus Deus meus, quare me dereliquisti?* at quis ignorat puram creaturam in tanto mortis agone constitutam, qualem inter orandum Christus sustinuit, ex necessitate sanguineo sudori ex agone proficiscenti fuisse subiectam? Quemadmodum docuisse Damascenum intelligo, cum inter prauos Iuliani errores recenset hæresi non vacare eam opinionem quæ corporales passiones dispari ratione in Christo, ac in miseris Adæ filijs concedit, quasi verò in nobis necessariæ, in Christo autem liberæ forent. Quod certè Damasceni testimonium antè alia persuadet manifestè non minus in Christo Domino, quàm in reliquis hominibus necessarias esse corporeas hasce passiones, quæ turpitudine peccati carent.

Lib. de haresibus.

Alterum autem assertionis nostræ membrum non eò tãtummodo rationes, quas sub initium quæstionis pertexuimus, verùm etiam hæc ratiocinatio hunc in morem efformata demonstrat. Longissimo tempore ante passionem, seu, vt verius dicam, per totum peractæ vitæ Christi curriculum, limpidissima cognitione ea omnia præuiderat Christus, quæ postmodum eidem metum incusserunt, & tamen nunquam sanguineo sudori iter patere voluit, nisi cum iam iam ex hac mortalitate discessurus Deo iuit supplicatum; ergo nulla necessitate compulsus, sed liberè huic sanguineo sudori fuit obnoxius. Præterea paulo antè cum adhuc inter discipulos

fami-

familiariter diuerſaretur, neq; aliquem triſtitiæ locum fecit, neq; diffluendi poteſtatem ſanguineo ſudori dedit, quandoquidem nolebat mœrorem ſuum tunc temporis omnibus diſcipulis in propatulo dari, moxq; vt ab illis octo receſſit, tribus duntaxat ijs aſſumptis Apoſtolis, quos vnicè diligebat, cæpit contriſtari, ac mœſtus eſſe, vti Sacri Euangeliorum contextus narrat; at, ſi iſtud attentè perpendatur, quid quæſo aliud ſignificare põt, quam Aſſertorem noſtrum non coactè, ſed liberè, has timoris, triſtitiæ, ac ſanguinei ſudoris infirmitates ſuſcepiſſe, cum ei placuit, & vbi eidem viſum eſt? in quam ſententiam diuinè, vt ſolet, Auguſtinus hęc prodidit.

Hos humanæ infirmitatis affectus ſicut ipſam carnem infirmitatis humanæ, ac mortem carnis humanæ Dominus Ieſus non conditionis neceſſitate, ſed miſerationis voluntate ſuſcepit, vt trasfiguraret in ſe corpus ſuum, quod eſt Eccleſia, cui caput eſſe dignatus eſt, hoc eſt, membra ſua in ſanctis, & fidelibus ſuis, vt ſi cui eorum inter humanas tentationes contriſtari, & dolere contingeret, non ideò ſe ab eius gratia putaret alienum, & non eſſe iſta peccata, ſed humanæ infirmitatis indicia, tamquàm voci præmiſſæ concinens chorus; ita corpus eius ex ipſo ſuo capite addiſceret. Hæc fermè Auguſtinus. *D. Auguſt. pſal 87.*

Cæterùm hæc pauca, quæ aut de neceſſitate, aut libertate Chriſti ſudorem ſanguineum patientis, explicata fuêre, ſatis eſſe poſſunt ad ea intelligenda, quę in capite quæſtionis hanc difficultatem diſſoluendi dederũt occaſionem; Etenim, quòd aſſerebatur, neceſſariũ fuiſſe ſanguinis Chriſti cruorem, eo quòd ex naturali paſſionum motu oriebatur, non aliud conuincit, quam Mediatorem ſanguinis fluxum pertuliſſe neceſſitate quadam; *Reſpõſio ad argumenta tiones.*

dam non ſimpliciter videlicet, & abſolutè conſiderata illius natura, ſed determinatè, & ſecũdum quid tantùm; nempè quatenus erat non ſolùm à Verbo diuino velut diſiuncta, ſed etiam, vt erat ab eiuſdem Verbi virtute, & auxilio nulla ratione ſuffulta; quo in ſenſu nos vltrò neceſſarium ſudoris Chriſti cruorem fuiſſe cõceſſimus. Quæ autem ſecundo loco opponebantur, liberum videlicet Chriſto Domino fuiſſe ſudorem, propterea qđ ad redemptionem generis humani fundebatur, & eximijs ornabatur meritis, ſecundam aſſertionis noſtræ partem oſtẽdit; nam conſentaneus extitit ſanguinis ſudor deliberatę, abſolutæ, atq; efficaci Saluatoris voluntati, à qua omnis meriti ratio proficiſcitur. Neq; obſtat illa liberi, & neceſſarij oppoſitio; ea enim conſiſtere quidem non poteſt in voluntate Chriſti ſimpliciter, abſolutè, & ſub eodem titulo accepta; at ſub varijs, & diuerſis, vti iam ſuprà nos diſtinximus, rationibus, rectè valet liberi, & neceſſarij veritas conſiſtere.

Quocircà licet ſententia Honofrij Meneſcal, nihil abſurditatis in ſe habeat, ad libitum tamen ab eo excogitata eſt, & nuſquam ſiuè apud Sanctos Patres, ſiuè apud diuinę ſcientiæ profeſſores nõ modò nõ dicam reperta, ſed nec etiam ab ijſdem cognita vnquã fuit; quis enim patrum effuſam cruoris Chriſti ſubſtantiam pectoris, non venarum ſanguinem appellauit? certè nullus; quin immò omnibus ſanctis Patribus illud ſolemne fuit, vt abſolutè totum Aſſertoris ſanguinem, quem ineffabili erga rebelles Adę filios miſeratione commotus ſpontè effudit, venarum ſanguinem emundantem, iuſtificantem, viuificantem, abluentem, & aſpergentem

dixerint

dixerint, propterea quod pollutos iam, & mortuos nefaria peccati labe homines emundans ad immarcescibilem vitam reuocat, instar alterius Pelicani alitis occisos à mortifero serpentis veneno suo sanguine viuificantis.

DISPVTATIO NONA.

De Pelicani natura.

CAP. I.

An Pelicanus ales verum Assertoris nostri Symbolum sit.

QVONIAM hæc ales magnam apud quosdam vim habere videtur ad demonstrandam, illustrandamq; sanguinis Christi proprietatem, & excellentiam, consentaneum fore existimaui, vt de vera Pelicani natura non nihil attingerem in præsens; quãdoquidem me ad hoc munus grauissimorum Patrum inuitat auctoritas, ingens cętus Doctorum huius sæculi vocat, & allicit tandem communis quidam animorum consensus, quo firma, stabiliq; sententia Pelicanum Vindicis nostri Symbolum esse asseritur. Et meritò sanè cum non aliud insigne magis exemplum, quo ergà homines incomparabilis Mediatoris nostri amor significetur, quam Pelicani Hieroglyphicum adhiberi possit, hæc enim ales, quò filijs suis consulat, atq; opportunam opem ferat, nullo vnquàm tempore non vtilitati proprię incolumi-

tatis,non decoctis iam in ventre suo cibis, non sanguini suo ad extremum parcit, vti statim ostendemus in examinandis, atq; ad iudicij trutinam reuocandis ijs, quæ de Pelicano nobilissimi Patres, Hieronymus, Augustinus, Beda, Dionysius Carthusianus, Eusebius, & alij tradidere, quibus assentiuntur glossa in psalmos, Conradus Gesnerius, Ælinus, & omnes ij etiam, qui sacram psalterij doctrinam interpretari, atq; tractare studuerunt; quorum omnium sententijs valdè congruit mos vetustissimus maiorum nostrorũ, (velut aliquod etiam huius moris vestigium ad nunc visitur nonnullis in locis) qui in summo Crucis Christi apice Pelicanum omnium oculis conspiciendum statuunt. Hæc illi quidem vnanimi consensu.

CAP. II.

De Pelicani natura Sanctorum Patrum opinio.

Qualis sit Pelicani natura ex sententia D. Hieronymi.

AT verò,qua naturali alitis huius proprietate ducti Pelicanum Assertoris nostri typum esse velint,non omninò constat inter eos. Nam Diuus Hieronymus tomo nono,capite de laude religionis, & inductione ad eam,tradit Pelicani naturam, & proprietatem esse admirabilem,ea videlicet de causa,quòd proprio sanguine vitam elargiatur pullis suis,qui venenato serpentis morsu intereunt; nam vbi Pelicanus in nido occisos à serpente filios offendit, in primis amaro fletu mortem illorum prosequitur, moxq; conuersa ales ad perquirendam salubrem medicinam, qua mortuis filij auxilietur, latera sua adeò acriter vsq; dissecat proprio rostro,

roſtro, donec excutiatur ſanguis, qui mortua filiorum corpora attingens, extinctũ in eis vitę ſpiritũ rurſus excitat. Verba Hieronymi, ſi ea quis audire vult, hæc sũt. *Pelicani cum ſuos à ſerpente filios mortuos inueniunt, lugent, & ſe, & ſua latera percutiunt, & ſanguine excuſſo ad corpora mortuorum, ſic reuiuiſcunt*; Ne autem iſtud videretur commentitium, mox ad aſtruendam huic Pelicani naturę fidem, ſubdit idem Hieronymus, *Multa dicuntur in ſcripturis, quæ videntur impoſſibilia, & tamen vera ſunt.* Adeſt quoq; huic opinioni incognitus anteà nunc verò tandem cognitus auctor in illud pſalterij, *Factus ſum ſicut pelicanus in ſolitudine.* qui neſcio an à S. Hieronymo mutuatus ſuam opinionem, Pelicani naturam exequitur hunc fermè in modũ. Magnas, & grauiſſimas cum ſerpente inimicitias gerit ales iſta, totisq; viribus in ſerpentis exitium, mortemq, conſpirat. E contrà verò ſerpens pari odio, ac ſimili furore plenus Pelicani vitæ inſidiari non deſiſtit; verùm quia virtute, ac corporis robore præſtat ales, fugæ ſubſidio fortioris inimici vim ſerpens declinat arboris aſcenſu, inibiq; tandiù deliteſcit, quandiù alio ſe ſe recipiat Pelicanus; moxquè abſente Pelicano ſaltu de repente proſiliens Pelicani filios, quos ales recenter enixa eſt, imbecilles, & infirmos adoritur, dentibus perſtringit, ac interficit tandem; ſicq; conceptum naturali odio virus, quod in patrem, aut matrem effundere non valebat ſerpens, in teneros, ac innocentes Pelicani filios ingenti rabie euomit. At verò vbi, alias victor, rediens pelicanus, filiorũq; ſedes adiens mortuos veno ſerpentis filios agnoſcit, iniquo animo acerbam illorũ mortem ferens luget, mæret per triduũ,

Incogniti opinio de pelicani proprietate

ac

ac velut ſenio confecta mater ales ex ſuis femoribus roſtro vellicatis ſanguinem haurit, qui in necata filiorum corpora cadens, ea nouo rurſus ſpiritu donat. Propria huius auctoris verba, ne lõgior ſim, q̃ eſſe velim, videat Lector citato loco. Ego .n. reticere non poſſum, q̃ mirificè quadrent hæc omnia in ineffabilẽ Aſſertoris noſtri erga peccatores pietatem Nam ſi res pro dignitate perpendatur; myſtica hæc ales eſt Chriſtus Dominus, qui calidiſſimo totius mortalitatis hoſti infenſiſſimus in hanc miſerrimam rerum vniuerſitatem humana carne indutus venit, quò antiquum ſerpentem interficeret; Verùm ſerpens iam ab initio ſuę conditionis de cœleſti ſolio diuina Verbi poteſtate deturbatus, ac iuſtam Dei iram, & indignationem fugiens primos generis humani parentes in feliciſſimo innocentiæ ſtatu ſumma cum animi tranquilitate degentes inuadit, dolis, ac verſutijs circumuenit, ad peccati turpitudinem inflammat, cibi vetiti cogitationem ingerit, atq; ad extremum eos peccati vulnere interficit; Quod ſcelus animaduertens Mediator intimo animi ſenſu de tam infelici filiorũ ſuorũ interitu contriſtatur, afflictatur, & toto vitę ſuæ curriculo congemiſcit, & tandem libero voluntatis creatæ dominatu ſe ipſum vulnerans, *oblatus eſt enim quia ipſe voluit*, largos ſanguinis ſui riuos effundit, quo perfuſa mortalitas rurſus ad vitam reſurgit immortalem.

Symbolum Christi Dominipelicanus.

De pelicano quid ceſent Beda.

Venerabilis Beda, etſi in huius alitis narranda proprietate à prima ſententia non longè recedat, cum ea tamen non omninò cõſentire videtur in re alioqui præcipua, perſuaſum enim habet non à ſerpente, ſed à matre ipſa pullos roſtro interrimi, quod diuerſam Hieroglyphici

glyphici fert ſecum rationem ; quæ quia de Aſſertore noſtro ab eodem Beda pulchrè explicatur, ideò ea eſt in hoc loco appoſitis illius verbis conſcribenda. *Pelicanus auis*, inquit pſalmo 101. *quædam eſt deſerta quærens, maximè tamen in deſertis ripis Nili fluminis. Hæc auis pullos ſuos interficit, poſteà ſuper eos plangit, & iterum verberat ſe alis, & roſtro, & in tertia die ſanguinem effundit, quo mox, vt irrorantur, reuiuiſcunt pulli. Hoc à Chriſto Domino non diſconuenit, qui auis eſt ſolitudinis, qui ſolus de Virgine natus eſt, & ſolus ſine delectatione conceptus, & ſine dolore natus, qui pullos ſuos, ideſt homines à ſe factos iuſto iudicio interficit, & ſuper eos planxit, quia pro ijs infirmari voluit. Vndè, vt alibi diximus, ſapientia Dei etiam gallinæ comparatur ; poſt legem autem, ideſt tempore gratiæ, quod quaſi dies tertia eſt, quantum quod ante legem, & ſub lege, ſanguine ſuo in Cruce ipſos viuificat.* Hactenus Beda ; cuius opinioni adhęret Dionyſius Carthuſianus ſuper commentarijs in pſalterium editis explanatione allegorica de Chriſto ſic ſcribens. *Porrò Chriſtus comparatur pelicano, quoniam auis hæc proprio roſtro pullos ſuos fertur occidere, triduoquè lugere, & tandem ſanguinem ſuum ſuper pullos roſtro effundere. Vnde illi reuiuiſcunt. Sic Chriſtus occidit in nobis vitia noſtra, & ſanguine proprio viuificat nos de nouo.* His haud diſſimilia commemorarunt Auguſtinus, Gloſſa, & alij in eundem pſaltis locum.

Dion. Carthuſiani de pelicano ſententia.

Albertus Magnus vir in naturalibus, Philoſophicis, ac Theologicis rebus ſubtiliter verſatus duo illa, quę de pelicano ſeparatim allatæ opiniones tradiderunt, in vnum colligens, aliti huic vtrumq; conuenire docet libro de natura auium vigeſimo tertio cap. 24., cuius integram

Placitum Alberti Magni de natura pelicani.

tegram hac de re sententiam, vt lectoribus in exquirendis, & intelligendis nouis, & admirandis rerum proprietatibus non incuriosis satisfatiam, libet in præsens expressis totidem verbis adscribere. *Pelicanus à pelle cana sic dictus, eo quod canas habeat pennas. De hac aue dicunt, q̃ pullos sibi infestos interficit, & de planctos aliquandiu sanguine, quem de pectore morsu elicit, reuocat ad vitam, & eodem modo viuificat eos à serpẽtis morsu, qui pullis insidiatur, intereũt, et de vulnere, & sanguine virium debilitatur tãtũ, quòd in nido remanet, & pulli pro sua, & matris cibatione exire compelluntur.* Sic Albertus, ex quo non modò pelicani etymologiam intelligere, verùm etiam compræhendere licet, pelicanum filijs proprijs necem inferre, quod Beda scripsit, & eosdem non à se tantùm, sed etiam à serpente interemptos sanguine suo viuificare, quod Hieronymus, & alij memorię prodiderunt.

S. Epiphanius. Sanctus Epiphanius libro ad Physiologum capit. 8. eadem fermè citatis auctoribus scribit de pelicani moribus, & natura. *Præ omnibus enim*, inquit, *pelicanus prolis est amans; fœmina nido excubat pullos suos custodiẽs, ipsosq́; fouet, complecturq́, & nimijs osculis sauciat; perforat itaq́: illorum latera, & illi moriuntur. Post tres verò dies accedit mas pelicanus, & mortuos inuenit pullos, & valdè angitur, doloreq́; impulsus proprium latus percutit, ac terrebrat, emanatq́; sanguis, quem super mortuorum pullorum vulnera instillat, qui sic vitæ restituuntur.* Sic Epiphanius, qui postmodũ ostendere prosequitur, quàm mirificè Symbolum Christi Domini splendeat in his omnibus de pelicani natura dictis.

D Isidorus D. Isidorus Hispalensis in supradictam de pelicani

natura

natura ſententiam inclinans adhũc modum ſcribit. *Pelicanus auis Ægyptia habitans in ſolitudine Nili fluminis, vnde & nomen ſumpſit; fertur, ſi verum eſt, eam occidere natos ſuos, eosq; per triduum lugere, deinde ſe ipſam vulnerare, & aſperſione ſui ſanguinis viuificare illos.* *Hiſpal. originum lib. 2 capit 7. de auibus.*

Enim verò ex his omnibus non nulla colligi poſsũt, quæ ad rem noſtram maximè ſpectant. Primum, ſi recenſitis Sanctorum Patrum aſſentiri velimus ſententijs, nobis erit affirmandum, illud à natura tributum eſſe pelicano, vt virtute effuſi ex femore ſanguinis ad priſtinam vitam reuocet extinctos à ſe, ſiue à ſerpente filios.

Secundum. Temerè, & nulla antiquorum ſcriptorum auctoritate aliquos litteris conſignaſſe, adeò ſolicitam in educandis pullis eſſe pelicanum alitem, vt filios ſuos enutriat ſanguine ex proſciſſis femoribus dimanãte, ne fame, & egeſtate confecti intereant, cum aliunde cibos eis comparare non poteſt, nam commentitium iſtud eſſe, vel ex eo deprehenditur, quòd apud nullum diligentem rerum naturalium ſcriptorem morem hunc paſcendi filios reperiam adſcribi pelicano, quòd ego viderim.

Tertium. Iuxtà opinionem Sancti Hieronymi, & aliorum, quos in prima opinione retulimus, per pelicanum hieroglyphico longè præſtantiſſimo ſignificari pretioſum Aſſertoris noſtri ſanguinem, quo extinctus mortifera peccati culpa hominum animus ad ſpiritualem vitam conſurgit.

Quartum. Ex eadem alite, (quemadmodum Beda, Carthuſianus, & alij voluerunt) clarũ, & inſigne exem-

plum elucere temporalis, & immaculatæ Mediatoris nostri originis, quę sola inter omnes in castissimis Mariæ visceribus diuina superni numinis ope cępit, & ad consummatam perfectionem redacta est.

Vltimum tandem. Posse quemlibet in pelicano contemplari manifestum diuinæ Christi iustitiæ exemplar, qua homines peruersè operantes, & vitijs, ac peccatorum sordibus se se contaminantes iusto diuinę vindictæ iudicio ulciscitur; verùm ex alio capite etiam intelligi potest, esse pelicanum mirum quoddam diuinæ liberalitatis, & miserationis Symbolum; nam adeò vehementi pietatis ardore continuò inflammabatur Christus Dominus, vt pro salute generis humani reparanda, ex vellicatis flagello femoribus, atq; excarnificatis omnibus humanę naturę membris totam sanguinis sui copiam profundere voluerit.

CAP. III.

Aliorum omnium scriptorum de pelicani moribus opinio.

Quarta opinio de natura pelicani.

MVlti tamen, & docti viri, vt hæc omnia ingeniosè, & piè excogitata, atq; tradita esse non inficiantur, sic aliam, & valdè diuersam pelicani naturam esse contendunt. Et assignant in primis varia pelicanorum genera. Vnum, quod adhibitis in escam piscibus, degit in aquis. Secundum, quod terræ gremiũ colit, cuius esca, & cibus sunt serpentes, vermes, aliaque huius generis plurima; capiturq; huiusmodi pelicanorum genus tanto desiderio absorbendi lac cocodrilorum, vt propterea à crocodrilorum vijs, in quibus edere, ac spargere lac consueuerunt, nullo vnquàm tempo-

Multiplex pelicanorum genus.

re

re recedat; ſunt alij, qui volunt, vnum eſſe pelicanorum genus volatile; alterum aquaticum; & poſtremò alij putant pelicanum paruam eſſe auem, quæ ſolitudine delectetur, quamuis alium eſſe pelicanum grandiorem non abnuant in Nilo maximè cõmorantem; qui forma, & ſpetie non abſimilis Cygnis eſſe videtur. Vtcunq; tamen diuerſitas inter pelicanos ſe habeat, certiſſimum arbitrantur pelicanum alitem ſui roſtri percuſſionibus ſanguinem cientem fingere, non modò ab Ægyptiorũ hiſtoria in auium proprietatibus obſeruandis, atq; indagandis abſolutiſſima, verúm etiam ab antiquiſſimis rerum naturalium ſcriptoribus alienum eſſe; à quibus nihil huiuſmodi de pelicani natura, & moribus traditum eſt; ex quo fit, vt ea, quæ noſtra, & antiquiori etiam ætate de pelicani natura, & proprietatibus à plerisq; vſurpãtur, ac iactãtur, vel per errorem ij pelicano attribuant, quæ alioqui vulturis, & phœnicis peculiaria ſunt; vel certè inani quadam traditione in plurium animos falſæ quædam de pelicani moribus opiniones irrepſerint.

Etenim Ælianus vir eruditiſſimus in hiſtoria animalium cap. 24., quod de ciconijs, & Ardijs, atque pelicanis inſcribitur, omnium harum auium naturam, & mores exquiſitè, & ſtudioſè perſequens, pelicanum dũtaxat in mira filios ſuos educandi ratione, & beneuolentia commendat ad hunc modum ſcribens. *Iidem parentes amanter ſuos filios curare dicuntur, cuius rei hoc teſtimonium eſt, quòd pullos, qui per ætatem è nido nondum euolare queunt, cum aliundè ad eos alendos cibum comparare nequeũt, excul nta, quæ prius deuorant, euomant, atq; in educandos fœtus conuertant, & ad volandum pullis imperitis duces ſunt.* *Ælian. opẽ nio lib. 3.*

Ardeas, & pelicanos similiter facere audio.

Ægyptiaca Historia.

Altrix, & magistra noui sæper Hieroglyphici Ægyptiorum historia, quæ in huiusmodi rebus apud viros doctissimos magni est ponderis, & momēti, quippequę ab antiquissimis ducta temporibus ad nos vsque fideliter peruenit, ex alio capite singularem pelicani in filios pietatem admiratur, ac tradit eam esse huius alitis naturam, vt pro filiorum incolumitate certissimis, ac omniū grauissimis doloribus torqueri non vereatur; nam editiora, sublimioraq; loca, in quibus tutò nidificare potest, non curans pelicanus, infimas quasq;, & omnibus iniurijs eorum obnoxias, qui aucupio delectantur, sedes perquirit, in ijsq; concepta oua edit, edita fouet, ac pullorum propagationem, & vitam sustentat, atq; tuetur. Porrò hunc nidificandi vsum apprimè tenentes incolæ, his dolis non pullis solum, sed etiam ipsa pelicano matre potiuntur; nam cancellos, in quibus recens nati filij degunt, extrinsecus luto, vel, vt alijs placet, arida armentorum fęce vestiunt, atq; circumdāt, ne aut extra egredi pulli, aut intro se recipere possit pelicanus; moxq; admoto a pastoribus igni ardentem flammam excrementa illa concipiunt. Pelicanus conspiciens subuolantem rectis lineis in cęlestem locum flammam ignis, protinus mira celeritate in eum se locum recipit, studioq; omni, & contentione periclitantibus pullis auxilium ferre nequicquam conatur; quarè licet accēsa hinc, & inde ignis flamma ingressu prohibeatur, stimulāte tamen materni affectus amore non acquiescit, non consternatur; sed vni filiorum saluti intenta, per furentem flexuosis excessibus flammam iter quærit, repetitis rostri ictibus, &

Nidificatio pelicanorum.

continua

continua alarum ventilatione impetum coërcere aggreditur, ſed ò infelix, ac miſerum prorſus pelicani fatum, quo magis alarum ope, & ſubſidio edaces incendij flammas comprimere certat totis viribus, eo ſenſim ardentior attollitur flamma, (quippequę agitatione, & alarum quaſſatione non minui, ſed augeri ſolet;) ſicq; aliter omninò, quàm putarat ales pelicanus, res accidit; nam penè conſumpta vi ignis, atq; ſubſidio pennarum, quibus inſequentes aliàs ludere ſolebat, deſtituta, varijs excruciata doloribus, ſimul cum filijs præda fit eorum, qui pelicanos aucupantur.

Hanc eandem eſſe pelicani naturam grauiſſimus, & antiquiſſimus auctor Orus Apollo in antiquis codicibus expreſſit, varia antiquitatis Hieroglyphica conſcribens, vt locuples teſtis eſt Ioannes Pierius in nobiliſſimis illis, quos de ſacris Ægyptiorum, aliarumq; gentiũ, commentarijs, omni eruditione inſtructis confecit, in quibus de præſenti quæſtione agens, id duntaxat ratum firmumq; eſſe arbitratur, quod huius capitis ſententia docet. *Orus Apollo.* *Io. Pierius.*

Sanctus Gregorius Magnus, qui luculentiſſimos in pſalmos pœnitentiales ſcripſit commentarios hæc tantùm de pelicani natura ſcribit. *Pelicanus auis eſt amans ſolitudinem; in qua venenatis animalibus veſcitur, et ideò per eam peccator deſignatur.* Diuus Cyrillus in iambis à Conſaluo Pontio Scholiaſte latinitate donatis platalearum vocabulo pelicanum intelligens, ſimillimaquè tradens Gregorio ait. *S. Gregor. Magnus.* *D. Cyrill.*

Quis platalearum roſtrum in modum lanceæ
Exterius aptauit, longiſq; haſtilibus

Et

Et voraginem ipsis aperit omniuoram
Ad inexplebiles rapinas piscium.

Arnobius. In eandem sententiam Arnobius in commentarijs suis in psalterium hæc memorat. *Auis illa, quam pelicanum vocant, quæ non habitat nisi in desertis, habens escas veneno eremi, & incultis amaritudinibus plenas.* Cœterum non isti duntaxat, sed omnium antiquissimus Aristotelis voracissimam esse pelicanum alitem libr. 9. historiæ animalium capit. 10. manifestis verbis monet, dum de pelicano, quem latinus interpres, Plateam, vertit, loquẽs sic inquit. *Platea fluialis conchas maiusculas, læuesq; deuorat, quas vbi sua ingluuie coxerit, euomit, vt hiantibus iam, legat, testis exuens, atq; edat.* Sic Aristoteles, cuius opinionem assecutus Conradus Gesnerius libro. 3. de historia auium hanc eandem Pelicani naturam esse fatetur, additq; Plateas à pelicanis non distingui. *Sed quos*, inquit, *Aristoteles pelecanas nominat, interpres Plinium imitatus plateas vertit. Ego quoq; plateas à pelicanis non distinxerim.* Similia Gesnerio tradit Iacobus Delecampius in scholijs ad Plinij historiam libr. 10. cap. 4. nota 3. ita scribens. *Quod apud Aristotelem pelecan vocatur, à Plinio Platea, à Cicerone Plutarcho, Erodio, Platalea.* Ex quibus clarè colligitur eandem auem esse pelicanũ, & plateam; atqui Plinius loco paulo ante indicato super plateæ natura, & moribus hunc in modum scribit. *Platea nominatur; aduolat ad eas, quæ se in mari mergunt, & capita illarum morsu corripiens, donec capturam extorqueat. Eadem cum deuoratis se implet conchis calore ventris coctas euomit, atq; ita ex ijs exculenta legit testas excernens.*

Pelicanus, & Platea eadẽ auis.

Aristotel.

Gesnerius.

Iacob. Delecampius

Plinius.

Gesnerius. At quoniam non ignoro aliquos arbitrari pelicanũ

à Plinio

à Plinio Onocrotalũ appellari, nullum nõ fuerit operæ pretium hoc loco adſcribere, quid de Onocrotalo Plinius ſenſerit, vt omni dubitationis nexu exoluto, clarè dignoſcatur genuina pelicani proprietas, & natura. Naturalis igitur hiſtorię libr. 10. cap. 47. hæc de onocrotalo litteris prodidit. *Olorum ſimilitudinem onocrotali habent, nec diſtare exiſtimarentur omnino, niſi faucibus ineſſet alterius veteri genus. Huc omnia inexplebile animal congerit, mira vt ſit capacitas; mox perfecta rapina ſenſim in os reddita in veram aluum ruminantis modo refert.* Sic Plinius. His præterea addenda ſunt, quæ in eandem ſententiam ſcripta de pelicano reliquerũt Erodotus, Plutarchus, & Philes, vt refert citato loco Geſnerius. Ille enim inquit, *vt conchas pelecanus, quas deuorauit ventris calore diſcuneatas reuomit, & pulpam à teſtis ſeligit*; iſti vero de pelicano loquentes. *Poſtquàm*, inquiunt, *iam deductas ſenſerit teſtas, eas euomit, & carnem ad ſe ſuſtentandum retinet.* Neq. ab his omnibus diſcrepare videtur Oppianus. Ad extremũ Vlyſsis Aldoruander, qui & mentis, & oculorũ acie omniũ fermè auium naturas, & proprietates vidit, de pelicano verba faciens non vno in loco auem ſolitudinis appellat; cęterũ de mira ſanguinis pelicani virtute mortuos filios viuificantis, ne verbum quidem habuit, quod ego reperire potuerim.

Plinius.

Erodotus, Plutarch. & Philes.

Volumine ſecundo, & tertio ornithologiarũ.

Hinc, ni fallor, ſatis apparet, aliqua, quæ vulgò feruntur de pelicani natura, nullo certæ hiſtoriæ ſubnixa eſſe firmamento. Tale eſt illud; mortua pelicani pullorum membra ad nouam rurſus vitam vocari ſanguine ex femore patris pelicani excuſſo, hoc enim nullus ſcriptorum, qui diligens, & curioſus fuerit veritatis eorum,

quæ

quæ de proprietatibus auium dicuntur, pelicano attribuit vnquàm.

CAP. IV.

Quòd superioris capitis sententiæ sit subscribendum.

HÆC igitur sunt, quæ de pelicani natura à magnis viris traduntur; mutua enim filiorum pelicani beneuolentiæ, memoris, ac grati animi in parentes suos officia, quæ multorum animos rapere possent in admirationem, prætereo tacitus, ne longior euadat oratio, & ad id veniam quod à me iurè expetere lector potest, nempè ad docendum, quid ipse hac de re iudicij habeam; expositis enim, & explanatis pluribus de pelicani natura sententijs, hoc postremo tantum superesse videtur. Censeo igitur probabiliter superioris duntaxat capitis opinioni adhærendū, pro qua, & antiquissimi scriptores semper pugnarunt, & adhuc recentes, & insignes rerum naturalium speculatores pugnare non desistunt. Nam cum hæc quæstio in eo genere rerum versetur, in quarum fidem non rationum momēta, sed scriptorum, quibus de pelicani natura veriùs inuestiganda cura fuit, auctoritas plurimum potest, & valet; sitq. prætereà altis defixa radicibus in grauissimis antiquorum scriptorum testimonijs, qui sectati sūt partes eius philosophiæ, quæ in proprietatibus auium dignoscendis tota versatur, ideo probabilissimā de veritate posterioris sententię hinc capere licet coniecturam, in cæteris namq; opinionibus, etsi grauissimorū alioquî auctorum numerus nō desit, in numero tamen iurè

Vera opinio.

desi-

deſiderari videtur, in hac vna re, firmior auctoritas, illi enim, qui eas eſſe pelicani proprietates litteris cõſignarunt, aut ſuſpenſi valdè, & dubij erant de ijs rebus, quas tradebant; aut certè non quod ipſi, tamquam indubitatum ſentirent, ſed quod in ore plurium iam percrebuiſſet, narrare voluerunt. Quemadmodum Diuus Auguſtinus omnium fermè Patrum doctiſſimus prodidiſſe cognoſcitur ex ijs, quæ in enarratione pſalmi 101. teſtatur his verbis de pelicano loquens. *Quod enim dicitur, vel etiã legitur de hac aue*, ideſt pelicano, *non taceamus, non aliquid affirmantes temerè, ſed tamen non tacentes, quod qui ſcripſerunt, & legi, & dici voluerunt. Dicuntur hæ aues, tanquàm colaphis roſtrorum occidere parulos filios ſuos, eoſdemq; in nido occiſos à ſe lugere per triduum; poſtremò dicunt matrem ſe ipſam grauiter vulnerare, & ſanguinem ſuum ſuper filios fundere, quo illi perfuſi reuiuiſcunt. Fortaſſe hoc verum, fortaſſe hoc falſum ſit; tamen, ſi verum eſt, quemadmodũ illi congruat, qui nos viuificauit ſanguine ſuo, videte &c.* Et ecce, quid hic magnus diuinorum, naturaliumq; myſteriorum interpres Auguſtinus de vulgata pelicani fama cenſeat affirmandum. *S. Auguſt. pſal. 101.*

Neq; ab hac Auguſtini ſententia receſſiſſe videtur Albertus Magnus, qui licet, ea, quæ ſupra conſignauimus, tradat, quam tamen illa fidem meteantur ſtatim ſubdit his verbis. *Hæc potius in hiſtorijs leguntur, quam ſint experimento per philoſophiam probata*, in quam eãdem opinionem gloſſa in pſalmum 101, auctor Incognitus, Coradus Geſnerius, & plures alij pedibus iuerũt. Quid? Ariſtoteles, & Plinius, viri ſanè ſolertes, & in rebus inueſtigandis accuratiſſimi (quamquam apud Plinium, *Albertus Magnus.* *Gloſſa.*

Platea ne, an Onocrotalus vocanda sit pelicanus ales, non omninò adhuc inter Doctores constet) sanguinem proprijs rostris haurientes ex femoribus, & sparso sanguinis liquore vitam peremptis elargientes esse pelicanos nullibi affirmarunt; Vultur enim, & phœnix inter aues solùm ex vellicatis femoribus sanguinem, quo filij pascuntur, ciere solent, quemadmodum de vulture tradit Orus Apollo in Hieroglyphicis, vbi, *vulterem*, inquit, *scribentes, quid significent inter alia miseriam, quod per absurdum fortasse videatur, cum animalium nulli hoc animal pareat, tamen ob hanc causam illi posuerunt, quoniam totis diebus centum, quos enutriendis pullis impartitur, fermè nũquã euolat, ac si quando cibus, quo fœtus enutriat, desit, ne fame cõficiantur vulnerato sibi femore sanguinem sugendum præbet.* Sic Orus. Quam sanguinis eruptionem ex femoribus ciet etiam phœnix, non vt pullorum egestati occurrat, cum sola esse sine prole perhibeatur, sed naturali fato, vt posteritati post obitum suum suscitandæ, consulat. Cęterum sanguinem ex proprijs femoribus eruere aliarum auium natura abhorret.

Orus Apollo.

Vulturis natura.

Phœnicis natura.

Quid igitur, contrarię opinioni fauentes exclamare audio, tam nobilibus scriptoribus, tam antiquis, tantaq; non doctrinæ, & sanctitatis gloria solùm, sed etiã auctoritate glorioſis aduersari, an non rem esse temeritatis, & audaciæ plenam dijudicandum erit? minimè verò; Nam si, vt Vicentius Lyrinensis scitè prodidit. *Antiqua Sanctorum Patrum consensio non in omnibus diuinæ legis quæstiunculis, sed solùm in fidei regula magno nobis studio, & inuestiganda est, & sequenda*; Cur in rebus neq; ex traditione diuina, neq; ex communi patrum assensu

Vicentij Lyrinensis notãda sententia.

ſenſu ductis, ſed ex ſimplici quarundam auium natura, & proprietate erutis, ab aliquibus Sanctis Patribus, ac frigida vulgi opinione in diuerſum abire tutò nō licebit? præcipuè cum Hieronymus, Epiphanius, & Beda, quorum nobis oppoſita eſt auctoritas, ea, quæ ab alijs nullo fundamento dicta erant, obiter tantùm, huiuſce rei veritatem curioſius non perſcrutantes, prodiderint, maximè cum talis pelicani proprietas ad rem Hieronymi faceret, nempe vt hoc exemplo, ac varijs alijs argumentorum generibus ad benè, laudabiliterq. viuendum alliceret Monachos, quos ad Monaſticę pau pertatis, & regulæ obſeruantiam hortabatur; ſicuti pariter feciſſe Epiphanium, & Bedam reor, qui mirā hanc pelicani naturam ſibi perſuaderi facile paſſus eſt, quô ſolummodo aliquid diuinæ Chriſti conceptionis, vitæ, & ſanguinis in adumbrato pelicani hieroglyphico nobis exprimere poſſet.

Non enim Sancti Patres his in rebus, quas de pelicani natura memorabant, tam accurati inueſtigatores eſſe voluerunt veritatis hiſtoricæ, quam pij interpretatores ſecundùm intelligentiam allegoricam; hincq. factum eſt, vt affectiones auium in vulgus iactatas, & inſtituto, conſilioq. ſuo ſuffragantes damnare noluerint.

Ad Carthuſiani teſtimonium, quod à Beato Auguſtino ſe mutuatum eſſe teſtatur, clara patet ſolutio ex ijs, quæ hac de re iuxta Auguſtini ſententiam adduximus.

Ad extremū in Iſidori Hiſpalenſis teſtimonij explanationem non eſt, cur aliena conquirantur, cū ex ipſis Iſidori verbis clarè colligatur, eū non ex propria ſen-

tentia, sed ex inueterata quadam vulgi opinione ea de pelicano prodidisse.

At inquies tandem, si in pelicani sanguine nuncia sanguinis Christi imago non elucet, vt quid pelicanum Christi typum esse concesimus, & in capite difficultatis ad inuestigandum proposuimus? At qui ea meditabitur, quæ de pelicani vera natura docuimus, expressam Assertoris nostri similitudinem pelicanum fuisse, fateatur necesse est. Enim uerò cum nos sospitaturus non Iudæorum insidias deuitarit, non carnificum tormenta horruerit, sed vltrò teterrimo mortis genere affici voluerit Mediator noster, quid quæso opportunius, ac ad incomparabilem Assertoris nostri amorem expressius, ac dilucidius exprimendum Pelicani hieroglyphico potuit inueniri? vt consulentes ea, quæ superius pelicani naturam describentes tradidimus, nullo negotio dijudicabunt.

DISPVTATIO DECIMA.

De sanguine vi verberum expresso.

CAP. I.

Vtrum Christus sub flagellis vnicam tantùm sanguinis effusionem passus sit.

NVNC scrutari oportet reliquas sanguinis Christi effusiones, de quibus ambigi posse monuimus; quot enim, & quales fuerint non ità facilè videtur explicatu, vt ad exactam sanguinis effusionum cognitionem cursim insti-

inſtituta quæſtio ſit ſufficiens ; ſed poſtulat præſens materia diligentem orationem, qua omnes nodi, quoad fieri poterit, diſſoluantur.

Eſt igitur maxima difficultas ; An ſub crudeliſſimis flagellorum ictibus ſe ſe ex corpore Chriſti bis promere coactus fuerit ſanguis, An vnica tantùm vice ; huic quæſtioni alij Doctores hunc titulum faciunt. Vtrùm vnica, an iterata vice Aſſertor flagellis cęſus fuerit, verùm hic eorum titulus eodem, ac noſter ſpectat, nam ſicuti ſæuum verber ſanguinem Aſſertoris educendi inſtrumentum fuit, ita ſanguinis effuſio tamquàm effectus ad flagellorum verbera ſubſecutus eſt, ex quo fit, vt nec à ſanguine verber, nec à verbere ſanguis ſeiungi in hac tractatione debeat, quæ licet in eo rerũ genere verſetur, quę ad Catholicam fidem non ſpectãt, vnum tamen in ſe claudit hęc diſputatio diuinis litteris planè conſentaneum; Nempè Aſſertorem noſtrum duris flagellis petitum fuiſſe; quod quia, & hiſtorica quatuor Euangeliorum narratio tradit, & ſummo aſſenſu defendunt omnes, comprobare non perſequar, ſed accedam ad inſtitutæ quæſtionis diſcuſſionem, quæ in contrarias partes agitari ſolet.

Et huius quidẽ diſſenſionis occaſionem capiunt nonnulli ex verbis ſacrarum hiſtoriarum, quæ duplicem ſanguinis effuſionem innuere videntur, quatenus repetitam fuiſſe à militibus Chriſti flagellationem oſtẽdũt. Nam illud Ioannis decimo nono. *Tunc ergò appræhendit Pilatus Ieſum, & flagellauit*, certiſſimo omnibus eſſe debet argumento, Chriſtum pertuliſſe crudelem flagellorum ſæuitiam iuſſu Pilati Præſidis, qui cum omni ſtudio, Ioann. 19.

ſtudio;& qua poterat an re,innocentem Dominum ex effrenata Iudæorum crudelitate vindicare certaret, hac miſerrima flagellationis ſpetie, ita cõmotũ iri Iudęos ſperabat,vt liuore odij mitigato Chriſtum è Crucis patibulo liberum abire,æquiori animo concederent;atqui hæc flagellatio,vt ſacer Ioannis contextus, & tota eiuſdem hiſtoriæ ſeries clarè demonſtrat ante latam Crucis Chriſti ſententiam executioni demandata fuit, cũ quo Marcus c.15. in illis verbis, *Pilatus autem volens populo ſatisfacere, dimiſit illis Barabam,& tradidit illis Ieſum flagellis cæſum, vt crucifigeretur*,& Mathæus cap. 27. *Ieſum autem flagellatum tradidit illis, vt crucifigeretur*, docere videntur,Xp̃m poſt pronunciatam à Pilato mortis ſentẽtiam,flagellis dilaniatũ fuiſſe; ex quibus id neceſsariò conſequitur,vt dicamus ſemel,atq; iterũ repetitis flagellorum ictibus Aſſertorem ſanguineũ effudiſſe liquorẽ; qđ certiſſimum eſſe duplicis flagellationis argumentũ ratus Benedictus Ariemontanus in ſuis elucidationibus in illud Matthæi 27. *Ieſum autem flagellatum &c.* hæc prodidit. *Secundò flagellatum ex more Romano, erat enim Crux ignominioſsimum mortis genus, ideòq; publicè ignominioſis hominibus afferebatur,flagellatio autem publica,vel nobiliſsimo homini decreta ignominiam inurebat,& infamiam.* Hæc ille, Cui non modò aſſentitur Io.Gerſonius, verũ etiam duabus primis tertiam ipſe addit flagellationem, licet illi flagellorum cruciatus,nec eadem ratione, nec æqualiter Chriſto fuerint inflicti. Putat enim Gerſonius in ſecundo conſilio, cui prefuerunt Pontifices, ac Iudęorum Principes viri ad mortem Chriſti machinãdam,aſſeruatum,cuſtoditumq; à militibus, ac ſatellitibus

Mare. 15.

Matt. 27.

Opinio Ariamõt ani

Opinio Gerſonij.

bus Dominum in ędibus principis Sacerdotum, ibiq; prima vice à crudeli, ac effera flagitioſorum hominum turba flagellis petitum fuiſſe. Rubricella enim prima in Monoteſſaron cap. 146. in illud Matthæi 27. Marci 14. & 15. Lucæ 22. & 23. & Ioannis 18. & 19. ad hunc modum ſcribit. *Intelligendum eſt, quod bis conuenerunt in domum Cayphæ reſeruato ibidem Chriſto, & à ſeruis cuſtodito non ſine contumelijs, & flagellis.* De ſecunda autem Chriſti flagellatione apertam mentionem facit idem Gerſon in Ioannem, nam ponderans illud Diui Ioannis teſtimonium, quo Aſſertorem duriſſimis ſubiectum fuiſſe flagellis fatetur, excepta ſuperiori, quæ oriebatur à militum immanitate, qua aduerſus Dominum afficiebantur, aliam fuiſſe autumat, quę nimirum feros, ac truces Iudaicæ gentis animos flectere ad pietatem poſſet, qualis ea fuit, quam necdum ſtatuta Chriſti morte, permittente Pilato, executi ſunt carnifices. Poſtremam verò flagellationem eam fuiſſe putat, quæ inferebatur crucifigendo iuxtà Romanorũ legem, qua cautum erat, vt prolata crucis ſententia, qui cruci affigendus erat, prius flagellis percuteretur. Nam Rubricella ſexta in illo Ioannis teſtimonio. *Tunc ergò Pilatus apprehendit Ieſum,* ſic loquitur; *Videntur etiam plures fuiſſe flagellationes Chriſti, vt iſta, quæ facta eſt ad ſatisfaciendum Iudæis, veluti quædam punitio; altera verò iuxta legem Romanorum, ſecundum quam prius flagellabatur occidendus.*

Alij, & meo ſanè iudicio melius, vt facilius ſe expediant ab ijs difficultatum tricis, quibus perplexę tenentur allatæ opiniones, ſuam ipſi opinionem docent huiuſcemodi

iuscemodi assertione. Si Iudæorum tyrannicam crudelitatem perpendamus facilè bis cæsum fuisse flagris Assertorem credi potest, quamuis vnius tantùm flagellationis ratio ex Euangelica narratione colligatur.

CAP. II.

Variæ allatarum opinionum rationes.

SEd age, ea, quę binam, vel trinam fuisse Christi flagellorum percussionem probabile, veroq; simillimum facere videantur, lectori patefaciamus. Principio Diui Matthæus, & Marcus de rebus à Christo gestis cõscribentes rectum narrationis ordinem tenuerũt, sed hi lata iam mortis Christi à Pilato sententia Christum flagellis cęsum commemorant, & nihilominus ex Sancti Ioannis historia cap. 19. habetur, ad efferatam Iudęorum rabiem demulcendam, Vindicem salutis nostræ ante omnem mortis sententiam eodem flagellorũ supplicio mulctatũ esse, duplicia igitur fuêre verberum opprobria, ac proinde binæ sanguinis effusiones.

Amplius Christum fuisse columnæ alligatum, cum cęderetur à militibus, ambigi non potest ex ijs, quæ à Virgine matre, Deoq; ipso docente se accepisse testatur
B. Brigita. Diua Brigita libro primo reuelationum c. 19. Vbi hęc habentur. *Deinde ductus ad columnam personaliter se vestibus exuit, personaliter ad columnam manus applicauit, quas inimici sine misericordia ligarunt. Alligatus autem nihil omninò operimenti habebat, sed sicut natus est, sic stabat, & patiebatur erubescentiam nuditatis suæ. Consurrexerunt autem inimici eius, qui fugientibus amicis suis vndiq. astabant, & fla-*

flagellauerunt corpus eius ab omni macula, & peccato mundum; eadem Brigita ſimilia narrat lib. quarto, cap. 70. Vbi, *deinde*, inquit, *iubente lictore ſe ipſum veſtibus exuit, columnam ſponte amplectens ligatur, & flagellis aculeatis infixis aculeis, & retractis non euellendo, ſed ſulcando totum corpus eius laceratur*. Huius etiam columnæ nobile, & clarum ex Sancto Hieronymo teſtimonium habemus, is enim in Epithaphio Paulæ numero vigeſimo, tomo primo ſuorum operum dominicæ flagellationis fulcimentum columnam fuiſſe ſcribit ad hunc modum. *Oſtendebatur illi columna Eccleſiæ porticum ſuſtinens infecta cruore Domini, ad quam vinctus dicitur, & flagellatus*. Hoc ipſum, quod cum Diua Brigita, ac Sancto Hieronymo hactenus docuimus, quia enucleatè, diligenterq; tradit Venerabilis Beda libro de locis Sanctis, libet præſenti loco totidem Bedę verbis referre. *In ſuperiori*, inquit ille, *montis Sion planicie Monachorum cellulæ frequẽtes Eccleſiam magnam circumdant illic, vt perhibent, ab Apoſtolis fundatam, eo quod ibi Spiritum Sanctum acceperint; ibiq; Sancta Maria obierit; in qua etiam locus Cœnæ Domini oſtenditur, ſed & columna marmorea in medio ſtat Eccleſiæ, cui adhærens Dominus flagellatus eſt*. Sic Beda. Quem ſequitur Gloſſæ auctor in illud Lucę 23. *corripiam eum* &c. Cuius hæc verba ſunt. *Hanc correptionem deridendo, & flagellando nefandorum deſiderijs exhibuit, ne vſque ad crucifigendum ſæuirent, quod etiam verba Ioannis Euangeliſtæ, & ipſa columna teſtatur, ad quam ligatus fuit Dominus, quæ vſq; hodie dominici ſanguinis cernentibus certa ſigna demonſtrat*. Porrò autem ex his omnibus ſic licet argumentari. Cruor Domini, quo marmorea columna

S. Hieron.

V. Beda. c. 3. libelli.

Gloſſa.

intingebatur, certissimus testis est Christum columnæ adhæsisse, cum sæuitiam flagellorum à militibus incussam experiretur; atqui aliâ, & diuersam Christi flagellationē concedere cogimur; duplex igitur erit inter flagella sanguinis Domini subsecuta effusio; nam Christus à Iudæis hoc ignominiosissimum pœnæ genus passus est; at Iudæis præceperat Deus, vt percutiendi humi prosternerentur ad flagella excipienda, Deuteronomij .21. vigesimo quinto ait Deus. *Sin aūt eum, qui peccauit, dignum viderint plagis, prosternēt, & coram se facient verberari,* debuit igitur Iesus, qui suadentibus Iudæis cædebatur, eorundem Iudæorum more flagellis peti.

Lex à Deo Iudæis data in flagellādis hominibus obseruanda.

Ad hæc Romæ in Sacris Ædibus Sanctæ Praxedi dicatis breuis columna sanguine Christi infecta nostris vsq; temporibus visitur, & à fidelibus populis summo pietatis, & reuerentiæ studio colitur; duæ igitur fuerunt lapideæ columnæ, quas humana Assertoris natura suo tactu sacrauit, dum bis flagellorum tormentis excarnificaretur; altera videlicet de qua Brigita, Hieronymus, Beda, & alij in suis scriptis loquuntur, altera verò, quā omni Religione Romæ colit.

Quid? an non duplicem fuisse Christi inter flagella cruoris inundationem declarant Populi Romani, & eorum, qui Romano subdebantur imperio, leges, & decreta, quibus sancitum erat, vt is, qui erat in crucem agendus, decreto iam Crucis supplicio prius flagellationis tormentum subire cogeretur? Cum igitur innocens agnus, & Procuratoris Romani iussu, & à Romanis pariter militibus tetris flagellorum ictibus plecteretur, inficiandum profectò non erit, Assertorem nostrum sæuissimas

uiſſimas luiſſe pœnas ſecunda vice, decreto iam mortis patibulo; hęc autem argumentatio tota dictis Sancti Hieronymi innititur in commentarijs ſuper Matthæi cap. 27. in illis verbis, *Ieſum autem flagellatum &c.* vbi id poſitum fuiſſe in more apud Romanos docet adhũc modum ſcribens. *Quærat eruditus Lector, quomodo ſibi conueniat, Pilatum lauiſſe manus ſuas, & dixiſſe, innocẽs ego ſum à ſanguine iuſti huius, & poſteà flagellatum tradidiſſe Ieſum, vt crucifigeretur. Sciendum eſt autem, Pilatum Romanis legibus miniſtraſſe, quibus ſancitum eſt, vt qui crucifigitur, prius flagellis verberetur. Traditur igitur militibus verberandus, & illud ſanctiſſimum corpus, pectus Dei capax, flagellis ſecuerunt*; Ex quibus poſtremis Hieronymi verbis ſatis apparet ipſum ſenſiſſe, poſt mortis ſententiam, à Pilato Chriſtum militibus, vt flagellaretur, traditum eſſe, quemadmodum verba illa clarè oſtendunt, *traditur igitur militibus verberandus*; Si autem poſt latum mortis decretum traditur verberandus, Chriſtum bis fuiſſe verberibus contuſum, palam eſt ex Sacra Ioannis Hiſtoria diligentiús in primo argumento ponderata.

S. Hieron.

Romano more cruci figendus flagellabatur.

CAP. III.

Sententia auctori magis præ cæteris probata.

HÆ tamen de duplici Aſſertoris flagellatione opiniones, ſicuti multis, ac ſanè grauiſsimis ſcriptoribus non placent, ità nec mihi vnquàm veritati congruentes viſæ ſunt; hi enim, quibus multiplicitas flagellationis probatur, omnes fermè Sanctos Patres aduerſarios habent, qui vnicam duntaxat Aſſertoris

S. Augst. flagellationem fuisse in suis scriptis memoriæ prodiderunt. Testatur hoc videlicet Diuus Augustinus de consensu Euangelistarum lib. 3. cap. nono, sic inquiens. *Ioannes autem, antequàm diceret, quod eum Pilatus crucifigendum tradiderit, commemorauit hoc dicens. Tunc ergò apprehendit Pilatus Iesum, & flagellauit, & milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti eius, & veste purpurea circumdederunt eum etc.* & paucis interiectis rem nostram apertè concludens subnectit. *Vnde apparet Matthæum, & Marcum recapitulandò istud commemorasse, non quod tunc factum sit, cum eum Pilatus crucifigendũ tradidit. Ioannes enim apud Pilatum dicit hæc gesta satis euidenter; Vnde isti quod præterierunt, recoluerunt.* Hęc Glossa. Augustinus, à quo non dissentiens Glossa in Matthæũ cap. 27.; *licet ista,* inquit; *flagellatio Christi ponatur hic post sententiam iudicis, tamen fuit ante facta, vt habetur Ioannis 19. quia ad hanc intentionem eum præcipit flagellari, & illudi, vt Iudæi essent satiati sanguine eius, videntes eum sic punitum etiam vltrà condignum, & ideò ponitur hic quasi per recapitulationem;* quibus testimonijs id commune est, vt velint Matthæum, & Marcum in flagellatione Christi litteris demandata ea vsos esse figura, quam recapitulationem Patres appellant, quæ in eo posita est, vt in historica narratione id, quod prius actum est, facti serie non seruata, posterius recenseatur, quod sæpènumero in rebus ad historiam spectãtibus vsu euenit, cùm aut scriptores breuitati studeant, aut inceptæ iam rei alicuius narrationis finem lectoribus aperire volũt, ne toties interrupta narratio nimis anxium, & suspensum legentis animum reddat, quia igitur, & breuitatis studiosissimi

ſiſſimi ſemper Marcus, & Matthęus fuêre, & de Aſſertoris condemnatione agere cęperant, propterea ne inſtituti ſermonis filum reſecarẽt, quę priori loco geſta fuerant, poſteriori, lata iam mortis ſententia, recoluerunt. Fauet præterea opinioni noſtrę Venerabilis Beda in eodem Matthæi loco, in quo verbum illud, *flagellatum* perpendens docet perſpicuè, tunc temporis nequaquá, lata nimirum ſententia, ſed potius ante ſententiam diro flagellationis ſupplicio dilaniatum fuiſſe Vindicis noſtri corpus. Bedę verba ſunt. *Primitus ipſe Pilatus flagellauit, poſt militibus tradidit illudendum, vt ſatiati pœnis, & opprobrijs eius Iudæi mortem vltrà flagitare deſiſterent.* ex quo Bedæ teſtimonio videant, ac cognoſcant quęſo illi, qui contrarię opinionis aſſertorem Bedam eſſe autumant, perpendant, inquam, amabò, quam benè conſentiat illius doctrinę, & opinioni contraria de multiplici flagellatione ſententia, & fateri cogentur nihil magis alienum à Bedę ſenſu poſſe reperiri; niſi fortaſſis ſibi repugnantem, ac ſui ipſius immemorem faciant eum, qui ſuis firmiſſimè dogmatibus adhęſit.

Beda.

Vindicatur Beda à falſa quadam opinione, quam illi doctores nonnulli adſcribunt.

Etenim ſolam, & vnicam Chriſti flagellationem nõ in commentarijs modo ſuper Matthęum, ſed etiam in alijs in Lucam, Marcum, & Ioannem editis agnouiſſe Bedam clara illius doctrina teſtatur, quam vnuſquiſque tomo ſuorum operũ quinto legere, ac meditari poteſt. Nec aliud ſenſêre cęteri patres communiter, quorum opinionem, quô eam longè omnibus alijs veriorem oſtendam, aliquot ex ſacra ſcriptura productis rationibus ornare, atque confirmare nullum planè operę pretium non fuerit.

Et ante

Et antè omnia quidem hi ipsi Euangeliorum Matthæi, & Marci contextus, quibus contrariam defendẽtes opinionem nos oppugnant, causam nostram perbellè tuentur, si in propria significatione intelligantur; nam codicum verba sunt. *Tunc dimisit illis Barabam; Iesum autem flagellatum tradidit eis, vt crucifigeretur*; quibus ego innixus sic arguo. Assertor noster à Pilato militibus consignatur cruci confodiendus, atqui non flagellandus, sed flagellatus illis traditur, ante igitur mortis sententiam fuerat verberibus cęsus; Quę argumentatio ad hunc modũ clarius illustrari potest; vel enim, qui cõtrarię fauent sententię, opinantur ante mortis dominicę decretum duplici flagellationis pęna affectum esse à militibus Christum; aut certe post; nullus enim eo breui temporis spatio, quo prolata est mortis sententia, Christum fuisse flagellis punitum, ausus est affirmare; sed non asserunt primum, quemadmodum certè affirmare non possunt, igitur duntaxat supereſt secundũ, ad quod confugiant; sed illud tutum haud est refugium, nam sic respondentes interpellabimus, vt indicent nobis aliquem sacrę historiæ locum, quo secundam hanc ab ipsis excogitatam flagellationem comprobent; quem cum nequeant assignare, iam hoc ipsũ indubitata omnibus erit argumẽtatio, id quod asserunt, temerè fictum esse, loci enim illius, *& tradidit Iesum flagellis cæsum, vt crucifigeretur*, germanus sensus est. Iesum, in quem ante latam mortis sententiam Iudęi sęuierant duris verberibus, vt illo terribili supplicio iudaica rabies coërceretur, lata iam mortis sententia, à Pilato oblatum esse militibus, vt crucifigeretur.

Quòd

Quòd ſi dicant, vt certè dicunt, ſemel ante iudicis ſententiam, & ſecundò poſt prolatam ſentẽtiam flagellationis vulnera, & plagas fuiſſe Chriſto Domino inflictas, iam contrà præſentem reſponſionem primum argumentum militat.

Ad hæc, ſi ita ſe res haberet, vt autumãt illi, bis diuinę ceruices intertexta ſpinis corona redimitæ fuiſſent, ſemel Chriſti corpus, atq; iterũ ad deriſionem, & cachinnos excitãdos coccinea indutum chlamyde fuiſſet; bis tandem arundineum illius manibus ſceptrum impoſitum eſſet; hæc enim omnia ſimiliter, ac flagellationem, iudicis ſententiam ſecuta eſſe, narrat Diuus Matthæus eodem illo capite ſic ſcribens. *Ieſum autem flagellatum tradidit eis, vt crucifigeretur; tunc milites præſidis ſuſcipiẽtes Ieſum in prætoriũ, congregauerũt ad eum vniuerſam cohortem, & exuentes eum, chlamydem coccineam circundederunt ei, & plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput eius, & arundinem in dextera eius, & genu flexo ante eũ illudebant ei dicentes, aue Rex Iudæorum;* Quæ tandem ludibria, vel ipſis aduerſarijs aſſentientibus, patientiſſimè pertulit Xps ante quàm ad crucẽ ſuis humeris aſportandã damnaretur, vt locuples teſtis, & auctor eſt Ioannes cap. 19.

Amplius nullum temporis ſpatium interfuit inter capitalem mortis ſententiam, & iter, quo Chriſtus ad deſtinatum patibuli locum ductus eſt, vti apertiſſimè docet idem Ioannes, qui poſtquam de condemnatoria mortis ſententia verba fecit, ordine quoq; ſuo perſequẽs ſubdit. *Tunc ergò tradidit eis illum, vt crucifigeretur. Suſceperunt autem Ieſum, & eduxerunt eum. Et baiulans ſibi crucem exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ, locum;* Non potuit. Ioann. 19.

potuit igitur post latam crucis sententiam flagellari.

At posset fortassis cuipiam videri parum roboris habere hæc argumentatio; quandoquidem potuit flagris torqueri Dominus in ipso ad Caluariæ itinere, dùm defessis humeris graue crucis pōdus gestabat; nouimus enim, vt nobiles plerique; antiquæ eruditionis, & priscæ illius veterum Romanorum ętatis diligentissimi obseruatores tradunt, aliquos sub ipso crucis ligno, & in ipsa ad supplicium via cruci affigendos, flagellis peti cōsueuisse; quod quidem Christo accidisse persuadet intestinum, capitaliq; odium illud, quo Iudaica gens innocētem Iesum persequebatur, quæ nunquam, aut pœnis, vel maximis satiari, aut omnimoda sanguinis Christi effusione placari potuit. Verùm qui talia opponit, videtur sine dubio memoria lapsus, & eorū minimè memor, quæ cap. 27. tradit Diuus Matthæus, qui non in via, nec sub crucis pondere, sed in Prędidis Prætorio flagellationis Domini locum fuisse docet; neq; aliam licet fingere flagellationis sedem, nisi fortasse quempiam iuuaret non sacra scriptura duce, sed futilibus coniecturis, inaniq; diuinationis arte rimari certissimum redēptionis nostræ mysterium.

Et tandem, si diuino penè miraculo factum est, vt inter tot, tantaq; flagellorum vulnera diuinum spiritum non efflarit Christus, profectò capere nequit mens humana, qua ratione superaddita noua flagellationis crudelitate humanum Assertoris corpus vitam cum morte non commutasset; si enim plerique; semel duntaxat hac tormentorum spetie circumuenti barbarica militum immanitate aliquando sub flagellis interempti fuēre,

Sub flagellis nonnulli interiere.

vt

vt de pœnis ſcribit Vulpianus; potiori profectò ratione Dominus, qui nobiliſſimæ fuit temperationis, quiq; horribili modo prima vice dilaniatus eſt, in ſecunda flagellatione oppetijſſet.

CAP. IV.

Explicantur oppoſita argumenta.

VEnio nunc ad diſſoluendas oppoſitas rationes, quarum prima ſatis explicata, atq; declarata eſt ex ijs, quæ paulò ante diximus; vbi rectum hiſtoriæ filum in flagellatione enarranda Matthæum, & Marcum iuſtiſſimis de cauſis non tenuiſſe diximus, qđ quia D. Ioannes Euangeliſta optimè tenebat, ideò vltimus inter Euangeliſtas in factis Chriſti litteris conſignandis alta diuini ſpiritus diſpoſitione rectũ ordinem ſecutus eſt, flagellationisq; cauſam, & tempus largè, copioſeq; explicauit.

Ioannes rectũ flagellationis ordinem tradidit.

Ad ſecundum inficiari nemo poteſt, Chriſtum, cùm à militibus cęderetur, fuiſſe columnę alligatum, vt citata Sanctorum Patrum teſtimonia demonſtrãt; quare licet ex ſacris litteris id erui non ita facilè poſſit, minimè tamen in hac re videtur hæſitandum, cum fuerit ſemper certiſſimum dogma iam indè à primis naſcentis Eccleſiæ temporibus ad nos vsq; hęreditaria fidelium traditione deriuatum, ſummaquè omnium aſſeueratione, & communi voce, aſſenſuq; comprobatum.

Quam Sanctorum Patrum, & Eccleſiæ Catholicæ traditionem ſi absq; peruerſo mentiendi ſpiritu adnotaſſet infamis nouę ſemper blaſphęmię parens Caluinus

Caluinus Canillus.

libro de reliquijs, veram hanc fidelium traditionem tã-
tis opprobrijs nõ cõsectaretur, insanè affirmans Papistas
non iuxtà sacram Euangelij scripturam, sed ad libitum
adinuenisse, Assertorem columnę, cum flagris peteretur,
fuisse religatum ; Nam esto, etiam ex sacro Euangelio
haud colligi posse corporis Christi vndiquè verberibus
afflicti columnam fulcrum extitisse, columnam tamen,
tamquam dominicę flagellationis testem, & fulcrum
nostro marte non excitamus, sed grauissimorum patrũ
fide, & doctrina præstantium testimonis innixi, vti in
superiori argumento ex Sancti Hieronymi, Beatæ Bri-
gitę, Venerabilis Bedę, & aliorum auctoritate ostensum
est ; quibus addi potest Gregorius Turonensis libr. pri-
mo de Gloria Martyrum capit. septimo hanc stabilem
Christiani nominis veritatem docens his verbis. *Ad
hanc columnam multi fide pleni accedentes corrigias textiles
faciũt, quas rursus pro benedictionibus recipiunt diuersis infir-
mitatibus profuturas*. Nec illud modicam opinioni no-
strę fidem adiungit, quod est apud Nicephorum Cali-
stum Ecclesiasticæ historię cap. trigesimo, vbi agens de
magnificis ædificijs à Sancta Helena ad sempiternum
Christi, Deiparæq; Virginis honorem regali liberalitate
extructis, sic habet. *Cæterum in Vrbem sanctam reuersa
Helena, in Sion amplissimum longè, lateq; construxit templũ,
in cuius postico domũ circumfulsit, in qua foribus clausis pro-
pter metum Iudæorum discipuli fuerant congregati*, & mox,
*In eo templo marmorea quoq; fuit columna, ad quam, cùm
flagellis cæderetur, alligatus est Saluator*. Sic Nicepho-
rus. Sed quid moror? certè non aliud quam columnam
fuisse, cui adhærebat cruci suffigendus, etiam prisca illa

Gregorius Turonẽsis.

Nicephorus Callistus.

hominum

hominum ætas aſtruit; Armidorus enim apud Lipſium ſerui ſomnium commemorans verberandos columnæ alligari ſolitos dixit adhunc modum ; *columnæ alligatus multas accepit plagas*, ad quem flagellandi morem alludens Plautus. *Adducite huc*, inquit,

Intro, atq; aſtringite ad columnam fortiter. Sed iam reuertamur ad argumenti ſolutionem, pro qua cõſtanter aſſerimus, ex confirmatione illa non fieri neceſſariò conſequens, vt duæ fuerint Chriſti flagellationes ; nam etſi verum ſit, eam flagellandi conſuetudinem à Deo Iudæis fuiſſe demandatam, ac ab eodem populo diligentiſſimè obſeruatam, non me tamen hoc vrget ; nam ſicuti Aſſertor noſter à Gentilibus (Iudæis tamen ſtimulantibus) flagellis petebatur, ſic pari ratione, non Iudaico, ſed Romano more flagellationis tormenta ſenſit.

Ne verò præſens reſponſum futile exiſtimetur, ſciendum eſt in citato Deuteronomij capite ab eodem Legiſlatore Deo certum quendam plagarum numerum definitum fuiſſe, quem excedere nemini ſine magno impietatis ſcelere fas erat. Legis verba ſunt. *Pro menſura delicti erit, & plagarum modus, ita duntaxat, vt quadragenarium numerum non excedant* ; quam tamen menſuram alioqui Dei iuſſu obſeruandam, Aſſertoris noſtri verbera nimis exceſſerunt, cùm ea ad quinque, vel ſex millia peruenerint.

At inquies, Iudæos, quô Chriſtum perdere poſſent in tetris, adeò ignorantiæ tenebris obuolutos, ſeu, vt verius loquar, Diabolo ſtimulante, & peccatorum ſuorum pondere oppreſſos, ac tanta obcęcatos fuiſſe malitia, vt diuinas, à Deo videlicet preſcriptas, circa flagellationem

leges, ſicuti humanas, facilè violare parati fuerint, vti re ipſa fecerunt. Sed non eſt id proculdubio factũ, quamuis enim Iudaica impietas, (ſi aliter voti ſui compos fieri haud potuiſſet,) immane quoduis facinus non erubuiſſet perpetrare, attamen quia ſimulata legis obſeruantia ſe teneri palàm profitebantur, ac idoneos ad id, quod votis omnibus expetebant, eoſdemq; feroces, ac impios carnifices ad omne ſcelus paratiſſimos habebãt; propterea à Romanis militibus, quibus nullus erat verberum præfixus numerus execrandum crudelitatis ſcelus peractum eſt.

A Gentilibus Christus flagellatur.

Quia autem quarta argumentatio, quæ in ſe grauem quæſtionem continet, peculiarem ſibi diſputationem exigit, qua omnia, quæ difficultatem ingerunt, ſatis explicentur, idcircò mox erit diſſoluenda poſt expeditas cęteras argumentationes, quæ adhúc reſtant.

Ad quintum hoc reſponſum habeto, mos quidem fuit Romani populi vſitatus, & communis, vt crucifigendi ante incuſſum mortis ſupplicium flagellis verberarentur, vt hac ignominia ab honeſtorum, nobilitatisq; genere præſtantium virorum ſocietate ſepararentur, non tamen propterea hinc inferri poteſt lata mortis ſententia eum ipſum, qui prius tantum dedecoris ſubierat, eidem infamiæ iterum fuiſſe obnoxium; ſatis enim Romanorum legibus, & conſuetudini tribuebatur, ſi is, qui in cruce erat confodiendus, quouis temporis ſpatio, in quo de morte illius agebatur, ſiue ante, ſiue poſt mortis ſententiam, flagellorum ſupplicio mulctatus foret, hæc enim ſola ignominia perpetuam ei, qui flagellabatur, inurebat infamiam, qua ab honeſta hominum

conſue-

consuetudine eliminabatur, ad quèm finem duntaxat ante crucis supplicium flagellationis mos inualuerat.

Quod solummodo voluit Diuus Hieronymus in citato Matthæi loco, cuius mens fuit flagellationis causam sciscitantibus patefacere, vti verba illa, *Quærat pius Lector &c.* indicant. Quare Diui Hieronymi testimonium non sic intelligendum est, quasi à Pilato traditus esset Iesus anteà flagellatus, vt recenter nouo flagellationis plecteretur supplicio, sed ita explicandum est, vt Christus, qui crucis patibulum nõ videbatur posse euitare ob acerbam Iudæorum rabiem, etiamsi is a Præside innocens dignosceretur, à militibus permissus sit flagellari, quoniam Iudex Romanis legibus ministrabat, quibus cauebatur, vt crucifigendus id infamiæ genus secum ante Crucem ferret. An autem hæc Assertori incussa flagellatio mortis sententiam anteceſſerit, an verò eam fuerit subsecuta, curiosiùs indagare non curauit eò loci Hieronymus, quippequi a Pilato concessæ flagellationis rationem attingere tantùm studebat.

At inquies rursus, ex hac nostra Diuum Hieronymũ explicandi ratione non minuitur, sed augetur magis difficultas; si namq; ob iam decretum mortis supplicium ex Sancti Hieronymi sententia Pilatus Romanorum vestigijs insistens Christum concessit militibus, vt verberibus afficeretur, manifestè post latam mortis sententiam Dominum flagellis pænè attritum fuisse concluditur; neq; enim alio tempore, quam post declaratam mortis sententiam puniri potuit Assertor, vt Romanorum consuetudini satisfaceret Præses; quòd si affirmaueris, iam duplicem Christi flagellationẽ haud poteris

infi-

inficiari; At hoc telum, etsi videatur perquam validū, repelli tamen potest, si animaduertamus duplici titulo Christi percussionem fuisse militibus à Pilato demandatam, dum adhuc liberare se posse Dominum sperabat. Primò, vt hoc diro, ac infami pœnarum supplicio ad misericordiam sic flectere posset truces Iudæorum animos, vt hinc dominico sanguine inebriati ardentem mortis illius sitim extinguere possent. Secundò, vt illa eadem flagellatione si minus ex animi sententia Christum è Iudæorum tyrannide vindicare sine tumultu Pilatus potuisset, saltem Romanorum consuetudini satisfaceret; cuius duplicis tituli rationem etsi non aperuerit Diuus Hieronymus, nullibi tamen tacitè, vel expressè negauit posteriorem, quandoquidem de priori manifesta est Hieronymi opinio. Quare, vt paucis rem totam expediamus. Ex Diuo Hieronymo hoc solùm haberi potest, flagellatum fuisse Dominum, quoniã erat crucifigendus; nõ quòd decretum fuerit à Pilato mortis supplicium, cum flagellatio permissa est; Sed vt, (si minus Christum defendere nõ valuisset Pilatus,) hac pœna, qua suprà modum miserrimè excruciabatur, Patrias leges impleret; quia igitur prima spe frustratus est Præses, propterea non ad placandos Iudęos, sed ad institutum populi Romani seruandum volitam à Pilato Xpi flagellationem esse dixit Hieronymus; quamuis dici etiam congruenter possit, Diuum Hieronymum in assignanda flagellationis dominicę causa ea figura vsũ fuisse, quã anticipationem sacri scriptores dixêre, iuxtà quã dixit Hieronymus à Pilato permissã esse flagellationem intuitu crucis, quàm subire debebat Dominus, cũ

necdum

necdum Aſſertor noſter finali Iudicis ſententia ad Crucem eſſet damnatus; qua ratione latinorum Poetarum facilè Princeps Maro libro quarto Æneidos infelicem Didonem appellat paſſim, antequam aliquod infelicitatis ſuę indicium mente, animouè concipere poſſet. *Virgilius Maro li. 4. Æneidos.*

DISPVTATIO VNDECIMA.

De flagellationis Chriſti columna.

CAP. Vnicum.

Vna ne, an duplex fuerit columna, cui adhærens Dominus flagellatus eſt.

PRO explicatione eius difficultatis, quæ in quarto ſuperioris capitis argumento inuoluitur, quærendum eſt, num vna, an potius duplex columna fuerit, cui Saluator adſtrictus eſt, dùm flagellis petebatur. Clara autem eſt hac de re dubitandi ratio. Nam cum vnica duntaxat vice Chriſtus flagellatus ſit, quemadmodum anteà probauimus; profectò, vel ex hoc ſolùm colligi videtur vnicam fuiſſe pariter flagellationis dominicæ columnam. At verò, ſi perpendantur, quæ Diuus Hieronymus, & Beda tradunt de hac flagellationis Chriſti columna, ea non obſcurè innuunt vnam, & alteram concedendam eſſe Saluatoris noſtri grauiſſimis verberibus afflictati colũnam; etenim præter eam, quę porticum templi montis Sion ſuſtinet, alteram in Templo S. Praxedis colũnam

Romæ

Romæ nostris hisce temporibus summa omnium Religione obseruari certũ est ex ijs, quæ prodidit Raphael Volateranus hæc de Ioanne Cardinali columna scribẽs. *Reuertens verò columnam, cui Christus alligatus ad plagas fuerat, secum attulit, quæ nunc apud ædem Sanctæ Praxedis visitur.*

Lib. antropologiæ. 21.

Iacob. Bossius libr. de triumphanti Cruce.

Nonnulli doctores hoc ipso argumẽto permoti, certũ simũ arbitrantur Saluatorẽ bis flagellatũ fuisse, pariterq; duplici, ac diuersę columnæ fuisse reuinctum, dum crudeli supplicio plectebatur. Horum opinioni mirificè fauet ea inscriptio, quæ Ioannis Cardinalis Columnæ prȩcepto marmoreę petræ in sacello Diuę Praxedis existenti, ac omnibus conspicuę superposita est, cuius hæc verba sunt. *Columna, quæ in Sancta Capella reconditur huîc depictæ omninò similis non ea est, quæ templi porticum sustinebat, ad quam Dominus Iesus Christus in suæ passionis nocte alligatus, illusus, & verberatus fuit: Sed ea est, quæ in Pilati Prætorio pro fustigationis supplicio aderat, ad quam Dominus Iesus Christus iubente Pilato flagellatus est. Integra enim est, nec maior erat, ne posterior flagellandi hominis pars ab altiori columna tegeretur, quam Ioannes Cardinalis Columna Legatus Apostolicus in partibus Orientalibus sub Honorio III. circa annum Domini M. C C. X X I I I. huc asportauit.* Porrò hæc inscriptio si vera est, manifestè persuadet, diuersam ab ea columna, cuius mentionem D. Hieronymus, & Beda faciunt, aliam Romæ columnam reperiri, cui in perferendis flagellorum ictibus Mediator Iesus adhæsit. Præterea in hanc ipsam opinionem abijsse videtur Diuus Ioannes Chrysostomus, dùm super illis verbis sacræ Matthęi historię. *Tunc dimisit illis Barrabam*

D. Io. Chrysostomus.

bam, Ieſum autem flagellatum tradidit eis, vt crucifigeretur, hæc habet. *Cur autem flagellauit, & poſtmodum dimiſit?* Quæ verba expendens Boſius vir in primis doctus, ergò inquit, Diuus Ioannes Chryſoſtomus pro certò habet, Chriſtum prius fuiſſe flagellatum, antequam Iudæorũ voluntati concederetur. Amplius idem Diuus Ioannes Chryſoſtomus reliquum hiſtoriæ ſacri codicis explicãs in illis verbis. *Tunc milites præſidis accipientes Ieſum in prætorio*, expreſsè docet nouo rurſus flagellationis ſupplicio affectum fuiſſe Dominum, dùm inquit. *Caput enim illud ſacratiſſimum modo colaphis, modo calamo cædebãt, modò corona ex vepribus contexta*, & mox paucis interiectis. *Quippè cum non membrum vnum, ſed vniuerſum corpus atroces has iniurias pateretur, caput corona, calamo, pugnis, facies ſputis, maxillæ alapis, corpus reliquum flagellis.* Hactenus ex Chryſoſtomo, ex cuius opinione conuincitur, duplicem fuiſſe Chriſti flagellationem, alteram, nec dum lata mortis ſententia; alteram verò poſteaquàm Chriſtum Pilatus morti adiudicarat; ergò duplex ſimiliter columna fuerit, neceſſe eſt; Tandem columna, qua templum ab Helena regijs ſumptibus conſtructum in montis Sion planitie fulcitur, non niſi magnę molis eſſe debuit, quô oneri perferẽdo ſufficeret; at quæ in Sacris Diuæ Praxedis ædibus reperitur, breuis, & perexigua eſt.

Homil 87. in Matth. 27.

Homil. 88.

Ludulphus Saxo, vt hanc difficultatem tolleret, vnicam flagellationis Chriſti columnam fuiſſe ſcribit, eam videlicet, de qua Diuus Hieronymus, & Beda ſuperius loquuti ſunt, cuius certa quædã pars ea ipſa columna eſt, quæ in ſacello Sanctæ Praxedis cernitur. Ludulphi

De vita Chriſti p. 2. cap. 62. circa medium.

verba sic habent. *Cuius columnæ aliqua pars ostenditur Romæ in Ecclesia Sanctæ Praxedis. Maior autem pars fertur esse in Ecclesia montis Sion in loco, vbi prænunciatur Euãgelium, quæ secundum Bedam dominici cruoris vsquè hodie cernentibus vestigia certa demonstrat.* Quàm etiam opinionem auctor annalium spinæ amplexatus est, dũ inquit: *Pars aliqua de columna flagellationis Christi in Cathedrali Beatæ Mariæ Deiparæ Virginis templo in summa aracum multorum Christi comitum Sanctorum reliquijs reposita colitur. Ostenditur & alia huius columnæ pars Romæ in Ecclesia Sanctæ Praxedis. Maior verò pars Hierosolymis fertur esse in Ecclesia montis Sion.* Sic ibi; ex quibus omnibus habetur vnam, & eandem esse Christi columnam, quæ in tribus dissitis admodum, & diuersis omninò locis reperitur. Quod ipsum fermè credidit Marianus Victorinus in Scholijs Epitaphij Paulę editis in Diuum Hieronymum numero vigesimo sic scribens. *Dilucidè hinc apparet veram esse Ecclesiæ traditionem, quod Dominus noster Iesus Christus ad columnã alligatus, flagellatus fuerit. Huius columnæ pars Romæ Exquilijs in Templo Sanctæ Praxedis monstratur.* Hæc Victorinus, in quem, sicuti in Ludulphum, cęterosq; huius sententię propugnatores testis stat ea ipsa columna, quæ in Templo S. Praxedis visitur, quippèquę non maioris columnę pars, vt illi autumant, sed integra, cõpleta, & perfecta colũna esse obtutu ipso cognoscitur, sic certo studio, ac peculiari industria elaborata, quô faciliùs sęuire possent carnifices in crucifigendi hominis dorsum; non enim alio spectat breuitas columnæ in Templo Sanctæ Praxedis asseruatę, in cuius sũmitate anulus ferreus situs est, quo

Auctor annaliũ spinæ.

Marianus Victorinus.

strícti,

ſtricti, & reuincti tenebantur crucifigendi homines, ne ſęuos flagelli ictus quoquomodo declinarent.

Mihi perobſcuram difficultatem iſtam non ſemel cogitanti vnica duntaxat flagellationis dominicę columna fuiſſe videtur, quemadmodum facilè perſuadent ea omnia, quę ſuperius de vna tantùm flagellatione tradidi. Non tamen in hanc opinionem rapior ſuperioris vltimę ſentẽtię firmamentis compulſus, cum apprimè nouerim eam ipſam columnam in Templo Sanctę Praxedis conſtitutam non fuiſſe portionem eius, quę olim in monte Sion ſtetit, ob tactam paulò ſuperius rationem certè apertiſſimam; ſed magis ad hanc opinionem allicior, eo quòd videam minus tutam, ac fortè etiã apud veritatis Catholicę hoſtes periculoſam eſſe multi iugis colũnæ aſſertionem, quæ nullis vel ſacrę ſcripturę, vel ſanctorum Patrum, vel antiquorum ſcriptorum teſtimonijs confirmari poteſt. Cùm tamen è contrà vnius columnę perpetuus, atq; ab ipſis Eccleſiæ incunabilis omnium fidelium ſenſus, & cogitatio fuerit ſemper perpetua quadam, ac ſtabili ratione. *Auctoris iudicium.*

Quid igitur? commentitiam, & falſam ex duabus recenſitis columnis, teſtimonioq; grauium auctorum approbatis, alterutram columnam aſſeremus? Minimè; ſed eandem penitus columnam fuiſſe arbitramur; quæ Venerabilis Bedę, & Diui Hieronymi temporibus in monte Sion; ſubſequentibus verò poſteà ſeculis opera Cardinalis Columnę diruto iam Deiparę Virginis Templo Romam delata fuerit. Et licet hanc opinionem noſtram ea ipſa columnæ inſcriptio, quàm ad perpetuã rei memoriam poſuit Cardinalis Columna, auerſetur,

non ab ea tamen protinus recedendum est, cum allata inscriptio eodem, ac assertio nostra complicata nexu teneatur; certum siquidem, ac fidele locupletis auctoris testimonium desideratur quo inscriptionis veritas, & fundamentum patefiat.

Responsio. Ex quo corruit primæ opinionis præcipua ratio; siquidem iure vereri potest Lector de ea inscriptione, cui præter nudam Cardinalis Columnæ, vel certè eius, qui inscriptionem posuit, assueverationem, nulla adesse pōt, siue recentiorum, siuè antiquorum scriptorum auctoritas; qua nos doceamur, hanc in templo Sanctæ Praxedis custoditam Mediatoris nostri columnam non eam esse, de qua citati Patres loquuti sunt. Maximè cum ex sacris Euangeliorum codicibus vnius duntaxat flagellationis, ac proindè etiam columnę vnius attestatio colligatur.

Quòd autem ad productum ex Diuo Ioanne Chrysostomo testimonium spectat, in nostris codicibus è græco in latinum versis citata omnia verba non habentur; sed eius loci sententia huiusmodi est. *Cur flagellis cædit?* ac protinus. *Aut quasi*, inquit D. Chrisostomus, *condemnatū, aut quasi formam iudicio quandam afferens, vel vt Iudæis gratam rem faceret.* Sed faciamus quæso, eam esse Beati Chrysostomi lectionem: an non illatio, quæ ex illis verbis colligitur, consilium nostrum iuuat magis, quàm arguit? quandoquidem ante, non verò post latam mortis Christi sententiam flagellatum fuisse Saluatorem ex sacra Ioannis Apostoli historia latissimè probauimus. Quarè licet Diui Matthæi codicis seriem consectans Sanctus Chrysostomus homilia. 88. facta

iam

iam mortis Chriſti iudicio flagellatum fuiſſe Saluatorem tradat, id tamen per figuram recapitulationis, vt aiunt, Diuum Chryſoſtomum feciſſe putandum eſt, quippèqui eius Euangeliſtę hiſtoricam ſeriem ſequebatur, qui, vt anteà docuimus, de flagellatione dominica non niſi per recapitulationis figuram diſſeruit.

Grandiorem verò ea, quæ in Eccleſia Sanctæ Praxedis repoſita eſt, fuiſſe columnam, quà porticus Eccleſiæ montis Sion ſuſtentabatur, vltima ſede adducta argumentatio non peruincit, cum hæc ipſa Sanctæ Praxedis columna, vt potè marmorea eius Tẽpli ſolidum firmamentum eſſe potuerit, quod duntaxat Bedæ, & Diui Hieronymi teſtimonia perſuadent; neq; enim ex magna eius templi mole maiorem columnę longitudinem argumẽtari licet, cum etiam hac noſtra tempeſtate videamus, id, cui alicuius ædis porticus nititur, non ſemper magnæ molis eſſe; maximè cum eidem ipſi columnæ ſuperaddi potuerint ea, quæ ad quamlibet templi Sion amplitudinem, & magnificẽtiam, porticusq; altitudinem exigerentur.

Tandem, quod aduerſus omnes in oppoſitum adductas argumenrationes militat, addo, columnæ templi montis Sion, (ſi ad eam, vt primæ opinionis auctores arbitrãtur, in excipiendis plagis Saluator alligatus fuit,) repugnaſſe longitudinem maiorem ea, qua nunc conſtat cuſtodita in templo Diuæ Praxedis columna; quãdoquidem magnitudo, ac longitudo illa columnæ certo fuiſſet impedimento, ne poſteriores corporis Chriſti partes flagellis tunderentur, quas tamen ictibus dilaniatas eſſe certò ſcimus.

D. I-

DISPVTATIO DVODECIMA.

De effuſione ſanguinis in Cruce peracta.

CAP. I.

De nonnullis hæreticorum erroribus circa effuſum Chriſti ſanguinem in Cruce.

POſtulat ſubindè ſuſcepti muneris ordo, vt expediatur tertia difficultas, quæ eſt de ea ſanguinis dominici effuſione, quę erumpens ex corporis Chriſti partibus trãsfoſsã ferreis clauis crucẽ, vicinasq; cruci terræ partes irrigauit; in qua contrariæ de hac re opiniones diligenter examinandæ ſunt, & explicandæ, vt hinc quid nobis tutius videatur, aperiamus; quæ enim ex pertractandis opinionibus rectæ rationi congruat, difficile profectò erit iudicium, præſertim cum fermẽ omnia in hac difficultate dicẽda, ſi contrarias Doctorum auctoritates excipias, non ſacris ſcripturæ locis, ſed ſolerti tantùm ſuperioris Romanorũ ęui coniectationi innitantur. In hac igitur ſubobſcura de ſanguine Chriſti diſceptatione certior, expeditiorq; cognoſcendę veritatis via ea eſt, quæ ex ferreis clauis Chriſti membra confodientibus peti poteſt; maior. n. vel minor illorum numerus plures etiam, aut pauciores ſanguinis profuſiones indicabit, ſiquidem violentus clauorum per Chriſti membra tranſitus toties ſanguinẽ excitauit, quoties adactus malleo clauus ſacratam Vin-

dicis

dicis noſtri naturam transfodit. Hoc iter, quod tutiſſimum eſt, incertum tamen, fallax, & anceps eſſe verentur ij, qui incerta pro certis, & falſa pro veris arbitrari non erubeſcentes certos veritatis Catholicæ tramites deuitant, & ad confragoſa hęreticę malignitatis prę-cipitia confugiunt. Aliqui enim in infamem adeò lapſi ſunt inſaniam, vt affirmare palam, vulgòque profiteri auſi fuerint, Xp̃m Dñm nullas sãguinis ſui guttas profudiſſe, nullũ mortis luiſſe pro peccatorib. ſupplicium, ac deniq; nullis clauis confixum è ſalutari ligno pependiſſe; ſed eius loco Simonem quendam Cyrenęum cruci fuiſſe confoſſum à Iudęis; cuius dementię auctor, & magiſter Baſilides fuit, vti teſtatur Epiphanius libro primo contra hæreſes eo capite, cui titulum fecit contra Baſilidianos; quorum errores, vt planiùs iutelligantur, & intellecti confutentur, ipſa Epiphanij verba hîc adſcribam, quæ ſic habent. *Quin Baſilides & idem de Chriſto, velut qui in apparentia apparuerit opinatur; eſſe aũt ait ipſam phantaſiam in eo quod apparuit, non eſſe autem hominem, neq; carnem ſumpſiſſe. Confingit porrò nobis alium fabulæ actum ſecũdus ille imitator in tractatu de Cruce Chriſti, non Ieſum eſſe paſſum aſſerens, ſed Simonem Cyrenæum, nam quoniam dùm Dominus ex Hieroſolymis exturbaretur, velut Euangelij ſeries habet, coëgerunt quendam Simonem Cyrenæum ad portandam Crucem, Hinc reperit, vt nequiciei ſuæ tragædiam confingeret, & illum, inquit, in eo, quod portabat Crucem, transformatum in ſuam ſpetiem, & ſe ipſum in Simonem, & pro ſeipſo tradidit Simonem, vt crucifigeretur, cum autem ille crucifigeretur, ſtabat ex oppoſito inuiſibilis Ieſus deridens eos, qui Simonem crucifigebant. Ipſe verò diſceſſerit*

Baſilidis error.

Epiphan. tom. 2 circa medium.

ad

ad cœlestia tradito Simone ad crucifigendum, & illæsus processit ad Cœlum. Verùm ipse Simon crucifixus est, & non Christus, Iesus enim, inquit, sublatus in cœlum penetrauit omnes virtutes, donec restitutus est ad proprium primum patrem.

S. Irenæus. Sic Epiphanius; quo antiquior similia prodiderat Irenæus libro primo contra hæreses capit. vigesimo tertio, numero 3. vbi furorem perciti Basilidis commemoras scribit ad hunc modum. *Quapropter, neq; passum eum, sed Simonem quendam Cyrenæum angariatum portasse crucẽ eius pro eo, et hunc secundũ per ignorantiam, & errorem crucifixum, transfiguratum ab eo, vti putaretur ipse esse Iesus, & ipsum autem Iesum Simonis accepisse formam, & stantem irrisisse eos, quoniam virtus incorporalis erat æterna innati patris, transfiguratum quemadmodum vellet, & sic ascendisse ad eum, qui misit eum derisentem eos, cum teneri non posset & inuisibilis esset omnibus. Et liberatos igitur eos, qui hæc sciant à mundi fabricatoribus principibus, & non oportere eos fateri cum, qui sit crucifixus, sed eũ, qui in hominis forma venit, & putatus sit crucifixus, & vocatus sit Iesus, & missus à Patre, vt per dispositionem hanc opera Mundi fabricatorum dissolueret. Si quis igitur, ait, confiteretur crucifixum adhuc sic seruus est, & sub potestate eorum, qui corpora fecerunt, qui autem negauit liberatus est quidem ab ijs, cognoscit autem dispositionem innati Patris, animæ autem soli esse salutem, corpus enim natura corruptibile existit.* Hactenus verba sunt Irenæi. De eodem hæretico furore videndus Diuus Augustinus contra hæreses, Eusebius in historia, Tertullianus, & inter recentiores Pracleolus Elencho alphabetico hæresum libro secundo, numero 12. verbo Basilidiani. Huius autem delirij fundamentum illud maximè

simè fuit, quod ex Epiphanio, & Ireneo intelligimus; opinabatur enim mendatiorum nouus hic pater Basilides Dei filium, quamuis in terris cum hominibus diuersari videretur, nequaquam tamen vera humana carne fuisse indutum, sed apparenti tantùm, & simulata, eumq; ad nos è cœlo in terram venisse volebat, nõ quô vitæ, sanguinisq; sui profusione omnia generis humani crimina aboleret, sed tantùm vt litem, quę inter secũdos Deos mundi, vt ille somniabatur, fabricatores erat, & inter homines innato Patri seruientes, tolleret, eosq; ab illorum Deorum seruitute vindicaret; vt autem huîc mendacio fidem adijceret, aliud superaddidit, finxitquè grauissimum, docens Iesum carnem sibi non potuisse copulare, quoniam ea est corruptioni, ac sempiternæ perditioni obnoxia;

Obiter hinc colligi potest quam immeritò dixerint quidam Theologi, nullum ex Patribus haberi posse Basilidianæ hęresis fundamentum pręter illud fortassis testimonium in Deuteronomio cap. 21. consignatum. *Maledictus omnis, qui pendet in ligno*; patet enim aliud fuisse Basilidis fundamentum, ad quòd penitus demoliendum nonnullis sacræ paginæ testimonijs vtar; nam humanis artubus circundatum fuisse Assertorem docet Ioannes Euangelicæ historiæ cap. primo, *Et Verbum caro factum est*, naturam videlicet humanam sibi assumendo, vt alibi explicauimus. Idem habetur Lucæ 24. *Videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere*; ad Titum tertio. *Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri*. Ad Galatas quarto. *Vbi venit plenitudo temporis misit Deus filium suum factũ ex muliere,*

Basilidis fundamentum.

Ioann. 1.

Luc. 24.

Ad Titũ.

Ad Galat.

Ad Hebr. 2. factũ sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret. Ad Heb. 2. Nusquã Angelos apprehendit; sed semen Abrahæ apprehẽdit; hoc est non naturam Angelicam, sed humanam carnem induit. Ad Romanos primo. *Qui factus est ex semine Dauid secundum carnem.* Ad Hebr. cap. 2. *Quia pueri communicauerunt carni, & sanguini, & filius Dei participauit eisdem.* Neq; hoc tantũ docet scriptura, sed etiã concordi sententia tradunt Patres. Augustinus libro octoginta trium quæstionũ, quæst. quarta, & 14. in principio tomi quarti, vbi, *si phantasma*, inquit, *fuit corpus Christi, fefellit Christus, & si fefellit, veritas nõ est. Est autem veritas Christus*, vt libr. de Ecclesiasticis dogmatibus, qui inter opera Diui Augustini tomo tertio habetur, *natus est*, inquit, *Dei filius non putatiuè, quasi imaginatum corpus habens, sed corpus verum.* Sanctus Hilarius libro decimo de Trinitate eundem errorem redarguit innixus illis Sancti Lucæ verbis, *& factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terrã*, probatq; illo ipso Euangelij testimonio Christum Dominum veram carnem habuisse sic scribens. *Neq; ad hæresim infirmitatis pertinere vllo modo poterit, quod aduersus hæresim phantasma mentientem proficit per sudorem sanguinis ad corporis veritatem.* Sanctus Epiphanius de Carne Christi, Iustinus Martyr, Diuus Ireneus, Diuus Hieronymus, Basilius, Gregorius Nyssenus, & alij omnes, quorum monumenta grauissimis sententijs, ac illustrissimis Christiani huius dogmatis auctoritatibus referta sunt.

Ad Rom. 1.

Ad Heb. 2.

S. August. 83. q.

Ex libr. de Eccles. dogmatib.

S. Hilar.

Aliud verò incommodum, quo humanam carnem nullam vnquam obtinere posse salutem, sed penitus esse sempiterna corruptione ad nihilum redigendam docet

Basili-

Baſilides, Apoſtolicum Symbolum funditus euertit vndecimo fidei Catholicæ articulo, & idem redarguunt illa Magni Pauli verba. *Nos autem manifeſtari oportet ante Tribunal Chriſti, vt recipiat vnuſquiſq; prout geſsit in corpore ſuo, ſiue bonum, ſiuè malum.* Hactenus igitur videmus falſiſſima eſſe Baſilidis portenta, quibus Chriſtum non fuiſſe humana natura indutum ſibi ipſi impudẽter perſuadebat. Adijciamus modò aliqua ſi placet, quibus breuiter oſtendamus contra eundem præſtigiatorem, Chriſtum Dominum in Crucis ſtipite clauis confoſsũ obijſſe; quod nullo negotio conprobari poteſt. Etenim ſacra Ioannis, Matthæi, Marci, & Lucæ hiſtoria, Chriſtum in cruce acerbiſſimam oppetiſſe mortem, narrat apertiſſimè. Præterea ad Philippenſes ſecundo inquit Apoſtolus de Aſſertore verba faciens. *Factus eſt obediens vsq; ad mortem, mortem autem Crucis.* Prima Petri quartò. *Chriſto igitur paſſo in carne, & vos eadem cogitatione armamini.* Ad Philippenſes ſecundo, *vt [illegible] iam nõ ſibi viuant, ſed ei,* hoc eſt Chriſto, *qui pro illis mortuus eſt, & ſurrexit.* Prima ad Cor. primo. *Prædicamus Chriſtum, & hunc crucifixum.* Petri ſecundo, & quarto. *Quem vos crucifixiſtis.* Verúm quia nihil aliud atteſtari videtur inſpirata diuinitus ſcriptura, in qua frequentiſſima eſt hæc veritas contra Baſilidem.

CAP. II.

Chriſtum non fuiſſe funibus in Cruce appenſum.

TRanſeo ad eos, qui, vt Practeolus refert, in catalogo hæreſum, in dubium reuocant, quod certiſſimum

mum est; Num videlicet Assertor noster in Cruce fuerit clauis confossus, nec nè. *Quis enim scit*, ibidem subdit Vuestephalus de Crucis Christi patibulo loquens; *an funiculis eum alligarint Cruci?* scilicet verebatur Vuestephalus, id Christo in Cruce pendenti accidisse, quod de Cupidine crucifixo fabulatur Ausonius Cupidinis in Cruce suspensi fabulam hisce carminibus describens.

Ausonius.

Erigitur mœsto myrtus notissima luco,
Inuidiosa Deum pœnis. Cruciauerat illic
Spreta olim memorem Veneris Proserpina
Adonim.
Huius in excelso suspensum stipite amorem
Deuinctum post terga manus, substrictaq; plantis
Vincula mœrentem nullo moderamine pœnæ
Adfigunt.

Sed quid mirum? si satanicæ calliditatis, & versutiæ discipuli solita præceptoris arte instructi futilibus fabularum figmentis ea etiam, quæ in sacris litteris traduntur, quam simillima esse velint, quô videlicet abrogetur fides diuinis documentis; in quibus sanguinem Christi in Cruce fusum esse ob ferrei instrumenti traiectionem clarissimè asseritur?

At dicet Vuestephalus, hanc de Assertoris crucifixione dubitationem non esse ex poeticis commentis hausta, sed validis antiquæ crucifigendi consuetudinis innixam fundamentis; legenti enim antiquas Populi Romani historias haud dubium relinquitur, eos, qui in Crucem agebantur, funibus astringi consueuisse aliquandò; cui veteri consuetudini fides adiungi potest ex glorioso Beati Andreæ Apostoli Crucis trophæo; de-

Funibus crucis nectebantur olim quando homines.

quo

quo illa verba legimus. *Proconsul mandat quæstionarijs, vt ligatis pedibus, & manibus, non clauis affixus suspenderetur, quo diuturniori cruciatu deficeret*; ad quem alligandi morem respexisse videtur Tertullianus Apologiæ cap. octauo, cũ de Saturni Sacerdotibus verba faciẽs inquit. *Qui Sacerdotes in ijsdem arboribus templi sui obumbratricibus scelerum votiuis crucibus exposuit.* Sed quid plura? an non, si Iudaici populi leges, & iura contempleris, apud eosdem huiuscemodi suspensionis formula vsitata fuit? Certè apud Iudæos talem inualuisse morem in damnandis ad crucem malefactoribus sequentia Deuteronomij verba declarant. *Quando peccauerit homo, quòd morte plectendum est, & adiudicatus morti appensus fuerit in patibulo: non permanebit cadauer &c*; cuius præcepti particulam, *appensus*, si propriè accipias, non in clauos, sed funes tantùm, quibus corpora appendebantur, quadrare potest. Ex quibus inferri videtur, non temerè vereri eum, qui similem crucifixionis modum in Christo seruatum esse ambigat; siuè enim à Gentilibus, siuè ab Hebræis cruci appensum putes, non inconsideratè in litem adduci potest, quonam crucifixionis genere Assertor noster fuerit affectus, quandoquidem non modò gentium, sed etiam Iudæorum mos fuit, homines morti adiudicatos in Cruce funibus astringendi.

Lib. 3. hist. Apostol.

Tertullianus.

Deut. cap. 21.

Sed non satis crimen istud Vuestephali adducto crucifixionis more defenditur; quippequod salua fide Catholica defendi nullo pacto potest. Diuino enim afflante spiritu Paulus inquit, infidelem eũ esse, qui hæsitat in fide; atqui Christi suspensio nõ funibus, sed clauis peracta est; hæreticum igitur, & sanæ fidei prorsus expertem

eum

eum esse oportet, qui certum Crucis mysterium aliter fuisse peractũ hæsitat, quam ab Apostolo Ioanne factũ esse disertis verbis ostendatur capite vigesimo. *Thomas autem vnus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit Iesus. Dixerunt ergò ei alij Discipuli, vidimus Dominũ. Ille autem dixit eis; nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitũ meũ in locum clauorũ, & mittam manũ meam in latus eius, non credam*; quæ verba sic manifestè contrariam opinionem coarguunt, vt longiori disputatione non sit opus; quomodo enim in clauorum foramina inferre potuisset Thomas manus proprias, si non transfossæ clauis, sed funibus appensæ Vindicis nostri palmæ fuissent?

Clauis effossus est in Cruce Dominus.

Hoc igitur Sancti Ioannis testimonio reuicti alij in Deum ipsum impij ad calumnias, vt eorum mos est, confugientes, in aliud extremum prolapsi sunt, mentiẽtes nos, (quos ab eam, qua iure meritissimo erga supremum totius Ecclesiæ Pontificem tenemur, obediẽtiam, honorem, ac reuerentiam, Papistas vocant iurgij loco,) quamplurimos, ac fermè innumerabiles dominicæ passionis clauos venerari. Cuius iniustæ calumniæ auctor fuit periurus Caluinus lib. de reliquijs, vbi de clauis Domini hæc habet. *Vt si quis numerum inuenire vellet, grandem sit inuenire summam.* Sed hæc Caluini impudentia non impunè præterire debet Doctorum, ac Ecclesiæ censuram; cum omnes Catholici stabili, certoq; decreto clauos salutis nostræ effectores quaternarium non excedere numerum defendant; vt mox demonstrabitur; quis enim oppositũ alicubi se lectitasse vnquam affirmabit? Consulat amabo omnes, quotquot fuerunt,

Caluini error de clauis Domini

Sanctorum

Sanctorum Patrum ſententias, adeat Sacrarum litterarum monumenta, cognoſcat Catholicorum hiſtorias, proferat deniq; omnium ſcriptorum decreta, quæ à cõmuni Eccleſiç Romanæ vſu non abhorreant, & facilè comprehendet, quam mendax, & perfricatç frontis fuerit Caluinus; qui nouis ſemper calumnijs, ac portentis ſtudet.

CAP. III.

An binarium duntaxat numerum attigerint; an verò quaternarium etiam numerum exceſſerint illæ ſanguinis effuſiones, quæ ex vulneribus clauorũ manarunt.

VErùm quia breuiter viſum eſt, quouſq; progreſſa ſit Hæreticorum audacia; videamus modò, (quod ſuperius latere in tenebris, & incertum eſſe diximus.) Quot, & quales eſſe velint Chriſti Crucifixi ſanguinis effuſiones, qui Catholicè ſapiunt. Principiò tamen, antequam vlterius progrediar, illuſtrare præſtat dubium, quo aliquis, aut pauciores tribus, aut certè plures quatuor extitiſſe Chriſti Domini effuſiones, quas nobis virtute clauorum largitus eſt, ſibi perſuadere poſſet adhunc modum. Aſſertor noſter in Cruce non ſolùm ſummo cruciatu, inexplicabiliq; ſupplicio à militibus affectus eſt, ſed etiam nulla tormentorũ, genera, quç experti fuerint aliquandò martyres, in illius crucifixione prætermiſſa ſunt; atqui Sanctus Agricola martyr, vt ex Martyrologio Romano die quarta Nouembris colligitur, multiplicibus clauis confoſſus obdormiuit in Domino, & Sanctus etiam Philomænus manibus,

S. Agricola pluribus clauis configitur. Ide S. Philomanc. accidit.

manibus, pedibus, ac demum capite varijs clauis transuerberatis glorioſi martyrij curſum cõfecit; decuit igitur Chriſtum plures, ac ſequiores clauorum plagas, ac ſanguinis effuſiones pertuliſſe; Siquidem Chriſtus Dñs tamquam totius vniuerſitatis, ac populorum Dux ſtrenuiſſimus acerbiora paſſus eſt, quam vllus aliquandò Chriſtianæ militiæ propugnator ſenſerit, aut in mẽbris proprijs fortiter ſuſtinuerit.

Secundò ex alia parte duplici duntaxat clauorũ ictu transfoſſum fuiſſe in Cruce Aſſertoris corpus quis hac ratione argumentabitur. Saluatoris manus, ac pedes, vt Ioannis vigeſimo conſtat, traiecêre quidem milites; at trãsfoſſio illa duobus clauis duntaxat perfici poterat; ſuperuacaneum erit igitur, alios clauos adhoc munus adhibitos eſſe, arbitrari. Si verò concedere abnuas, corporis Chriſti molem duorum clauorum adminiculo ſuſtineri potuiſſe; contrariæ opinionis, & veræ auctorem Lypſium excitabo in tractatu de Cruce, qui id fieri potuiſſe, & quod caput eſt, executioni mandatum eſſe aliquandò atteſtatur, hanc ipſam Cruci affigendi conſuetudinem colligens ex Tertulliano Apologiæ capite decimo ſexto.

Verùm enim verò quidquid obiectiones iſtæ primo intuitu præſeferant, & inanes ſunt, & illis aduerſatur communis vſus imaginum Domini in Cruce pendentis ab Eccleſia comprobatus, qui in præſenti Crucis negotio eſt maximi ponderis, atq; certiſſimæ auctoritatis; preterea nuſquam, aut nobilis, fideue dignus auctor, aut communis animi ſenſus, aut ipſe cùm ſuperioris, tùm noſtræ ætatis imagines, huiuſcemodi ſpeciem, aut crucis

ſimu-

ſimulacrum perluſtrantium oculis ingerunt.

Quocirca ad primum dubium reſpondeo, tormenta pœnarum, ac cruciatus Aſſertoris acerbitate, dolorũq; atrocitate omnes aliorum martyrum dolores longè ſuperaſſe, quandoquidem Chriſtus Dominus delicatiſſimę fuit, tenerrimæq; corporalis conſtitutionis ſupra cætera omnium mortalium corpora, ratione cuius grauiores euadebant cruciatus; quo enim nobilioris conſtructionis corpus exiſtit, eo acrius ab ijs, quę ſibi nocua ſunt, torquetur, & angitur. *Ex variis capitibus aliorũ hominũ mors Chriſti grauior euadebat.*

Deinde augebat in Chriſto dolorem acerrimum quoddam inuicti illius animi robur; nam cum neq; in cruciatibus vinci, neq; in pœnis frangi, neq; in tormentorum crudelitate expugnari poſſet Dominus, vim quandam ſenſibus ipſis impartiebatur, ob eam connexionem, quam animus, & Chriſti ſenſus inter ſe habebant, qua fotæ ſenſibilis animæ poteſtates crudelius excruciabantur. Quòd de alijs martyribus non licet affirmare, quippequi non adeò nobili mente præſtabant; ex quo fiebat, vt alacris illorum animus, vel infractus tàm perfectum ſentiendi officium haud poſſet ſenſibus ipſis elargiri; ac præterea, vt plurimũ habetes, ac ſtupore quodam oppreſſæ gliſcẽte pœnarum acrimonia corporeæ vires reddebantur: hincq; non adeò vehementes toto pœnarum tempore dolores experiebantur.

Ad hæc, quod in Aſſertore fuit peculiariſſimũ; Chriſtus Dominus in patibulo pendens cæleſti, ac diuino Æterni patris caruit ſupernaturali beneficio, vt verba illa declarant. *Deus Deus meus, quare me dereliquiſti?* ac propterea ex eo capite in Chriſto dolores augeban-

tur, ex quo in cæteris martyribus, aut planè tollebantur, aut certè maiori ex parte mitigabantur; diuino siquidem gratiæ cælestis rore martyrum animi sic suauiter irrigabantur, ac largis cęlestium donorum imbribus perfundebantur, vt ex incusso mortis timore alacritatẽ, ex tormentis dulcedinem, ac ex doloribus deniq; ipsis gaudiũ, atq; lętitiam haurirent gaudentes, & exultantes, quoniã digni habiti essent pro nomine Iesu contumelias pati; & hinc primæ argumentationis solutio eruitur, cũ omnium maximi dolores Assertoris fuerint. Cęterùm, quod ad reliquam argumẽti partem facit, plurimi martyrum, vt Sacras Ecclesiæ historias meditanti illucescet, varia, ac omninò distincta tormentorum genera viriliter sustinuerunt, quæ Christus Dominus non sensit, dũ extrema pateretur, quod nihil aliud est, quam asserere, vt omnes Theologi dicunt, *extensiuè*, nõ autem *intensiuè*, nonnullos martyres maiora tormenta pertulisse, quàm Assertor noster pertulerit; quemadmodũ Sancti Agricola, & Philomænus, & sexcenti alij Christi milites varijs trãsfossi ictibus occubuêre; quare inualida omninò est huiuscemodi argumentandi consuetudo, grauior fuit Vindicis nostri passio, quàm aliorum fuerit mors, atqui plures martyres pluribus clauis confossi fuerunt; totidem igitur, vel pluribus obnoxia fuit Sacra Domini nostri natura; nam hac arguendi ratione stultè probari posset, Christum vel capite plectendum fuisse, vel certè lapidibus obrutum, vel gladio percussum obdormiuisse, quandoquidem aliqui martyres abscissis ceruicibus, lapidum ictibus, & gladij transuerberatione ad sempiternam martyrij palmam abierunt in Cælum; quòd tamen

men nullus, vel imprudens poterit opinari.

Posset secundò dici, maiores omnibus fuisse Christi cruciatus, totam aggregatiuè, non autem distributiuè sumendo passionem, quoniam nullus vnquàm Christi etiam strenuissimus miles tot, tantaq; tormenta, & opprobria in toto passionis cursu pertulit, quãta Christus Dominus, licet, si speciale tormenti genus mediteris, aliquis martyr pluribus clauis trãsuerberatus fuerit, quàm fuerit Saluator noster.

Ad secundum. Quamuis hæresis nota careret is, qui Christi pedes, manusq; ambas duobus tantùm clauis terebratas esse contenderet, nullo tamen modo temeritatis, & inuidię dedecus posset fugere; nam licet ex Sacris litteris tantùm habeatur clauis perforatas fuisse Christi Domini palmas, ac pedes vtrosq; quia tamen is communis doctrinæ, Ecclesiasticæ traditionis, & vulgatæ consuetudinis, & sententiæ inimicum, ac hostem se ostenderet, (tres enim ad minus clauos agnoscit communis fidelium cætus,) ideò temerè, ac nullo penitus fundamento nouam, ac execrabilem in populum fidelem doctrinam conaretur inuehere. Neque adducta confirmatio aliquid roboris habet; illo siquidem temporis spatio, quo durum mortis supplicium subiuit Iesus, ea crucifigendi formula, de qua ex Tertulliano tradit Lypsius, nequaquam erat in vsu posita.

DISPVTATIO DECIMATERTIA.
De numero clauorum.

CAP. I.

Probabilis ſententia de quaternario clauorum numero.

NOnnulli quatuor fuiſſe clauos arbitrãtur, ex quorum foraminibus quatuor erupiſſe ſanguinis effuſiones dicunt, quarum priores duæ ex manibus duobus clauis traiectis, poſteriores verò ex totidem clauis transfoſſis pedibus exierũt, ducunt quippè certiſſimum auctores iſti, Aſſertoris pedes alterum alteri impoſitum nequaquam vno clauo transfodi potuiſſe, ſed vtrumquè Saluatoris pedem proprio, ac diſtincto clauo fuiſſe terebratum, ad inſtar hominis vſitato more ſtantis; quam quidem Saluatoris pedes transfigendi rationem volo, vt Lector ore Gregorij Turonenſis viri pietate, & eruditione admirabilis fuſius expreſsam, & velut ob oculos poſitam agnoſcat; Etenim de gloria Martyrum libro primo, capite ſexto de clauis Domini ſic loquitur. *Specioſi autem, omniq; metallo nobiliores dominicæ Crucis claui, qui beata membra tenuerunt, ab Helena Regina poſt ipſius ſacræ Crucis inuentionem reperti ſunt, & de duobus quidem frenum Imperatoris muniuit, quô facilius, ſi aduerſæ gentes reſtitiſſent principi, hac virtute fugarentur. De quo non eſt ignotum Zachariam vaticinaſſe Prophetam.*

Gregorij Turonenſis ſententia de numero clauorum Domini.

Erit

Erit, inquit, quòd in os equi ponitur, Sanctum Domini. Eo enim tempore Adriaticum mare magnis fluctibus mouebatur, in quo tam frequentia erant naufragia, ac demerſio hominum, vt vorago nauigantium diceretur. Tunc prouida Regina condolens excidia miſerorum, vnum ex quatuor clauis deponi iubet in pelagus confiſa de Domini miſericordia, quod ſæuas fluctuum commotiones facilè poſſet opprimere, quo facto redditur mare quietum, tranquillaq; deinceps nauigantibus ſtabra præſtantur. Vnde vſque hodie nautæ ſanctificatum mare venerantur, cum ingreſſi fuerint, ieiunijs, orationibus, & pſalterio vacant. Clauorum ergò dominicorum gratia, quòd quatuor fuerint, hæc eſt ratio. Duo ſunt affixi in palmis, & duo in plantis; & quæritur cur plantæ affixæ ſint, quæ in Cruce ſancta dependere viſæ ſunt potiùs quam ſtare. Sed in ſtipite erecto foramen factũ manifeſtũ eſt; pes quoq; paruulæ tabulæ in hoc quoq; foramine inſertus eſt; ſuper hanc verò tabulam tãquã ſtantis hominis ſacræ affixæ ſunt plantæ. Quærentibus etiam, quid de his clauis fuerit factum; Duo ſunt, quos ſuprà diximus aptatos in freno, tertius proiectus in fretum, quartum adſerunt eſſe in capite ſtatuæ Conſtantini, quæ Ciuitate, vt aiunt, tota ſic excelſior eſſe ſuſpicitur; ſcilicet, vt tota, cui eminet, munitione ſalutis quodammodo galea coronata eſt. Placuit totam, & integram præſenti loco adſcribere Turonenſis auctoritatem, quæ ad inſtar breuis, ac compendiariæ dominicorum clauorum hiſtoriæ deſeruiet, vt nihil, quod alioqui gratum fore legentibus putarem, deſiderari poſſet. Hanc de quatuor clauis opinionem valdè commendat Diuus Cyprianus vir antiquitatis, doctrinæ, ſanctitatisq; laude præſtantiſſimus ſermone de Paſſione Chriſti ſic ſcribens. *Erant in manibus tuis* S. Cyprianus.

duo

duo cornua, (clauos nempè ferreos intelligens) *in quibus erat fortitudo tua abſcondita, & imperium tuum,* & mox, *Conſideraui opera tua, & expaui. Clauis ſacros pedes terebrãtibus, foſſiſq; manibus de vulnere, & anxietate non loqueris? de ſpinis ſacrum caput pungentibus non quereris?* quę Sancti Cypriani verba ſi non prorſus inconſideratè legantur, quatuor dominicos clauos fuiſſe planè demonſtrãt; Sacræ enim Aſſertoris palmæ, ex Cypriano infixæ fuerunt duobus clauis, qui à Cypiano cornua appellantur, ſiuè ob eam, quæ inter illos, & animaliũ cornua ſpeciẽ intercedit, ſiuè ob eximiũ valoris meritũ, quo cõmunitæ Saluatoris manus morte deuicerũt, nõ ſecus, ac animalia cornibus ſuis ſolẽt hoſtẽ debellare; Sãcti quoq; pedes nõ clauo, ſed clauis traiecti fuêre; quorum ſi numerum inire velis, quadernarium reperies. Similia, nec premenda ſilentio tradit Gulielmus Lindanus Eccleſiaſticæ panopliæ libro quarto capite nonageſimo ſeptimo, vbi perobſcuram huius quęſtionis de clauis Domini materiam appellans hunc in modum ſuam ipſe ſubnectit opinionem. *De Crucis dominicæ figura non ea eſt obſcuritas, quæ de Chriſti Domini vna noſtri cauſa crucifixi modo, atq; figura. Num tribus fuerit clauis confixus, vti hodie vulgò habent imagines; an quatuor potiùs, quòd equidem crediderim verius; non ex vetuſtiſſimis tantùm Loanij, Pariſijs, & per Germaniam imaginibus, ſed tabulis etiam antiquiſſimis in Græcia factis, quod inſcriptiones dominici tituli innuunt.* Hæc fermè Lindanus. Innocentium etiãm tertium huius nominis Pontificem in eadem fuiſſe ſententia me certè vereri non permittunt, quæ prodidit tomo primo ſuorum operum ſermone de vno martyre; cuius

Claui cur à S. Cypriano cornua appellẽtur.

Gulielmus Lindanus.

Innocẽtius Tertius.

initium

initium eſt. *Qui vult venire poſt me &c.* vbi docet quatuor fuiſſe Domini clauos his verbis. *Fuerunt autem in Cruce dominica ligna quatuor, ſtipes erectus, et lignum tranſuerſum, truncus ſuppoſitus, & titulus ſuperpoſitus; fuerũt & claui quatuor, quibus manus confixæ ſunt, & pedes vltimi; ſunt, & lancea, qua latus apertum fuit, & corona ſpinea &c.* quæ Innocentij verba adeò aperta ſunt, vt aliena non egeant illuſtratione. Poteſt huic ſententiæ præterea fides, & auctoritas adiungi ex reuelationibus Beatæ Brigitæ, quæ clauos Domini ad numerum quaternarium perueniſſe docet ad hunc modum ſcribens libro primo reuelationũ capite decimo nono. *Poſteà rapuerunt eum ſæui tortores, & extenderunt in Cruce. Primò dextram manũ affigentes ſtipiti, qui pro clauis perforatus erat. Et manum ipſam ex ea parte perforabant, qua os ſolidius erat. Inde trahentes cum fune aliam manum eius ad ſtipitem eam ſimili modo affixerunt. Deinde dexterum pedem crucifixerunt, & ſuper hunc ſiniſtrum duobus clauis; itaut omnes nerui, & venæ extenderentur, & rumperentur*; Nec aliud repetit libro quarto reuelationum capite ſeptuageſimo: vbi, *peruenit igitur*, inquit, *ad locum crucifixionis, & ecce malleus, et quatuor claui in promptu ſunt*, & mox, *ad foramina ſua diſtenduntur, cancellatiq; pedes quaſi infrà à tybijs diſtincti duobus clauis ad Crucis ſtipitem per ſolidum os, ſicut & manus erant, configuntur*. Poſſem quamplurima aliorum in hanc ſententiam decreta proferre; quandoquidem huius opinionis fuerunt Gulielmus Durandus in Rationali diuinorum officiorũ, Irenæus, vt arbitror, Diuus Bonauentura, & alij veterum Doctorum non pauci, quorum decretis fauẽt multi recentiores Sacri eloqui interpretes, qui

B. Brigitæ.

qui istam de quatuor dominicis clauis opinionem proniori sensu amplectuntur: Vti facit Cardinalis Toletus, qui de hac sententia ediſſerens. *Quod autem quatuor fuerint milites*, inquit, *ea mihi causa non improbabilis visa est, quia quatuor fuerat Christus clauis crucifixus.* Sic ille, qui suæ etiam opinionis defensorem esse Ruffinũ arbitratur; quamquam haud satis istud exploratum esse potest apud Ruffinum, qui etsi plures clauos in crucifixione Christi agnoscat, ibi tamen certum, ac determinatum numerum clauorum non expressit, vt patet ex libro primo Ecclesiasticæ historiæ, cuius octaui capitis verba sunt. *Clauos quoq́, quibus corpus dominicum fuerat affixum, portat ad filium. Ex quibus ille frenos composuit, quibus vteretur ad bellum. Et ex alijs galeam nihilominus belli vsibus aptatam fertur armasse.* Hactenus ex Ruffino. Cum his omnibus præterea mos, & antiquum Ecclesiæ iudicium mirè congruit, dùm permittit Sacras Assertoris nostri imagines Christum quatuor clauis confossũ referentes; Licet enim hac nostra vltima ætate passim non magnus huiuscemodi imaginum numerus cernatur, haud tamen istud præsentis huius opinionis Auctores coarguere potest; Siquidem adhuc etiam insignia quædam, vt ita loquar, antiquæ illius consuetudinis vestigia extant, cùm alibi, de quibus citatum Lindani testimonium loquitur, tùm in hisce nostris regionibus, vt clarissimum fit auctoritate, & testimonio viri ętatis nostrę doctissimi sic aientis, *Colitur Lucæ (quæ Ciuitas est in Hetruria nobilis) magna populi religione Christi crucifixi imago lignea peruetusta, cuius pedes bini claui suppedaneo ligno configunt. Romæ in sacrario, seu in vestiario Sãcti Petri asserua-*

In Ioannẽ cap. 19.

Ineo. Gretserus.

aſſeruatur vetuſtiſſima Chriſti imago è ligno, translata, vt opinor, è veteri templo diruto, quæ quaternis clauis cruci affixa eſt. Modoetiæ (quod oppidũ eſt in Inſubria decem millia paſſus Mediolano diſtans) in Sacrario Sancti Ioannis, quam Theodelinda Regina Longobardorum magnis ſumptibus ædificauit, & vbi corona ferrea, qua coronantur Imperatores, cuſtoditur, multa aſſeruantur ornamenta Templi (theſaurum appellant) dono miſſa ei Reginæ à Gregorio primo Pontifice, vt conſtans fama eſt apud incolas, & rerum vetuſtas ſuadet, inter quæ vidi ego tabulas quaſdam argenteas, in quibus Chriſtus crucifixus quaternis clauis cælatus eſt; quibus imaginibus ſimilis, & antiquiſſima Chriſti crucifixi imago Romæ extat in Eccleſia Sancti Clementis propè Amphitheatrum ad radices Cælij montis; & antiquitùs in Sacello Sancti Iulij Papę propè montem Miluium iuxtà Eccleſiam Sancti Valentini martyris; nunc autem in vinea Fratrum Eremitarum Sanctæ Mariæ de Populo dicta in Sacello duobus clauis Sacræ Aſſertoris plantæ confixæ cernuntur. Tandem in tribus, & quadraginta Cœmeterijs antiquis, quæ reperiuntur tàm intrà, quàm extrà Vrbem Romam, pleræq; Domini imagines quarum pedes, & manus quatuor claui transfodiunt, viſuntur communiter, quemadmodũ mihi certo documento ſunt ea, quæ Illuſtriſſimus Cardinalis Borromęus præcipuũ rei litterariæ columen, Auctor Ambroſiani Collegij, ac Mecænas noſter omni laude maior ſingulari opera ex vetuſtiſſimis tàm nouę, q̃ antiquę Romę monumentis excipienda, atq; depingenda curauit, vti fidem omnibus faciunt ea ipſa imaginum, & variarum antiquitatum volumina, de quibus, vt de innumeris fermè

Illuſtriſſimi Federici Cardinalis Borromæi laus.

alijs priscæ nobilitatis monumentis iurè gloriari potest Bibliotheca Ambrosiana magnis sumptibus ab eodem Federico Cardinali ædificata, ad quem vnum tota hæreditas immensæ huius gloriæ pertinet. Hucq; tandem pertinet, quod Gabriel Vasquez prodidit, nonnullos hæreticæ prauitatis assertores, quô Catholicis illuderét, & ritus Ecclesiæ aspernarentur, Christi Domini imaginem, cuius pedes anteà duobus clauis cruci affigi consueuerant, mox in derisionem, atq; in fidei nostræ contemptum vnico clauo vtrumq; eiusdem imaginis pedem vnà confixisse.

CAP. II.

Coniecturæ aliquot recitatæ opinioni suffragantes.

CÆterùm maximam esse huius opinionis probabilitatem nonnullis, nec planè commentitijs rationibus quis posset hoc modo demonstrare. Nulla congruentior ratio inuestigandi numerum, & multitudinem clauorum Domini inueniri potest, quàm si multitudinem, & numerum eorum, qui carnificis officio functi sunt in passione Domini, attendamus; quot enim milites crucifixionem operati fuêre, tot quoq; instrumenta, & claui, quibus innocens agnus cruci suffigendus erat, videntur admittendi, vt, & instrumentum artifici, & diuersis crucifixionis dominicę causis efficiétibus, varij pariter, numeroq; æquales effectus responderent; milites autem Christi membra transfigentes quatuor extitêre, vt locuples author, & testis est Diuus Ioannes Euangelista, capite decimo nono, *Vbi milites ergò,*

ergò, inquit, *cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius,(& fecerunt quatuor partes,vnicuiq; militi partem,)& tunicam &c.* Si enim vnicuiq, militi Christi crucifixionem perpetranti data est per æqualitatem distincta pars vestium Christi, partesq; non excesserunt quaternariũ numerum, profectò ambigi non potest, quatuor tantummodo milites, ac proindè quatuor pari modò clauos fuisse, propria transfossionis Christi corporalis instrumenta. Ampliús ex eodem Ioannis loco huiusmodi argumentatio eruitur ad idem ostendendum. Æquale præmium siuè iure, siuè iniuria comparatum, non absimilia munera,similes operationes,& æqualem omninò laborem exigit in ijs, inter quos præmium diuiditur, atqui ex Sancto Ioanne æqualis militum compensatio fuit ex diuisione vestium Christi facta, ergò pares etiam in clauis administrandis,comparandis,atq; pellendis esse debuerunt; quæ quidem argumenta fortiorem vim habent si concedatur,vt multi,& sanè docti viri admittunt, eodem breuissimo temporis spatio, eademq. hora sic perfectum, atq. completum fuisse dominicę crucifixionis opus, vt omnes quatuor carnifices simul, & semel paribus malleis,eadem immanitate, æqualiq. robore (quô videlicet grauior esset Assertoris nostri cruciatus) sacras manus, diuinosq. pedes clauis durissimis transfixerint. Præterea conijcere difficillimũ est (quãdoquidem clara mentis intelligentia istud comprehendi nequit) quomodo bini pedes Iesu Christi, velut in Cruce stantis vno clauo sic acriter recto foramine configi potuerint, vt ambo ad crucis stipitem tenaciter compellerentnr. Non ignoro tamen has de-

Quatuor carnifices Christum Cruci affixerunt.

quaternario clauorum numero coniecturas persuadere non posse Lectori oppositæ opinionis defensori constanter præsentem sententiam; at nulli cuipiam id mirũ accidere debet, cum difficillimum sit in tanta huius rei caligine efficaces omninò adinuenire rationes.

CAP. III.

Sententia eorum, qui tres tantùm clauos admittunt; & auctoris iudicium.

PLurimi, ne dicam fermè omnes alij Doctores tres tantũmodo clauos in Christi passione agnoscunt. Sic enim opinatur Nonnus in caput decimũ nonũ, Ioannis cuius verba latinitate donata sunt huiusmodi. *Illic interfectores ad lignum quadrilaterum sublimè suprà terram erectum ostendũt Christum astringentes vi explicatas vtrinq; manus ferreo vinculo, & immenso, ac singulari clauo pedis vtriusq; pecusculum vno impetu perforatum transfixere, pedibus sibi mutuò impositis, ac complicatis, inflexibile exitij vinculum.* Sic Nonnus. Præterea Gregorius Nazianzenus in tragędia Christi patientis appellat Crucem triclaue lignum, eo quòd Christus Dominus tribus clauis confixus in ligno pependerit, qui etiam clarius eandem opinionem docens subdit.

Nonni Poetæ opinio.

Gregorius Nazianzenus.

Vos me sequimini, deferamus grauiter
Onus beatum, mille post preces mihi
Vix impetratum principis dono, tribus
Quod habeo clauis edita fixum Cruce.

Similia docent communiter plures alij. Obiter tamen monuerim, quosdam esse nostri temporis scriptores, qui

qui aſtipulatorem, probatoremq; faciunt huius opinionis D. Ambroſium in oratione de obitu Theodoſij; verum haud ſcio, quo iure; cum duplicis tantùm claui in ea oratione mentionem faciat Ambroſius ad hunc modum de Helena ſacrorum pignorum inuentrice loquens. *Quæſiuit clauos, quibus crucifixus eſt Dominus, & inuenit. De vno clauo frænos fieri præcipit. De altero diadema intexuit. Vnũ ad decorem, Alterum ad deuotionẽ vertit.* Sed quorſum hanc præſentem de triplici clauo ſententiam Doctorum teſtimonijs illuſtrare contendimus, cũ omnes qui noſtri imagines, picturę, atq; Chriſti Domini effigies, tacita quadam voce tribus duntaxat clauis confoſſum eſſe in Cruce Aſſertorem indicent, communiſq; videatur hic eſſe fidelium omnium ſenſus, mens, & cogitatio?

Atq; hæ ſunt nobiliores de multiplicitate clauorum Domini opiniones, quarum quæ ſit potiſſima, arbitrio eius, qui rectè omnia dijudicare nouit relinquo. Mihi. n. cum palam ſit, nuſquàm in ſacris litteris certum numerum clauorum proditum eſſe, nec eos, qui plures tribus faciunt, ſacris litteris, communiuè Patrum aſſenſui contradicere, prior opinio valdè probatur, quæ clauos quatuor fuiſſe cenſet, quam equidem opinionem eò libentius amplector, quòd viris ſanctitate, morum integritate, ac inſigni ſapientia illuſtriſsimis placuiſſe video; quorum omnium auctoritas, & fides facilè quempiam hanc opinionem noſtram trahere debet, quippequæ certiorem huiuſce rei veritatem potuit attingere ob recentem paſſionis Chriſti, modi, ac formæ illius memoriam, quæ tunc potiſſimum vigebat; quam etiam noſtra

ſtra hac tempeſtate expreſſam cernimus in illis ipſis imaginibus, quæ Chriſtum in Crucis patibulo pendentem quatuor clauis confoſſum præſeferunt.

Illud tamen, quod ad præſentem opinionem attinet moneo, non eſſe meæ mētis vlla quauis ratione aliquid de veritate vulgati moris Xp̄i crucifixi imagines pingendi, & cælandi detrahere; & licet non me fugiat alteram tantùm ex recitatis opinionibus veritati conſentaneam eſſe poſſe, vt hinc propterea poſteriori ſententiæ nullus relinqui veritatis locus videatur, cum iam priorem veram eſſe opinionem dijudicauerim; quia tamen in poſteriori opinione vniuerſum penè orbem noſtris hiſce temporibus conſentire animaduerto, idcircò verò ſimilem, & probabiliſſimam arbitror eſſe opinionem eorum, qui tribus tantùm clauis appenſum fuiſſe cruci Aſſertorem dicunt.

Ex his omnibus fit, (ſi quēpiam fortè delectet probabiliori primę opinioni ſubſcribere,) vt fuerint quatuor dominici ſanguinis effuſiones, quę diuerſis limitibus ex Chriſti manibus, ac perforatis pedibus dimanarint. Quòd ſi fortè probabiliorem quis opinionem ſecūdam arbitretur, is tres duntaxat extitiſſe ſanguinis dominici riuos, dicat neceſſe eſt.

CAP. IV.

Commentitiæ opiniones de multiplicitate clauorum Domini.

SEd non eſt ſilentio prætereunda de hac ipſa re quædam opinio, quę licet incerto auctore vagetur, apud pleroſq; tamen huius noſtri temporis homines ità peruulgata

uulgata eſt, vt memorabilis, & obſeruanda videatur, ob tacitum quendam animorum conſenſum, velut ex antiquiſſima quadam traditione efformatum. Sentiunt iſti tribus, vel quatuor tãtùm ferreis clauis cruci confixum è ligno pependiſſe ſacratum Mediatoris corpus. At inquiunt, in peragenda Aſſertoris crucifixione pluribus quaternario numero clauis vſi ſunt ſæuiſſimi tortores; quippequi ad augendam Saluatoris pænam eius generis clauos in primis adhibuêre, qui cum transfoſſis pedibus, ac manibus Chriſti ligni duritiem, ac ſoliditatem penetrando vincere non poſſent, illicò obtundebantur, atq; veluti ad ſuſtinendam corporis molem inepti rurſus è vulnere Aſſertori incuſſo eruti abijciebãtur, donec ad extremum pœnis, ac cruciatibus ſatiati milites eos clauos ad pedes, ac manus Chriſti admouerunt, quibus poſtmodum corpus in cruce ſtetit. Arbitror autem hanc opinionẽ, vel ex eo profluxiſſe, quod varijs in locis pia veneratione plures dominici claui colantur. Etenim in hac noſtra Ciuitate Mediolanenſi, eos clauos reperiri, ex quibus frenum equi Cõſtantini Magni Imperatoris Sancta eius Mater Helena muniri mandauit nullus ambigere poteſt, qui antiqua Hiſtoriarum Mediolanenſium monumenta peruolutarit, quibus non nihil ſuffragantur certiſſima Sancti Patris noſtri Ambroſij, Gregorij Turonẽſis, & Ruffini ea teſtimonia, quę S. Helenæ iuſſu clauos in frenum aptatos eſſe, clariſſimè docent. Nec dubium eſt, quin tertius Domini clauus in mare proiectus ſit, vt incolumitati nauigantium hoc cæleſti ſubſidio Regina proſpiceret, velut cum eodem Gregorio Turonenſi communis eſt aliorum aſſenſus.

Vnde dua ſit iſta opinio.

At

At præter hos, si constans fama vera est; plures alij reperiri videntur dominici claui. Modoëtiæ in Mediolanensi ditione coronam ferream, qua Imperatorũ capita de more cingebantur, dominico nobilitari clauo antiquæ,& recentiores historiæ tradunt; estq; peruetus,ac percelebris omnium eius oppidi incolarum certa opinio. Propè Nouocomum Ciuitatem in quodam pago, quòd non longius à lacu abest, vnum ex dominicis clauis reperiri edita sępè diuinitus miracula fidem faciunt. Inter præcipuas Redemptionis nostrę opes, quibus potissimum Treuirenses Ciues gloriantur, illud est maximum,quod ad eos sacer clauus peruenerit. Et tandem, vt de alijs,quorum obscurior fama,minusq; tuta veritas est,taceam,magnifico Gallię regis sacello clauum Assertoris nostri dignitatem, ac splendorem addere, qui pręcipua huius regis insignia narrando prosequuntur, litteris prodidêre. Ex quibus omnibus, ne Sacra hæc Religionis nostræ pignora dubia esse, posset quis suspicari,ortum habuit præsens opinio de obtusis, ac fractis Crucis dominicę clauis.

Alia opinio. Quamquàm non ignoro, alios ad multiplicitatem clauorum tuendam aliam rationem excogitasse; quæ est,vt ex vno,eodemq; Assertoris nostri clauo varias in partes dissecto plures claui efformati sint, quô videlicet magis,ac magis vbiq; locorum fidelis populi pietas, & religio erga sacratas corporis Christi reliquias accenderentur,vti euenisse putant in ijs ipsis clauis,de quibus modò mentio facta est. Etenim (inquiunt isti) qua constare materia cernuntur hi claui, non tota est ex ea ferri substantia, quæ sacro Christi insignita cruore Redem-

demptionis noſtræ inſtrumentum fuit; ſed aliqua duntaxat veri claui pars erat, quæ ſimul cum noua metalli ſubſtantia perfectam claui formam conſtituit.

Verúm hæ duę opiniones de numero clauorum Domini, multis ſanè de cauſis improbandæ, immò velut figmento non abſimiles condemnandæ videntur. Et primò quidem iſta omnia conſiderantem iuſta ſubire poteſt indignatio in re tàm graui, qualis eſt ea, in qua de ſacratis Corporis Chriſti reliquijs agitur, quoſdam ea pro libitu ſuo fingere, quibus præter nudam ſic opinantium aſſeuerationem, nihil opitulari poteſt. Deinde haud eſt ferendum etiam ſub ſpecioſa religionis, & pietatis augenda imagine in cuiuslibet ſitum eſſe poteſtate, vt effingat, quod certa rerum hiſtoria, aut ſcriptorum teſtimonio nequeat comprobari. Prætereà ijs ipſis dominicæ paſſionis inſtrumẽtis, de quibus nulla cuiquam dubitandi ratio fuit, non parum allatæ opiniones nullis ſubnixæ firmamentis officiunt, quandoquidem quemlibet trahere poſſent in apertam ſuſpicionem, propriane, an aliena ſit clauorũ Chriſti materies, quam ſolemni ritu, & cęremonia omnes ad vnum venerati ſunt hactenus. Ad hæc mirum, ac perpetuum antiqui æui Sanctorum Patrum ſilentium manifeſtè loquitur futiles, ac euitandas eſſe horum opiniones, cum diligentiſſimi Sacrarum rerum, ac accuratiſſimi ſcriptores, ad quos facilius, quam ad nos certa huiuſce rei notitia potuit peruenire, nihil non modò memoriæ prodiderint, ſed nec etiam per leuem cogitationem, ne dicam ſuſpicionem, attigerint, vti clarè cognoſcitur ex monumentis Clementis Alexandrini, Dionysij Areopagitæ, Gregorij

Oppugnatio harum opinionum

Nazianzeni, Cypriani, Tertulliani, & aliorum omnium totius Ecclesiæ Patrum. Ad extremum, quod huius negotij caput esse videtur, ab his duabus opinionibus, vti futilibus, ac vanis recedẽdum est, ne Caluinianæ impietatis videamur esse defensores; is enim libro de reliquijs, nescio, an his fortasse duabus opinionibus, de quibus loquimur in præsens, ductus, fidei cultores irridet, quasi innumeros dominicæ crucifixionis clauos venerentur, sic scribens. *Vt si quis numerum* (clauorum) *inuenire vellet, grandem sit inuenire summam*; sic Caluinus, aduersus quem satis antea est disputatum.

Quare superest tantùm, vt concludamus dominicos clauos, qui sacro cruore perfusi sunt, ad summum quadruplices fuisse, vt doctè annotauit etiã Cęsar Baronius, qui præsentem sententiam de numero clauorũ tradit his verbis. *Quod verò claui, quibus suffixus est Christus, plures diuersis in locis hodie reperiri dicantur; nihil est, quod pluribus, quàm tribus, vel ad summum quatuor Christi manus, ac pedes confixos putemus.*

tom. 3. annalium sub anno Christi 326.

Neq; tamen ex hac certa de numero clauorum sententia quispiam colligere debet, cęteros clauos, qui hactenus iustis honoribus coluntur, abijciendos esse, aut condemnandam hominum deuotionem diu erga illos conseruatam; quandoquidem non huc consilium nostrum tendit; immò magno in honore semper apud vnumquemq; fidelium hi habendi sunt iustissimis de causis; quarum tres fermè cæteris nobiliores attingam. Etenim fieri optimè potuit, vt multiplicitas ista clauorum orta sit ex eo, quòd primi nascentis Ecclesiæ fideles præter quatuor clauos, qui carnem Christi traiecerunt,

Vnde orta sit multiplicitas clauorum.

runt, inter alias ſalutis noſtrę opes retulerint eos etiam, quibus Crux, in qua Saluator pependit, compacta eſt, quiq; nunc abolita certæ huius veritatis memoria à Chriſti fidelibus pro veris domini clauis habeantur. Siuè potius alij claui ſint, quibus myſtica Saluatoris noſtri membra (hoc eſt martyres) confixa ſint. Siuè tandem alij ad veros Domini clauos repræſentandos efformati ſint iuſto quodam fidelium eius temporis deſiderio, quo hæc ipſa humanæ Redemptionis inſtrumẽta apud ſe retinendi flagrabant; nam cum proprijs, ac veris Chriſti clauis potiri non poſſent, ad eorũ ſimilitudinem alios curauerunt effici, vt hac ſaltem depicta veri claui ſpetie illorum pietas paſceretur, qua efformatos clauos, vti expreſſum quoddam paſſionis Chriſti veſtigium, venerabantur; ex quo capite tollitur omnis erroris, ac deprauatæ Religionis ſuſpicio, cum ad ſempiternam mortis dominicæ memoriam fideles demiſſis animis plures quaternario numero clauos adorant.

DISPVTATIO DECIMAQVARTA.

De effuſionibus ſanguinis Chriſti ſibi inuicem comparatis.

CAP. I.

Quænam ſanguinis effuſio ex ijs, quæ Chriſto in Cruce pendenti acciderunt, aliarum effuſionum prima fuerit.

QÆterùm de his dominici ſanguinis effuſionibus, quas Aſſertor noſter in Cruce paſſus eſt, nonnulla adhuc dubia, quę ad hanc materiam expreſſius declarandam, atquè illuſtrandam

pertinent, explicare oportet; in superioribus enim quæstionibus quatuor insunt difficultates scitu omninò dignissimæ. Prima difficultas est, quęnam ex his tribus, vel quatuor sanguinis profusionibus alias antecesserit sanguinis Christi effusiones. De qua putarunt aliqui hoc ordine è corpore Assertoris sanguineam substantiã manasse. Primò enim, inquiunt, ante sanguinis effusionem, quæ ex pedibus vberrimè defluxit, iam pręcesserat manuum cruentatio, quæ non simul, eodemq; tempore in vtraq; manu subsecuta est; sed potius interpolata vice, itaut primam, & atrocem traiectionis pœnam sinistra, mox secundum perfossionis cruciatum dextera manus exceperit. Probari autem potest præsens sententia ex feroci militum rabie, qua acti crucifixionis facinus perpetrabant tanta immmanitate, vt nullum crudelitatis, aut supplicij genus, quod ad augendam Christi pœnam diabolica arte excogitari posset, in præteritis reliquerint; atqui sinistra magis, quam dextra manus ob proximitatem cordis grauiores cruciatus solet experiri, igitur milites, quô dolores Christi omnium maximi euaderent, prius sinistræ manus palmam transfixêre. Præterea carnifices summo animi, ac virium corporis ardore mortem Saluatoris moliebantur, sed compendiaria ad mortem tendendi via est, partes lædere corporis Christi nobiliores, tenuiores, ac cordi, quod est fons vitæ, & spiritus, propinquiores, partem igitur corporis ad cor Christi proximiùs accedentem, qualis est sinistrę manus substantia, summis afficere cruciatibus certabãt milites.

S. Brigita. Beata Brigita seruato eo ordine effusionis sanguinis

inter

inter pedes, ac manus Chriſti, quem ſuperior ſententia admiſit, præpoſtera tamen ſerie dexteræ, & ſiniſtræ manus confoſſionem narrat libro primo reuelationum capite decimo nono his verbis. *Primò dextram manum affigentes ſtipiti, qui pro clauis perforatus erat; Indè trahentes cum funè aliam manum ad ſtipitem eam ſimili modo affixerunt, deinde dextrum pedem &c.* hęc Brigita.

Alij, quorum opinio ſemper mihi viſa eſt verò ſimillima, omnem de medio tollunt temporis interpolationem, quam prima, & ſecunda opinio concedunt inter varias haſce pedum, ac manuum ſanguinis effuſiones, ac docent Aſſertorem noſtrum à carnificibus humi proſtratum fuiſſe, atq; ſupinum ſuprà iacentem Crucem in terræ gremio, extenſum fuiſſe hinc brachijs vtrinq; in Crucis loco extenſis, & inde ſacratis pedibus in diſtincta Cruci inferiori parte diſpoſitis; moxq; ſimul, & ſemel pedes, ac manus Saluatoris in hac forma Cruci adhærentis aſſerunt quatuor clauis traiectos fuiſſe dato prius ad facinus iſtud perpetrandum ſigno, adhibitisq; pariter totidem malleis ferreis. Porrò autem non aliam in Chriſti crucifixione ſeruatam eſſe ſeriem ſanguinis effundendi, probant eæ ipſæ rationes, quas in anteriori diſputatione adduximus, eamq; ſimiliter mihi perſuadet exquiſitus, & omnium teterrimus in Aſſertore affligendo modus, quem ſtimulantibus Iudæis, vti in hoc, ſic etiam in reliquis Domini tormentis adhibuerunt carnifices. Etenim cum nullum intentatum pœnæ genus in alijs Chriſti ſupplicijs reliquerint vnquàm, certè nec in extremo crudelitatis ſupplicio, hãc quam innuimus crucifixionis formam omnium aliarum ſæuiſſimam,

mam, eos omisisse (ea erat Iudæorum, & carnificum rabies) arbitrari debemus.

CAP. II.

Quam formam obseruarint carnifices in transfigendis Iesu Christi pedibus.

VEnio ad secundam difficultatem, quam animaduerto variè, ac diuersimodè explicari; cuius quidem diuersitas tota est in ijs effusionibus, quæ ex terebratis pedibus emanarunt; de manuum enim transfossione nulla ambigendi ratio illis relinquitur, qui secum ipsi reputarint, transuersum Crucis dominicæ lignum aptissimum fuisse, vt in eo brachia, seu manus Saluatoris nullo impedimento transfoderentur.

Vt igitur præsenti difficultati satisfacerent varij Doctores variè suam explicarunt opinionem; etenim qui duos fuisse clauos arbitrantur, quibus confossi sint Assertoris pedes, non vnum huius difficultatis explicandæ modum excogitauêre; Aliqui enim existimant pedes Saluatoris æquali lõgitudine extẽsos fuisse, atq; vtriusq; pedis mutuò propinqui connexum duobus clauis singulum singulo, ac distincto clauo, traiectos fuisse. Verũ hãc vtriusq; pedis traiectionem tacta ratione explicatã non esse satis firmam, nec diuinę scripturę satis consentaneam probari potest, cùm ex communi vsu, & consuetudine pingendi Saluatoris imagines, quæ nusquam huiuscemodi formæ cernuntur, vt studiosissimus antiquitatis Lypsius annotauit tractatu de Cruce, in quo cum omne Crucis genus, crucíq; pariter affigendi modus, &

dus, & ratio perpolitè ab eodem oſtendantur varijs imaginibus, huius tamen formæ pedes transfigendi veſtigium nullum ſiuè ex ſacra, ſiuè ex profana hiſtoria deductum nobis reliquit. Tùm etiam quia ſtipes Crucis erectus tantæ nequaquàm magnitudinis eſſe conſueuit, quę ſufficeret ea ratione diſpoſitos, & à ſe inuicem diſtinctos pedes continere, quemadmodum ex ijs ipſis imaginibus animaduertere licet.

Alij docent, ſacroſanctos quidem Saluatoris noſtri pedes fuiſſe duobus clauis tranſuerberatos, non quòd vterque illorum ſeiunctim, & diſtincto ferro, ſed potius, alter alteri impoſitus, fuerit confoſſus duobus clauis. Videtur autem huic opinioni congruere mos vetuſtiſſimus, quo deſtinati homines ad patibulũ Cruci affigi ſolebant, ad quem feſtiuè, vt ſolet, alludens Plautus hanc formulã terebrandi pedes innuere voluit inquiẽs. *Ego dabo ei talentũ, primus, qui in Crucem excucurrit, ſed ea lege, vt affigantur bis pedes, bis brachia.* Verùm enim verò cum non modò antiquiſſimus vſus Chriſti imagines efformandi, ſed etiam eæ ipſæ imagines, quæ nunc vulgò, & viſuntur, & debito Religionis obſequio adorantur, hanc opinionem redarguant, valdè dubiam, & fortaſſis minus veram eſſe ſuſpicor; præcipuè cum nullo modo ei faueat adductum Plauti teſtimonium; nam quamuis vltrò concedamus Plautum ad id, quod argumentum petit, reſpexiſſe, de quo tamen ſenſu vir valdè doctus ambigit; non hinc eſt neceſſariò conſequens, huiuſcemodi transfoſſionis formam, & rationẽ fuiſſe in patibulo Chriſti obſeruatam. Etenim, ſicut ex ijs, quæ diſputata ſunt, patuit, vidimus quoſdam ad

Plautus.

Crucem

Crucem damnatos funibus duntaxat astringi consueuisse, & tamen ex alia parte hanc in Cruce ligandi morte plectendos formulam nequaquam Christo Domino adhibitam fuisse vidimus; ita similiter non cogimur duobus clauis vtrumq; alterum alteri superpositum Assertoris nostri pedem lęsum asserere, eo quod istud aliqnando crucifixis accidisse ex citato Plauti loco colligatur.

Tertio loco multi, & sanè nobilissimi scriptores volunt, vnumquemq; Saluatoris pedem ab altero fuisse seiunctum, cum ambo finderentur, sed ita tamen, vt quilibet eorum distincto clauo configeretur non quidem in erecto Crucis stipite, sed in asserculo quodam in medio Crucis hunc ad finem, & ex industria præparato, qui eam in Cruce sedem obtinebat, quæ in extremam ligni Crucis erecti partem vergit. Porrò tabella hæc Cruci infixa ea quodammodo ratione hominis crucifixi pedes sustentabat, qua terrea moles viri stantis plantas sustinet.

At nihilominus hæc sententia non omnibus arrisit; sunt enim qui putant totum istud commentum esse, quippè quod ex antiquis Romanorum ritibus, quos in adigendis in Crucem hominibus inuiolatè custodiebāt, colligi minimè potest. Nec desunt præterea, qui intelligant decreta, ac sententias Patrum, qui tabellam hanc in Cruce sæpius positam fuisse dicunt, non quia res ità se haberet, sed potius quia acerbam Christi passionem animo intuentes quadam pietate commoti votis omnibus expetebant asserculum in Cruce dominica, quo fulciti pedes Saluatoris, corpoream molem facilius sustinere possent.

Sed

Sed hanc eorum Doctorum interpretationem, meâ quidem ſententia, reſpuit hominum fides, nec tabellæ illa ex interna animi cogitatione, ſed ex ſolida rei potius veritate originem traxit. Etenim eam in Chriſti Cruce ſitam fuiſſe conſtanter, & enixè plurimi patrum memoriæ prodiderunt, qui tamen omnes non imaginationis, ſed ſola veritatis ſpetie commouebantur. In primis enim Iuſtinus Martyr in Dialogo contrà Triphonem declarans vaticinium illud de vnicorni ſic loquitur. *Vnicornis cornua alteri rei, aut figuræ, haud quiſpiam ſimilia dixerit; aut oſtenderit, quàm illi, quæ Crucem refert. Rectum enim eſt lignum, à quo eſt ſuprema pars in cornu ſublata cum alterum lignum aptatum eſt, & vtrinq; tãtum cornua, & vtrinq; illi cornu coniuncta extrema apparent, & illud medio defixum,* (aſſerculum videlicet, qui ob eam eminentiam, quę extrà rectum Crucis lignum erigitur, à Iuſtino cornu appellatur,) *& ipſum tamquam cornu eminet, in quo requieſcunt, & innituntur crucifixi*; quæ poſtrema illius verba clarè in Cruce tabellam, ſolũ crucifixorum fulcimen, fuiſſe oſtendunt. Præterea Irenæus lib. ſecundo cap. 42. ſic habet. *Ipſe habitus crucis fines, et ſummitates habet quinq;, duos in longitudinẽ, & duos in latitudinem, & vnum in medio, vbi requieſcit, qui clauis configitur.* Non me latet manifeſta horum patrum de tabella Crucis teſtimonia non aliter explicari poſſe, quàm ſi dicatur, patres illos alio ſenſu, & ab eo, quem nos verum eſſe putamus, diuerſiſſimo, tabellam vſurpaſſe. Verùm quia Iuſtini, & Irenęi ſententia, de qua ambigitur, clara eſt, vt ex contextu ipſo apparet, propterea tabellam ad fulciendos pedes eorum, qui

Iuſtinus Martyr.

Irenæus.

crucifigebantur, adiuentam esse, dubio procul arbitrari debemus. Nec aliud docere voluit Innocētius Tertius Pontifex Maximus sermone de vno Martyre illis verbis. *Fuerunt in Cruce dominica ligna quatuor, stipes erectus, & lignum transuersum, truncus suppositus,* (hoc est tabella suppedanea,) *& titulus superpositus.* Quibus accedit illustrissimum tabellæ huius testimonium Gregorij Turonensis libro primo de Gloria Martyrum capite sexto, cuius verba sunt. *Clauorum ergò dominicorum gratia, quod quatuor fuerint, hæc est ratio, duo sunt affixi in palmis, & duo in plantis; & quæritur, cum plantæ affixæ sint, quæ in Cruce sancta dependere visæ sunt potius, quàm stare. Sed in stipite erecto foramen factum manifestum est. Pes quoq; paruulæ tabulæ in hoc quoq; foramen insertus est, super hanc verò tabulam, tamquam stantis hominis sacræ affixæ sunt plantæ.* Hactenus Gregorius; quo cum, ni à se ipsis dissentire velint, consentiant, necesse est illi omnes, qui quatuor clauos in dominica crucifixione agnoscunt; secus enim facilem crucifixionis dominicæ modum tradere nequaquam poterunt.

Innocētius 3. tom. 1.

Gregorius Turonēsis.

Sed inquies, cum nimis accurata, nimiumq; nobilis, et artificiosa sit hæc ratio cōcinnandæ Crucis, quippequæ solerti artificum industria eget, nec verò simile, nec creditu facilè videtur in conficiendum hoc maledictionis, & infamiæ lignum sedulam hanc impendisse operam impios Saluatoris nostri carnifices. Sed hæc coniectura infirmo est subnixa fundamento; si namq; istud concederetur, non modò suppedaneum lignum, sed nec etiā erecto Crucis stipiti alterum breuius lignum in superiori Crucis parte constitutum fuisse concedendum foret,

quan-

quandoquidem æquo labore, & pari induſtria vtrumq; lignum, ſuppedanea videlicet tabella, & ſuperior ligni pars erecto ſtipitis ligno appoſita egent.

CAP. III.

Quæ fuerint pedum, ac manuum determinatæ partes, quæ cruore maduerunt.

SEd breuiter diſſoluamus tertium nodum, qui eſt de loco effuſionis ſanguineæ; vidimus enim manus, pedesq; dominicos clauis fuiſſe vulneratos; videre nunc ſupereſt, ex qua peculiari membrorum illorum, certaq; parte ſanguis dominicus dimanarit. Præcipuam autem huiuſce difficultatis occaſionem nobis dederunt Chriſti Dñi manus, quæ cum totam corporis molem ſuſtinerent, vix, ac ne vix quidem capit mens humana, quî fieri potuerit, vt partes illæ tenerrimæ, cuiuſmodi fuerunt omnes palmæ Chriſti partes, idoneæ fuerint tanto corporis oneri ferendo; quam quidem dubitandi difficultatem, quo quis attẽtius meditabitur, eò grauior illa ſemper euadet; ſi namq; diſſectionis artis profeſſoribus aliquam fidem habere conuenit, profectò non valuerunt Chriſti manus totã corpoream molem pondere ſuo ad terram vergentem ſuſtinere, propterea quòd nullum in manibus hominis obſtaculum erat, quô minus in duas partes traiecta clauo manus ſecaretur, impellente ad hãc diſſectionem corporis grauitate; cũ enim manus opificium pauca admodum habeat ſolidamenta, quæ oſſa vocamus, neruis inuicem nodata, &

adiuncta interse, quorum præsidio, dum manus suspēsi corporis nimio pondere grauātur, impediatur, ne in terram corruat hominis corpus, minimè videtur admittendum, palmas Christi suffeciisse ad tantam carnis molem retinendam, præcipuè cum superior pars manus in discretos à se inuicem digitos terminata sit, & carnali duntaxat nodo adnectatur posteriori manus parti, quæ modicè concauo sinu efformata facillimè à mole corporis pendentis perturbari, atq; disrumpi potest; siquidem porrecti in longitudinem digiti non aliam distinctionem seruant in posteriori parte manus, (si nodos, articulos, neruosq; spectes,) quàm illam discretionem, quàm inter se in superiori manus parte inuiolabilibus naturæ legibus custodiunt, atqui si digiti transfoderentur, non essent tantæ virtutis, qua suspensum, pendulūq; corpus retinere possent; igitur, neq; ad idem onus portandum sufficerent, etiam si palmę manus perfoderentur.

Ad hanc difficultatem tollendam plures hîc adscribi possunt responsiones, quarum nonnullæ à vero longius absunt; aliquæ verò rem pro dignitate attingunt, & explicant. Incipiam à primis; dixerunt enim aliqui, concauam manus Christi partem, quæ palma dicitur, nequaq̃ clauis fuisse perfossam, sed potius in ea manus parte stetisse clauos asserunt, qua manus brachio, brachiumq; manui mutuò adnectuntur, quæ in connexo, seu carpo sita est; quemadmodum olim in crucifigendis hominibus fuisse obseruatum, aliqui tradiderunt.

Alij attendentes crucifixorum corpora non clauis modò peti, sed etiam funibus, & vinculis astringi consueuisse

ſueuiſſe, vt refert Tertullianus in ſcorpiaco, vbi de vinculis Sãcti Petri ſermonem habens. *Tunc*, inquit, *Petrus ab altero cingitur, cum Cruci aſtringitur*, & Sanctus Ioãnes Chryſoſtomus homilia vigeſima nona in Secundam ad Cor. cuius verba ſunt, *quandoquidem & ipſe crucifigebatur, & vinculis aſtringebatur*, Sanctus Hilarius libro decimo de Trinitate citra medium idem de acerbiſſima Saluatoris noſtri paſſione tradit in hunc modum. *Penduli in Cruce corporis pœnæ, & colligantium funium violenta, vincula, & adactorum clauorum vulnera*; hoc, inquam, attendentes alij, ad retinendum in Cruce confoſſum clauis cadauer funes adhibitos fuiſſe opinantur, ſicuti nonnullæ, etſi paulò vetuſtiores Chriſti Domini imagines demonſtrant. Mihi tamen hæc opinio non probatur, ſiquidem ratio, qua Saluator noſter cruci eſt ſuffixus, ex vario aliorum crucifigendorum modo, & formula, quô in Crucem acti ſunt, petenda non eſt, vt ſæpè monui, quia igitur ex nullo certo ſcripturæ ſacræ teſtimonio Chriſtum fuiſſe cruci funiculis religatum habetur, non eſt temerè hoc de Aſſertore noſtro effingẽdum, quamuis alijs cruci affixis id nonnunquam acciderit; quod tantum fortaſſis innuere voluerunt citato loco Hilarius, & alij Patres, quorum verba retulimus.

Tertullianus.

Ioannes Chryſoſt.

Hilarius.

Motum igitur de Chriſti manibus dubium non vrgere duplici de cauſa arbitror. Primò, quia quęcunquè, vel tenuior manus totam corporis machinam haud difficili negotio retinere potuit, ne è Crucis patibulo deorſum in præceps ferretur, manus enim humana neruis pluribus conſtat, qui non minus ad retinendum quodlibet carnis pondus apti ſunt, quàm ad diſſectionem, ſeu

fractio-

fractionem in se ipsis admittẽdam difficiles, lentę enim, ac flexibilis naturæ sunt, quæ non tam cito disrumpi, frangiuè potest. Et hinc euacuatur prætereà difficultas tacta in corroboratione argumenti, ornatur enim manus humana suis fulcimentis, ossibus videlicet, quæ etsi in posteriori parte manus, hoc est in palma, eam distinctionem habeant, quam in reliquo manus ambitu possident, additur tamen illis robur, visq; neruorum, qui sicuti à corde tracti, atq; profecti in totum corpus, ità etiam in manus humanas ducuntur, in qua sic concinnè alter alteri cohæret, vt omnem manus partem, atq; illius ossa hinc, & indè inuicem nectãt, & miram, & ad retinendum quodlibet pondus aptissimam conplicationem efficiant.

Secundò. Licet Christi manus his non fuisset communita retinaculis, de quibus in superiori responsione diximus, adhuc tamen pendentem in Cruce Dominum sustinuissent tabellæ suppedaneæ auxilio, in qua crucifixorum cadauera conquiescebant. Videnda, quæ paulò ante de asserculo docuimus.

Restaret vnus adhuc eximendus scrupulus de ea pedum Christi parte, quæ clauis ferreis vulnerata sanguinem abundè suppeditauit, nisi ex ijs, quæ disputata sũt, sententia nostra euidenter colligeretur; putamus enim non connexum, sed plantam pedis Domini in se clauos vi mallei adactos recepisse.

CAP.

CAP. IV.

Num iam explicatis ſanguinis dominici effuſionibus noua aliqua ſanguinis profuſio addenda ſit.

ILlud poſtremò inquirendum eſt ; Num animam agenti Chriſto præter recenſitas, nouam alicuius membri transfoſſionem impij carnifices addiderint, ex qua noua ſanguinis copia proceſſerit. Tota ſuſpicandi ratio ad ſpineam coronam reducitur; nam de clauis ſatis, vt inſtituti noſtri neceſſitas exigebat, eſt diſputatum. Opinantur enim aliqui Saluatoris caput corona ſpinis gemmarum loco conſtante, vltrà primam vicem, de qua communiter Euangelia loquuntur, non fuiſſe redimitum, ſiuè cum Chriſtus ad montem, vbi mors oppetenda erat, properaret, ſiuè cum iam immane Crucis ſupplicium pertuliſſet. Colligunt ſuam hanc opinionem ex vigeſimo ſeptimo Matthæi capite, in quo ſacra Hiſtoria teſtatur à militibus tunica conſutili exutum fuiſſe Dominum, priuſquàm ad mortis patibulum duceretur, atqui ſpoliari veſtibus non potuit Saluator, niſi detracta prius ex ſacris ceruicibus ſpinea corona, quandoquidem veſtis illa Chriſti erat iudaico more contexta, & ad ceruicem dominicam arctior, & breui quodam orbe decenter compoſita. Neq; deinceps vnquam ſacrato capiti recèter coronam fuiſſe impoſitam legimus. Quid? cũ ſertum illud non totum caput ad pilei modum, ſed ad inſtar laureæ coronæ aliquas capitis Chriſti partes cingeret, nequaquaquam prægrandem crucem ferre potuit humeris Saluator, redimitis corona

tempo-

temporibus, illa siquidem duo mutuo, certoq; sibi erant impedimento.

Verùm, vti anteà opinionem istam, dum explanabamus varias in vniuersum Sanguinis Christi effusiones, falsam adiudicauimus; ità nunc talem esse rursus opinamur, certissimum ducentes Christi in Cruce pendẽtis caput largam sanguinis copiam ex capitis carne recenter læsa effudisse, quemadmodum testatur in primis Tertullianus libro contra Iudæos capite decimo tertio, cuius hæc sunt verba. *Isaac cum ligno reseruatus est ariete oblato in vepre cornibus hærente; & Christus suis temporibus lignum humeris suis portauit inhærens cornibus Crucis corona spinea in capite eius circumdata.*

Tertullianus.

Christus in Cruce coronam habuit.

Neq; dicas exigui esse ad opinionem nostram tuendam adiumenti citatum Tertulliani testimonium, ex quo solummodo haberi potest, spineam coronam Saluatoris capiti insedisse, dùm crucem ferret, non autem dùm clauis confossus penderet in Cruce; quoniam, & maximè opinioni nostræ prodest, & illis aduersatur Tertulliani auctoritas, cõuincitur enim post detractam vestem spineum sertum proprijs tulisse ceruicibus Saluatorem, quòd contrarię opinionis Auctores concedere nullo pacto volunt. Præterea vbi Dominus ad destinatum supplicij locum peruenit, recenter eius sacratum caput, quô facilius reliquis vestibus spoliaretur, (nudus enim in Cruce pepẽdit) nouo rursus sanguine inũdauit, ob detractam, ac tertia pariter vice impositam ei coronam; vt disertis verbis Deipara Virgo Beatæ Brigitæ aperuit libro septimo reuelationũ capite decimo quinto, *vbi quo facto*, inquit Beata Virgo, *coronam spineam, quàm*

Reuelationes D. Brigitæ.

quàm depoſuerunt de capite eius, cum crucifigeretur, iterum impoſuerunt, & aptarunt capiti ſuo ſacratiſſimo, quæ tàm forte pupugit &c. Quod ipſum inſinuant ea D. Matthæi verba, quibus oppoſitum ſentientes innituntur, docet enim ſola conſutili veſte ſpoliatum fuiſſe à militibus Saluatorem. *Et poſtquam illuſerunt ei, exuerunt eum chlamydem, & induerunt veſtimentis ſuis, & duxerunt eum, vt crucifigerent;* Cùm igitur illuſio turpiſſima Saluatori facta ſit non in veſte tantùm coccinea, verùm etiam in corona ſpinea, & cæteris mille opprobrijs, ſolaq; veſte ſpoliatus ſit Dominus à Iudæis pœnis, ac deriſionibus ſatiatis, certum eſſe omnibus debet, coronam ſpineam longiori tempore à Chriſti ceruicibus nequaquam abfuiſſe; quemadmodum egregiè adnotauit Origenes ad eundem Matthæi locum tractatu trigeſimo quinto ad hunc modum ſcribens. *De chlamyde ſcriptum eſt, quod de nouo ſpoliauerunt eum chlamyde coccinea, de corona verò ſpinea nihil tale ſcripſerunt Euangeliſtæ, propterea quod, & nos quærere volunt exitum rei de corona ſemel impoſita, & nunquam detracta.* Deindè huius noſtræ opinionis trahi poteſt argumentum ex falſo crimine regni affectati, quod callidè Iudaica gens ad inferendam Saluatori necem confinxit; hanc enim vnam fuiſſe mortis Chriſti calumniam, & titulus Cruci iniectus fidem facit, & falſi teſtes coram Præſide ſæpius peierantes oſtendunt. *Hunc inuenimus,* (verba ſunt Diui Lucæ capite vigeſimo tertio,) *ſubuertentem gentem noſtram, & prohibentem tributa dari Cæſari, & dicentem ſe Chriſtum regem eſſe*; atqui Rex diademate regio carere nequaquam debet,

Chriſtus pepedit in Cruce ſpineo ſerto redimitus.

Matthæus.

Origenes.

Luca 23.

neq; igitur Christus, qui, vt falsò criminabantur Iudæi, regni quærebat insignia, spineo serto spoliari debuit, quô sceleratissimi interfectores quoquo modo criminis noxam tegere possent. Tandem huic opinioni mirè congruit modus imagines Saluatoris in Cruce etiam coronam gestantis pingendi antiquissimus, qui ad nunc etiam vbiq; gentium visitur.

Quare ad appositæ opinionis momenta rationum breuiter dicendum est. Si fortè inter vestium mutationem contigit aliquando à Christi capite detractam coronam fuisse, vti conuincere videtur allata argumentatio, eam illicô in Iesu capite à militibus recenter positam esse arbitramur.

Nec secundo loco excitatum dubium obstat, siquidem nullum est inconueniens, quominus & pondere Crucis, & asperitate coronæ angi posset Saluator, maximè cum ad id omnium Iudæorum machinationes pessimæ tenderent.

CAP. V.

Quæ sanguinis Christi effusio aliarum omnium vberrima fuerit.

Dictum est hactenus de varia, ac multiplici sanguinis Domini effusione; nunc consequens est, vt quædam attingamus de copia, & abundantia eiusdem effusi sanguinis. Quæ quidem res tres habet quæstiones; nobisq; illa in primis fit obuia. An omnes effusiones iam explicatæ in copia sanguinis æqua-

æquales fuerint; an potius alię alijs vberiores extiterint. Equidem non vereor, quin ad quæſtionem reſpondendum ſit, inflictas Chriſto Domino plagas nullam effuſi ſanguinis ſeruaſſe æqualitatem, manifeſtum quippè ſit contemplantibus modum, diſpoſitionem, ac naturam illarum, primam vitalis ſucci effuſionem, quam Saluator octauo ab ortus ſui die paſſus eſt, lõgiſſimo diſtaſſe interuallo (ſi copiam ſanguinis conſideres) à ſanguine, ſiuè ſub flagellis, ſiuè in Cruce effuſo; modica enim in circumcidenda tenerrimæ carnis pelle ſanguinis quantitas eſſe debuit; non ſolúm, quòd humana Chriſti Domini natura, quippèquæ adhuc imbecillis erat, haud magno ſanguine pollebat; verùm etiam quia ex ea circumciſa carnis parte diſtillabat ſanguis, quæ vti minutiſſimis, arctioribusq; duntaxat venulis conſtabat, ità modicam ſanguinis quantitatem cuſtodiebat. Paulò largior circũciſionis ſanguine, ſanguis fuit, qui ex cute ſacroſancti capitis offenſa emanans ora, faciemq; Saluatoris madefecit. Tum proximè collocanda videtur ea ſanguinis profuſio, quæ ex omnibus Corporis Chriſti partibus, velut agmine ſanguinis facto decurrit in terram; Huius aũt opinionis meæ vnicũ adducã argumentum, quod huiuſmodi eſt. Omnes, & ſingulæ corporis dominici partes largiſſimo, ac copioſiſſimo ſudore ſanguineo ſic aſperſę ſunt, vt more aquę decurrentis ſanguinem in terram copioſum exonerarint, vti D. Lucæ verba ſignificant; ſed Chriſtus dum feruenti orationis ſpiritu æternum Patrem deprecabatur, indutus erat proprijs veſtibus, magna igitur effuſi ſanguinis debuit eſſe vis, & copia, quæ madefactis veſtibus ſic

grauiter è Corpore Domini eruperit, vt etiam vicinæ terræ loca irrigarit; quod de ſanguine ex coronę ſpinis intertextæ foraminibus dimanante dici non poteſt.

Verúm vrgebit nos aliquis eo maximè argumento, quòd quemadmodum Chriſti caput minimum carnis, ſic plurimum venarum habebat, quæ cum ſanguine turgerent, haud poterant nõ grauem, & copioſam dare ſanguinis ſubſtantiam, cum eę acutis ſpinis foderentur, quæ Dominici capitis cutem, venas, cęteraq; eiuſdẽ organa traijcientes ad cerebri domicilium vſq; penetrabant ſic acriter, vt magnos ſanguinis imbres excitarent, quod fieri minimè poterat in ſecunda ſanguinis effuſione, quippequæ non adeò ex multiplici venarum laceratione trahebat originem. Præterea venæ, vel tenui acu læſę copioſum ſtatim ſanguinem emittũt; in Chriſti autem coronatione, cum non vna duntaxat vena, ſed omnes fermè vitiatæ fuerint, ſi non ſtatim, mox ſaltem, paulatim totum capitis ſanguinem, qui plurimus eſt, emiſiſſent: oculis enim ipſis cernimus in dies, ex tranſfoſſa vena, ni eidem inflictum vulnus obſtruatur, omnem sãguinis copiam decurrere; in Chriſto autem Domino nullus reperiebatur, qui aut capitis vulnera curaret, aut effundentem ſe ſe ſanguinis copiam continere poſſet, cum igitur multo tempore ante obitum crudeles venarum capitis dilacerationes tuliſſet, quid poterat impedire, ne copioſiſſimum ſanguinis profluuium dimanaret; quod longè vinceret ſanguinei ſudoris copiã? Ad hæc ſanguineus Saluatoris ſudor vltimo duntaxat tempore, cum tertia vice oraret, è venis prodijt, ſanguis autem vi ſpinarum elicitus per ſeptem horarum ſpatia

fiue

ſine vlla requie ſenſim è capite diſtillauit, (tãtum enim temporis à coronatione vsq; ad Chriſti necem interceſſiſſe arbitramur,) meritò igitur erit affirmandum maiorem fuiſſe ſanguinis copiam è capite, quam è corpore toto fuerit emanans ſudor. Ad extremum accedit Beatæ Brigitæ auctoritas, quæ non obſcurè maximo maduiſſe vulneratum Chriſti caput ſanguine docet hunc in modum ſcribens libro primo reuelationum capite decimo nono. *Quo facto aptarunt coronam de ſpinis capiti eius, quæ tàm vehementer reuerendum caput filij mei pupugit, vt ex ſanguine fluente replerẽtur oculi eius, obſtruerentur aures, & barba tota decurrente ſanguine deturparetur.* Sic Brigita. *B. Brigitæ*

Verùm, vti non exiguam offenſi capitis copiam ſanguinis fuiſſe non inficior, ſic exiſtimo hunc capitis ſanguinem ſudori ſanguineo cõceſſiſſe, cuius quidem opinationis meæ nõ aliud adducam fundamentum, quàm quod paulò ante in medium protuli, quod quia clarum eſt ad opinionem noſtram tuendam, tantùm oppoſitis rationibus ſatisfaciendum erit.

Dùm Saluatoris caput ſpinæ obſiderent, cutem, ſeu pellem ſacrati capitis pupugerunt quidem, & nõnullas etiam arctiores venulas læſerunt, ex quibus ſanguis ꝓceſſit, quemadmodum Chriſti Domini effigies vulgò declarant, at nobiliores, amplioresq; venæ, vel nullę, vel profectò paucæ admodum offenſæ fuerunt, quippequæ aſperioris ſunt materiæ, quæ non ità facilè ictibus, aut ſectioni patet labitur enim, & lubricarum, mobiliumq; donata conditione vena diſrumpi, transfodiuè nequit, niſi ſtudio, ac diligentia retineatur. Neq; verùm duxe- *Aduersus.*

rim

rim ad intima cerebri latibula, vsq; à carnificibus actas esse spinas; nam cum humanum cerebrum, non secus, ac cor vitę hominis obtineat principatum, non nisi certo vitæ Christi discrimine lædi, tangiuè potuit; & tamen post spineum fertum superuixisset Dominus, vti re ipsa per aliquot horarum spatia vitalem spiritum duxit.

Ad secundum. Plures capitis Christi venæ à traiectione spinarum immunes fuerunt, vti vidimus; & prętereà arbitrãdum non est vitiatas vulnere venas mox sanguinem totum effundere, clauditur enim sępè numero vulnus, maximè si arctiores, & angustæ venæ sint, vel illo ipso transfossionis instrumento, vel sanguine dimanante, qui frigoris acrimonia concrescens læsas nonnunquam venas obstruit; quod euenire potuit Saluatori, qui nudato capite, frigidoq; aëre patiebatur.

Ad Tertiũ Diuturnior quidem temporis mora inter spineam coronam, & Christi obitum interceſſit, quàm fuerit in sudore pellendo consumptum tempus; at nõ temporis, sed modi sanguinis emittendi ratio habenda est; potuit enim breuissimo temporis articulo, qualis fuit is, quo sanguinis globos sudauit Christus, maior sanguinis copia effundi ex tota corporis Domini mole, quàm dilaniatum Saluatoris caput longiori tempore emittere posset; ad eum morem, quô subito coorta tempestate maximus imber ab æthere toto in terram prosiliens, vel ictu oculi terræ viscera largius irrigat, quàm eundem terræ sinum humectare possit tenuissimis guttis tota die distillans aqua.

Adijce, capitis sanguini præstasse sudorem sanguineũ copia, & vbertate ob hãc præcipuè rationem, quæ in superio-

ſuperiores etiam argumentorum reſponſiones competere poteſt; quod licet nobiliores etiam capitis venæ ſpinei ſerti ſenſerint nocumẽtum, æqualem tamen ſanguineo ſudori profundere haud potuere ſanguinem; coërcebatur enim ab ijſdem ſpinis, ne ſanguineus ſuccus effluereт, propterea quod tenaciter ſacro capiti adhærentes ſpinæ proprium foramen, quandiu ei inſtiterunt, ità obſtruebant, vt ſanguinei fluxus iter obſiderent; at in ſudore ſanguineo. Vindicis noſtri nulla fuit venarũ obſtructio, ſed largo, patentiq; hiatu copioſiſſimum ſanguinis imbrem effuderunt venæ.

Diuæ autem Brigitæ teſtimonium, quo deturpatam Saluatoris noſtri faciem, repletas ſanguineo cruore aures, atq; infectos ſanguineo ſucco Chriſti oculos declaratur, veritatem ſanguineæ fluxionis, non autem ſuperiorem ſparſo inter orandum ſanguine, ex capite dimanantem ſanguinem fuiſſe aſtruit, vt alibi oſtenſum eſt.

At rurſus ex opinione noſtra, quæ bis coronam ſacrato capiti impoſitam, bisq; pariter ab eodem detractam fuiſſe affirmat, nouus emergit ſcrupulus, qui talis eſt; pars capitis Chriſti duris tribulorum offenſa ramuſculis magna, ac pergrandi non caruit ſanguinis effuſione, ergò cum detracta iam corona nullum eſſet impedimentum, quod emergentem ſanguinem retinere poſſet, iteratisq; vicibus teſte B. Brigita maximus ſanguis ex apertis capitis Chriſti plagis erumperet, nullam meretur fidem id, quod docuimus, ſuperiorem nimirũ fuiſſe hanc tertiam ſanguinis effuſionem duplicibus illis, ac copioſiſſimis ceruicum ſanguinis effuſionibus. ſed iſta opinionis noſtræ fidem non minuunt; quamuis enim

enim pergrandis imber sanguineus ex capite dominico duabus illis vicibus decurrerit; si tamen totum hunc cruorem sanguineo sudori ex omnibus Christi membris profluenti comparemus, minorem illum sanguinis sudore fuisse cogimur opinari.

CAP. VI.

Quanta copia fuerit eius sanguinis, qui ex flagellorum, & clauorum ictibus emanauit.

SVperioribus illis omnibus lõgè maiores proculdubio fuerunt eæ sanguinis effusiones, quas innocens agnus in flagellis, & in Cruce passus est. Verùm vtra earum fuerit maiori sanguinis copia nobilior, ambigi potest. Breuiter tamen dicam, quid animo meo occurset. Vel igitur vocabulo effusionis in ligno Crucis peractæ, omnes pedum, manuum, lateris, ac deniq; corporis plagas, aut certam aliquam manus, vel determinati membri plagam intelligimus; si dicamus omnes comprehendi, sine dubio nobiliorem fuisse Crucis dominicæ sanguinem, dicendum videtur, quandoquidem non vna certa, ac determinata fuit sanguinis effusio; sed aggregatum quoddam fuit (vt loquuntur philosophi) ex multis, diuersisq; sanguineę substantiæ effusionibus, quæ omnes vno effusionis comprehensæ vocabulo, principem sanguineę effusionis dignitatem obtinuerũt. Etenim in extremo Saluatoris supplicio omnia recruduerũt vulnera, omnes diri flagelli refricatæ plagæ sanguinem dederunt, arterię, ac corporis Christi venæ atrocem passæ sunt dilaniationem, pedes, ac manus ferreis

ferreis traiectæ clauis sanguine maduerunt, ac omnia denique Christi membra sanguineo cruore inundarunt. Quòd si dicatur, nomine effusionis istius vnã duntaxat ex prędictis effusionem intelligi, asserẽdũ est flagellorũ sæuitia expressum è venis sanguinem omni alio sanguine fuisse copiosiorem, immanis enim atrox, & omnium vulnerum crudelissima fuit hęc Christi Domini plaga, id quod multis, ac disertis verbis prosequitur Deipara Virgo, primo reuelationum Diuæ Brigitę, seruam suam sic alloquens. *Consurrexerunt autem inimici eius, qui fugientibus amicis suis vndiq; astabant, & flagellabant corpus eius ab omni macula, & peccato mundum. Ad primũ igitur ictum ego, quæ astabam propinquius cecidi quasi mortua, & resumpto spiritu vidi corpus eius verberatum, & flagellatum vsq; ad costas, itaut costæ eius viderentur, & quod amarius erat cum retraherentur flagella, carnes ipsis flagellis sulcabantur; cumq; filius meus totus esset sanguinolentus, totus sic laceratus, vt in eo non inueniretur sanitas, nec quid flagellaretur; tunc vnus concitato in se spiritu quæsiuit numquid interficietis eum sic iniudicatum? et statim secuit vincula eius; inde filius meus induit se vestimentis suis: tunc locum, vbi stabant pedes filij mei totum repletum vidi sanguine, & ex vestigijs filij mei cognoscebam incessum eius, quo enim procedebat, apparebat terra infusa sanguine.* Hactenus illa. Amplius flagellum, quo Saluatoris corpus percutiebatur, fuit teste Euthymio in Matthæum è funiculis, ac lonis contextum, crudele supplicij genus, & inter flagellationis instrumenta crudelissimum penitus instrumentum: sed non hic stetit carnificum rabies; etenim cum virgis etiam damnatorum dorsa cædi consueuissent aliquan-

B. Brigita.

Grauitas flagellationis Christi.

Quale fuerit flagellum quo Christus cædebatur

dò, sacratissimum Christi corpus virgis secuerunt sęuissimi milites, vt inquit diuinum humanæ sanctitatis, & scientiæ iubar Hieronymus; quin immò nec virgis contenti, verber, quò crudelius Saluatoris carnes dilacerarent, seque in sanguine agni volutarent, insitis talis osiculis exasperauerunt. De quo supplicij genere audiat lector, ne puram mentis cogitationem quis istud esse

B. Brigita. arbitretur, Virginem matrem de flagellis Christi cum Brigita sermocinantem libro quarto reuelationum capite septuagesimo. *Deinde iubente lictore se ipsum vestibus exuit columnam sponte amplectens, ligatur, & flagellis aculeatis infixis aculeis, & retractis non euellendo, sed sulcando, totum corpus eius laceratur.* Præterea Diuus Vin-

D. Vincentius. centius tria flagellorum genera, quibus ordine quodam in corpus Christi sæuitum est, recensetsermone de pas-

Triplici flagello Christus cruciatur. sione Domini, atq; in primis Saluatorem spinis, & vepribus acutissimis, secundò flagellis aculeatis, tertiò tandem, & vltimò hamatis catenis fuisse verberatum opinatur. Et profectò grauissimis, numerosissimisq; vulneribus affectum fuisse Saluatorem non tantùm scriptores docent, sed, & ratio fateri cogit; non enim Iudaico, sed Romano more, neq; à Iudæis, sed à Gentilibus flagellabatur Vindex salutis nostræ Christus; Gentiles autem adeò crudeliter contrà miserrimum quemq; flagello insurgere consueuerant, vt sæpè numero (ea erat gentilitatis immanitas) plerosq; sub flagellis ipsis interficerent, quod fortassis Domino accidisset, ni, vt Beata Brigita citato loco refert, è Barbarica carnificum ferocia (Dei prouidentia) quidã misericordia motus vinculasecãdo Christum Dominum vindicasset. Amplius

hoc

hoc immane ſupplicium eò à Præſide ordinabatur, vt hac miſerrima ſpetie ad miſericordiam truces Iudæorũ animos flecteret, atqui inteſtinum Iudaicæ gentis in Saluatorem odium teterrimum erat; non igitur leui, ſed grauiſſimo tantùm flagelli cruciatu potuit ſatiari; quemadmodum optimè nouerat Pilatus, qui praua Iudæorum ingenia, & certam in Chriſti caput conſpirationem percallebat. Ad hæc nec obſcuro, nec infirmo argumento grauiſſimam fuiſſe, atq; abundantiſſimam ſanguinis vi verberum expreſſi effuſionem perſuadet ipſius Chriſti Domini vaticinium Matthæi vigeſimo, vbi acerbiora paſſionis ſuæ tormenta, quæ poſtmodum illi euentura erant, recenſens, præcipuè vnius flagellationis, vt potè ſçueriſſimi ſupplicij, mentionem fecit. *Matt. 20.* *Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & filius hominis traditur principibus Sacerdotum, & Scribis; & condemnabunt eum morte, & tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum.* Quid plura? an non Sacri vates, qui quemadmodum pręcones erant maieſtatis Chriſti, ita ſimiliter ſuppliciorum eiuſdem declaratores fuêre, an non Dei ſpiritu pleni crudeliſſimã futuram eſſe Chriſti Domini flagellationem pari, & conſona voce prædixerunt? *A planta pedis, vsq; ad verticem non erat in eo ſanitas. Nos putauimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo, Vidimus eum, & non erat ei aſpectus*; quæ omnia Prophetarum vaticinia grauiſſimam fuiſſe Aſſertoris noſtri flagellationem clamant, ex qua Chriſtus ſimillimam leproſi ſpetiem contraxit, decorem atq; aſpectus venuſtatem perdidit, ac nullam deniq; in ſacris illis membris ex flagellorum ictibus ſanitatem, aut integritatem retinuit.

Libro 4. cõtra Marcionem.

Sed libet dominicæ flagellationis atrocitatem probandi finem facere præclaro antiquissimi patris Tertulliani testimonio; qui ex illis Isaiæ verbis cap. 63. *Quis est ille, qui venit ex Edon, rubor vestimentorum eius ex bosor. Sic decorus in stola violenta cum fortitudine. Quare rubra vestimenta, & indumenta sunt de foro torcularis pleno conculcato*, colligens aduersus Marcionem hæreticũ Isaiæ oraculis diù ante Saluatoris aduentum expressam fuisse præclaram carnis Christi, & sanguinis figuram, hæc subnectit, quæ copiosissimam fuisse præsentem sanguinis effusionem, declarant. *Spiritus propheticus, velut iam contemplabundus Dominum ad passionem venientem, carne videlicet vestitum, & in ea passum cruentum habitum carnis in vestimentorum robore designat conculcatæ, & expressæ vi passionis, tamquàm de foro torcularis; quia ex inde cruentati homines de vini ruborum descendunt.* Hęc Tertullianus cuius sententia in verbera, ac flagellationem Christi perbelle quadrat; sub illis enim flagellis tamquam sub torculari pressa Saluatoris caro diuinũ sanguineæ substantiæ liquorem sic fudit, vt tota Christi natura cruẽtata sanguine, dilaniata ictibus, & conculcata, atq; perfusa fuerit magno sanguinei succi profluuio.

CAP. VII.

Venerabilis Bedæ de flagellatione Christi opinio.

NON ignoro tamen quosdam esse, qui non adeò atrocem fuisse Christi flagellationem probent ex iusto Pilati desiderio, ac bona eiusdem Præsidis in Christum propensione voluntatis, quibus Assertorem

torem veritatis è carnificum manibus ſtudebat eripere; aduerſabatur autem Pilati animo, ac cogitationi tàm crudelis flagelli permiſſio, præcipuè cum flagellationem ipſius Præſidis iuſſu executi ſint milites, non igitur potuit Pilatus tortoribus permittere, vt tam immanè ſæuirent in Chriſtum; quî enim crudelitas verberum, & miſerationis Pilati affectus eſſe ſimul potuerunt? Præterea ſuis ipſe manibus Præſes flagellationis ictibus Saluatorem petiuit, quemadmodum expreſſis verbis annotauit Venerabilis Beda tractans illa Marci verba. *Et tradidit Ieſum flagellis cæſum* Vbi hęc habet cap. decimo quinto. *Ieſus autem flagellatus non ab alio, quàm ab ipſo Pilato intelligendus eſt; ſcribit namq; Ioannes. Apprehendit Pilatus Ieſum, & flagellauit; quod quidem ideò feciſſe credendus eſt, vt ſatiati opprobrijs eius Iudæi mortem vltrà ſitire deſinerent.* Fidem autem humanam excedit tot verberibus à ſolo Præſide, tantoquè ſupplicio pænè necatum fuiſſe Saluatorem; leuis igitur, vti Præſidis pietatem decebat, & non adeò atrox fuit flagellatio. Ad hęc, ſicuti in omnibus Chriſti Domini pœnis, ità in flagellorum cruciatu non eſt, ſic facilè ad miracula cõfugiendum, vbi Euangelica narratio etiam ſecundum litteralem ſenſum ſaluari, atq; congruenter exponi poteſt, atqui ſupergreditur creatæ naturæ vires hominem tetris adeò flagellorum ictibus pęnè confectum non interire, quis enim amabo, vel robuſtiſſimus tot verberũ millibus non trucidaretur, mitior igitur Aſſertoris flagellatio fuerit neceſſe eſt, ni diuinum, vbi minimè opus eſt, fingamus miraculum.

Quid? Quæuis flagellandi conſuetudo, quantumuis

etiam

etiam apud Barbaricas gentes, quibusdam terminis, ac finibus circumscribebatur, ne in certissimum vitę amittendæ periculum Cruci cõfodiendus adduceretur, atqui quinq; & sex etiam millia verberum vulnera omnes crudelitatis terminos transiliunt, non igitur totidem millibus obnoxium fuisse Saluatorem putandum est. Marc. cap. 15. Postremò illa cap. 15. Diui Marci verba, *Et cum iam serò esset factum (quia erat parasceue, quòd est ante Sabbatum) venit Ioseph ab Arimathea nobilis decurio, qui, & ipse erat expectans regnum Dei, & audacter introiuit ad Pilatũ, & petijt corpus Iesu; Pilatus autem mirabatur si iam obijsset. Et accersito Centurione interrogauit eum si iam mortuus esset*, nec grauem, nec periculosam fuisse Christi Domini flagellationem manifesto mihi sunt iudicio simul, & argumento; si namque Saluatoris mors, tam celeriter subsequuta Præsidem in magnam admirationem traduxit, quippè qui longius vitam in Cruce propagaturum fuisse putabat Assertorem nostrum, hinc profectò, nisi inanis fuit hæc Præsidis admiratio, mitiorem fuisse Christi percussionem colligẽdum est; secus enim quid erat, cur tanta de acelerato Christi obitu afficeretur admiratione Præses, si Iesum tot flagris vulneratum Crucis patibulo adiudicasset? quandoquidem iure meritissimo quilibet rationis, & consilij particeps admirari debuerat potius in Christo vel breuissimam post flagella vitam, quam subitum in Ctuce ex hac vita discessum.

At mihi superioti capite explicata sentẽtia adeò vera videtur, vt me nulla ratio in oppositũ trahere possit; est enim illa communi fidelium assensu, grauioribus rationum

num momentis, ac certo aliorum Patrum decreto subnixa. Facilè autem euertuntur cõtraria; etenim quod ad primum attinet, non semel est ostensum quo pacto nõ pugnarint in Pilato sæuæ flagellationis permissio, & iustum quoddam Christi à morte vindicãdi desideriũ; si quidem ad vitandam Saluatoris mortem videbantur ista duo planè necessaria ad eum fermè modum, quo Medicus ad præcauendum, ne mors ex certissimis morbis ægrotanti accidat, asperiora, ac amarissima medicæ disciplinę pharmaca ęgroto solet adhibere; quamuis spe ista frustatum fuisse Præsidem mortis Christi exitus probarit. *Ad primũ.*

In ea quidem opinione fuit Venerabilis Beda, vt à Præside ipso cęsum esse flagellis Saluatorem arbitraretur; at nullam illius sententia habet probabilitatis speciem; quis enim inducat animum suum credere, Præsidem generis nobilitate pollentem, ac in tota Iudęa vitę, ac necis potestate insignem omnium turpissimo muneri, quale fuit flagellationis ministeriũ, proprijs manibus operam impendisse? seruorum enim, militum, aut carnificum, non autem Principis dignitate viri fuit opus istud, vt sacræ, atq; profanæ historiæ testantur. Quare illud Diui Ioannis testimonium, quod Bedam in hanc opinionem traxit, accipiendum, atq; intelligendũ est, non appræhendisse per se, sed per ministros, siuè lictores, siuè quosuis alios huic muneri prefectos, quod enim per seruos Domini operantur, (vti doctè in eundem Ioãnis locum annotauit Caietanus,) id per se operari, vsitato loquendi more, dicuntur. Quod si nõ acquiescas, Bedę opponam D. Hieronymum, qui nostram de- *Ad secũd.*

ceus

cens opinionem sic loquitur in Matthæum capite. 27.

D Hieronymus. *Traditus est igitur Iesus militibus verberãdus, & illud sanctissimum corpus pectus Dei capax flagellis secuerunt.*

Ad tertiũ. Sine miraculo potuit Christus sit acriter loris verberatus vitam viuere, durissimis namq; verberibus illis exteriores duntaxat corporis partes cędebantur, quę nõ adeò mortis periculo obnoxiæ sunt, dorsum enim, & cætera robustiora corporis membra contondebantur, & intacta fuêre principaliora intestinorum membra, qualia sunt cor, ępar, & huiusmodi, ex quibus, vel leuiter offensis mors oritur. Posset iure concedi nullum non intercessisse miraculum, vti conuincit argumentatio.

Ad quartũ Inficior quamlibet flagellationem apud Gentiles fuisse certo quodam verberum numero prædefinitam; immò ad libitum tot nonnumquam erant plagæ, quòd vesana tortorum rabies volebat; Et quamuis apud Iudæos esset in more positũ, vt Cruci affigendus quadregenario duntaxat plagarum numero afficeretur, quam cędendi consuetudinem inuiolabili lege seruatam esse à Iudęis testis est S. Paulus secunda ad Cor. vndecimo.

Ad Cor. 11. *A Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi*, Christus tamen Dominus non iuxta Iudaicas, sed Romanas leges, tetris ictibus dilaniatus est.

Cur Pilatus subitã Christi mortẽ deminatus fuerit. In vltima argumentatione explicanda multi insudarunt. Sunt, qui astruant, Præsidis admirationem ortum habuisse ex eo, quòd Pilatus cognita subitò mortis Christi fama in vno Crucis supplicio cogitatione defixus cętera, quę ante Crucem Saluator passus erat tormenta non animaduertit, quare cum alij in Crucem acti diù, & longius miserrimam vitam producere solerent, (vti latronibus

latronibus accidit, qui crurifragio è terris conceſſerunt) propterea tam citò ſupremum ſpiritum efflaſſe Saluatorem Præſes mirabatur; ſed hęc eorum reſponſio non planè mihi ſatisfacit, nam ſicuti fieri potuit, vt ſubitam Saluatoris mortem cogitanti Pilato ſola obuiam data ſit Crucis dominicæ pæna, attentis nequaquam cæteris Chriſti cruciatibus, (quandoquidem fuit illa prior Præſidis cogitatio imperfecta, nec ſuis omnibus ornata circumſtantijs) ita reor prorſus impoſſibile, eidem Præſidi attentius, ac diligentius Chriſti obitum perpendenti, ēt flagellorum percuſſionem, cæteraq; ſupplicia ad accelerandam Saluatori mortem opportuna, quæ iam tum paſſus fuerat Chriſtus, non illuxiſſe; fuit enim hæc plena, & omnibus ſuis numeris abſoluta mortis Chriſti recogitatio, in qua totum fuiſſe Præſidem, durante adhuc mortis Domini admiratione, interrogatio Centurioni facta ad Chriſtum cuſtodiendum inuigilanti, declarat. Alij ſic opinantur. Quamuis teneret optimè Præſes, illata Chriſto Domino tormenta potiſſima fuiſſe ad repentinam Saluatoris mortem operandam, in admirationem tamen ductus eſt, quoniam Diuinum quemdam eſſe heroem Chriſtum arbitrabatur, qui aut nullo modo, aut certè multo tempore poſt Crucis patibulum, morti succumbere poſſet. At qua ratione eum in mortem adiudicaſſet, quem mortis periculo immunem eſſe poſſe arbitraretur? Addunt alij probabilius, ſigna omnibus ſanè admiranda, quæ acciderunt, dum Chriſtus occubuit, de quibus diſertè Matthęus capite vigeſimo ſeptimo, magnæ admirationi fuiſſe Pilato, qui tantis commotus miraculis magnam conceperat de Chriſti

persona opinionem, ratus illum verè Dei patris filium esse, vti ab eodem Saluatore, cum adhuc viueret in terris, non semel acceperat. pro qua opinione pugnare videtur Euthymius in Matthæum, qui Præsidis admirationem considerans, tactam assignat Pilati admirationis causam. Ego sentio veram huiusce admirationis causam fuisse, expressam de atrociſſimis Christi supplicijs cognitionem, cum enim optimè sciret Pilatus, Christo Domino inuictum animi, & corporis robur haud vnquam defuisse, quo fultus grauissimos plagarum cruciatus inter illusiones, & ludibria, inter spineam coronam, aliaq; huiusce generis infinita propemodum tormenta pœnarum non occubuit (ea erat inuictissimi Ducis nostri constantia, & virtus) hinc etiam inter acerbos Crucis dolores diù vitam propagaturum fore Saluatorem secum ipse Præses cogitabat. Cuius cogitationis suæ oppositum statim ac intellexit, percrebrescente nimirum mortis Christi fama, obstupuit ob subsequutam opinione sua celerius Domini mortem, vti videtur asserere Angelicus Doctor tertia parte, quæstione quadragesima septima, articulo primo ad secundum, vbi, *dicendum*, inquit, *quod, vt Christus ostenderet, quod passio illata per violentiam eius animam non eripiebat, naturam corporalem in sua fortitudine conseruauit, vt etiam in extremis positus voce magna clamaret, quod inter alia miracula mortis eius computatur. Vnde dicitur Marci decimo quinto. Videns autem Centurio, qui ex aduerso stabat, quia sic clamans expirasset, ait, verè hic homo filius Dei erat; fuit etiam mirabile in Christi morte, quod celerius mortuus sit alijs, qui simili passione afficiebantur. Vnde dicitur Ioannis decimo nono, quod*

Euthymius.

Sententia Auctoris.

S. Thomas

corum,

eorum, qui cum Christo crucifixi erant, fregerunt crura, vt citò morerentur, ad Iesum autem cũ veniſſent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura. Et Marci decimo quinto dicitur, quod Pilatus mirabatur, ſi iam obiiſſet; ſicut enim eius voluntate natura corporalis conſeruata eſt in ſuo vigore vsq; ad extremum; ſic etiam quando voluit, ſubitò ceſſit nocumento illi. Hactenus Sanctus Thomas; quià igitur naturam Chriſti corporalem in ſuo vigore vſq; ad extremũ perſtitiſſe agnouerat Præſes, pari modo etiam in Cruce longius eandem Saluatoris naturam, diutiusq; ſuperſtitem futuram exiſtimabat; verùm quià ſubito Chriſtus ſponte ſua acerbiſsimo Crucis dolori ceſſit, mirabatur Præſes conſeruati diu corporalis Chriſti roboris planè dignoſcens veritatem, ſed ſubitæ mortis nõ valens attingere rationem.

Quocirca, cuicunq; ex recitatis ſolutionibus ꝓpoſitæ argumentationis reſponſioni aurem præbeas, habebis grauiſsimam fuiſſe Saluatoris flagellationem, colligeſquè præterea ex ſubita Præſidis de morte Chriſti admiratione, nullum firmum ad oppoſitum opinionis noſtræ aſtruendũ erui poſſe argumentum; ſed de his ſatis.

CAP. VIII.

De numero verberum flagellationis Chriſti.

De numero verberũ Ieſu Chriſti.

ILlud ſubindè quæri poteſt, nùm certa aliqua de numero verberum Chriſti notitia haberi poſsit. Et plures quidem in hoc numero aſsignando fermè cõueniunt aſſerentes Chriſti Domini plagas, & verbera ad quingentos ictus ſupra quinque millia peruenisſe; Qui-

bus propè assentiuntur ij, qui suprà quinq; plagarum millia recensent 435. verba.

Opinio S. Vincentij de numero plagarum Christi.

At longè aliud de plagis Domini sensit Diuus Vincentius sermone de Christi passione; etenim cuidam Medicorum decreto adhærens, quo corporis humani ossa 276. duntaxat esse docent, verberum Saluatoris multitudinem, ac numerum ex ossium Christi numero colligit, triplicemq; diri flagelli ictum, vnicuiq; ossi respondisse meditatur, qui omnes ictus, si ad calculos reducantur non longius, quam ad viginti octo plagas supra octingentos ictus perueniunt.

Sed, vt maximam fuisse flagellorum vim non inficior, sic certum non posse assignari numerum existimo ob maximam huiusce rei obscuritatem, ad quam illustrandam, nec rationes prosunt, nec pondus aliquod habent coniecturæ, neq; sacra siuè scripturæ, siuè Patrũ monumenta certi quidpiam nobis significarunt.

Incertus verberum Christi numerus.

Quare, etsi ea, quæ de numero plagarum Saluatoris prodiderunt illi, quorum dicta proximè retulimus, non sint vllo quouis pacto damnanda, sed aliqua potius probabilitatis specie non careant, ea tamen non ex certa aliqua rei huius cognitione, aut scientia, sed ex religione, & tenera quadam meditantis animi pietate ortum habuerunt.

CAP.

CAP IX.

Quid de tribus postremis sanguinis Christi effusionibus opinandum sit.

SEd reuertamur ad contemplationem aliarum sanguinis effusionum; expendendæ enim adhuc sunt manus,& pedis vtriusq;,ac lateris insignes sanguinis riui,quorum hi spiritū ducente Xpo,hic verò soluto iam è corpore spiritu profluxerunt. Crediderim haud multum discriminis inter vtriusq; manus,ac pedis effusiones interceſsisse,ambo enim membra illa, palmæ scilicet, ac plantæ pari fermè interuallo distant à naturali domicilio,ac sede sanguinis, quodcunque sit illud, siuè hepar,siuè cor, ambo etiam nō ingenti carnis mole,aut sanguine copioso, sed potius musculis, neruis, acerrimoq; sensu pollent; & licet extremæ illæ corporis Xpi partes non exiguam sanguinis copiam dederint per totum temporis spatium,quo Saluator in Cruce pepēdit, sensim tamen sanguis distillabat, impedientibus ferreis clauis,ne totum offensæ venæ sanguinem spargerent.

Crediderim pariter, quamlibet harum effusionum, circumcisionis, perfossi capitis, & sudoris etiam sanguinei effusionibus maiorem, & vberiorem extitisse. Cuius rei ea videtur esse ratio, quoniam semper Saluatoris crucifixi pedes, ac transfossæ manus, quoad vixit Assertor noster,sanguinem emiserunt,cum autem trium,vel quatuor horarum spatio vitam duxerit in patibulo Dominus, abundantiorem sanguinis copiam in Cruce edidit, quàm fuerit quantitas aliarum effu-

effusionum, illę siquidem, vel ad breuissimum tempus, vti in circumcisione, & in sanguineo sudore, vel certè minutissimè, vti in coronatione Christi accidit, sanguinis fluxum dederunt.

Sed quid de sanguinis ex latere manantis copia putandum? magna nè, an exigua fuit? Certè perexiguum ex latere Domini lancea aperto profluxisse sanguinem
li Brigitæ. ostendere videntur ea, quæ apud Diuam Brigitam legimus lib. 1. reuelationum cap. 10. *Omnibus itaq; dicentibus, vnus adueniens affixit lanceam in latus eius tam validè, vt pænè per aliud latus eius pertransiret. Et cum extraheretur hasta apparuit cuspis rubra sanguine*, & lib. 4. cap. 70. Similem pertractans de hasta sententiam sic loquitur. *Modico autem tempore post aperto latere, & abstracta lancea sanguis in cuspide, quasi brucnei coloris apparuit, vt ex hoc intelligeretur cor transfixum*; Quæ si expendantur, exilem ac modicum lateris sanguinem innuunt, & non effluentem ex plaga sanguinem, sed apicem cuspidis solummodò intingentem, atq; inficientem fuisse prædicant. Sed quidquid adducta hęc ex reuelationibus Beatę Brigitæ verba docere fortassis videantur, ea tamen non debent quempiam abducere à vero veritatis tramite, quandoquidem pro certo habendum est, id, quod cælestium arcanorum interpres, & author Ioannes docuit Euangelicæ historiæ capite decimo nono. *Ad Iesum autem cum venissent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, sed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit sanguis, & aqua*; non enim sanguine tantùm cuspis est aspersa, & sanguineo Saluatoris nobilitata cruore; sed etiam abundans succi

sangui-

ſanguinei copia ex patenti vulnere exiuit, quę licet in ſanguinis quantitate ceſſerit alijs in Cruce peractis effuſionibus; ſatis tamen magna, & duabus primis copioſior fuit.

Neq; ab hac cõmuni totius Eccleſiæ doctrina exorbitant allata ex Beatæ Brigitæ reuelationibus verba, ijs enim Beatiſſima Virgo docere dũtaxat voluit, quęnam determinata corporis Domini pars lanceæ ictu fuerit ſauciata; nam etſi de lateris transfoſſione conſtaret ex Euãgelica narratione, nihil tamen de cordis percuſſione nobis notum erat mortalibus; quocircà, vti certiſſimum relinquens Deipara Virgo, ſanguinis fluxum è latere dimanantem terram ebibiſſe, quemadmodum clarè nobis ſcriptum reliquit Euangeliſta, hanc tantùm non adhuc ſatis cognitam de cordis lęſione veritatem patefaciẽs; ceu pulchrè declarant ea, quę prodidit lib. 4. cap. 70. vbi *abſtracta*, inquit, *lancea ſanguis in cuſpide, quaſi brucnei coloris apparuit, vt ex hoc intelligeretur cor eſſe transfixum*; quo nihil clarius ad mentem noſtram defendendam dici poterat.

Sed age, deducamus orationem noſtram in liberiorem campum, atq; magnam fuiſſe ſanguinis ex latere profilientis copiam vnico tantùm ex Philoſophicis decretis deprompto præſidio comprobemus, philoſophicamq; rationem hunc in modum ſubtexamus, non minus ſolerti, quàm ingenioſo naturę artificio comparatum eſſe videmus, vt ſicuti in ſubito homini incuſſo metu, ità in extremo humanæ vitę diſcrimine ſanguis extrinſecas corporis partes deſerens, ſe ad proprium, ac naturale referat domicilium, vt ſalubri, amicoq; tactu nobi-

nobiliſſimum humanarum corporis partium cor foueat, corroboret, atq; defendat, ibiq; impulſu naturali tamquam in proprijs alueis flumina, in fontibusq; ſuis riui, conquieſcat, non ſolùm quandiu vitali aura fruitur homo, verùm etiam, ſi per id tempus formido perſeueret, extincto corpore; in quo, ni effluat, cum cadauere ſimul computreſcens, tabeſcit tandem, atq; corrũptione abſumitur. Cum igitur Saluatoris noſtri cor maximo ſub initium paſſionis pulſaretur metu, abundantiſſima egebat ſanguinis copia, vt in tantis cruciatibus non deficeret; verùm quia nullum in Chriſti corpore locum habuit putredo, ſanguis, qui in prima ſui origine, ac principio reſederat, ex aperta lateris via proceſſit, atq; in terram dilapſus eſt, poſtquam diuinum Vindex ſalutis noſtræ Chriſtus ſpiritum efflauit. Quocircà cum omnis illa ſanguinis copia, quę circà cor conſtipata erat, effluxerit, vtiq; profectò abundans eſſe debuit, quemadmodum afflictiſſimæ Saluatoris naturæ neceſſitas poſtulabat.

DISPV-

DISPVTATIO DECIMAQVINTA.

De effuſione ſanguinis Chriſti abſolutè conſiderata.

CAP. I.

Nùm Chriſtus totalem, & omnimodam ſanguinis effuſionem paſſus fuerit.

NVne pertractanda eſt difficultas; An Saluatoris corpus ità omni ſanguine fuerit denudatum, vt penitus exangue remanſerit; An potius aliquam ſanguinis copiam, ſiuè ſaltem minutiſſimas quaſdam ſanguinei ſucci partes in naturæ receſſibus occulerit.

Quæ diſceptatio de eo dũtaxat tempore inſtitui poteſt, quo, expleta iam amariſſima Saluatoris paſſione, fuit ſacrum corpus omnis vitalis ſpiritus expers; anteriori ſiquidem tempore nullum reſidere poteſt dubiũ, quin ſacroſancti artus aliquo ſanguine maderent, quippequi ad vitam quoquomodo ducendam abſolutiſſima neceſſitate exigebatur; vitæ ſiquidem humanæ, vt ſapiens quidam dixit, theſaurus eſt sãguineus liquor. Et primò quidem certiſſimum mihi videtur, non caruiſſe ſanguinea ſubſtantia Vindicis noſtri corpus toto illo temporis interuallo, quo è ligno Crucis pependit, poſtquam eiuſdem ſpiritus è corporis ergaſtulo receſſerat, vſquè ad diræ lanceæ ictum, qui tribus fermè horis à Chriſti morte dominico lateri inflictus eſt.

Quocircà omnis dubitãdi ratio de eo duntaxat tempore militat, quo iacuit in sepulchro custoditũ à militibus Domini nostri cadauer; Quo temporis spatio omni planè sanguinis succo caruisse Saluatoris cadauer primum ea ratio suadet, quoniam ad rationem, & substantiam cadaueris non pertinet sanguis, qui etsi humanæ naturæ pars sit, quandiu vitam viuit homo, vbi tamen morte stratus iacet, desinit esse humani corporis pars; potuit igitur nullam in se retinere corpus Christi sanguinis substantiam. Deinde in extremo mortis cruciatu, cum nullum fuerit sanguinis Christi cõcepta culum, venæ enim omnes dilaceratę sunt, qua obsecro ratione potuit in corpore Domini remanere sanguis? Amplius si tridui tempore quis ex sacro Apostolorum Collegio diuina consecrationis verba protulisset. *Hoc est corpus meum*, super idoneam triticei panis materiam, corpus duntaxat Christi sic fuisset sub speciebus panis, vt in illis ipsis accidentibus neq; ex vi verborum, neq; ex vi connexionis, siuè per concomitantiam, vt loquuntur Theologi, reperiretur sanguis. Quemadmodum vulgatum est apud Doctores decretum, & à plerisq; illorum receptum; quod tamen longius à veritate abesset, si aliqua sanguinis Domini pars in triduo corporis Christi venis adhæsisset; quæ argumentatio sic probari, atquè simul illustrari potest.

Quamuis nunc ex vi verborum consecrationis panis sub accidentibus panis Corpus Christi Domini tantùm constituatur, ac pariter ex vi verborum consecrationis Calicis sanguis tantùm sistatur in Calice, vt tutior, & probabilior habet sententia, per concomitantiam

tiam tamen ſub accidẽtibus panis totus Chriſti ſanguis latitat, ſicuti etiam ſub ſpeciebus vini totum Saluatoris corpus occulitur, nam licet ad verborum veritatem, *Hoc eſt corpus meum*, ſola corporis Chriſti ſubſtantia verè ſub accidentibus panis conſtituta ſufficiat, & ſimili modo, vt veritas formæ conſecrationis vini plana, & abſolutiſſima ſit, ſolus dũtaxat Chriſti Domini ſanguis ſub ſpetiebus vini exigatur, quandoquidem ſicuti in illa corpus Chriſti; ſic in iſta eiuſdem sãguis perfectè ſignificantur; nihilominus tamen, quia in Vindice noſtro, & ſanguis corpori, & corpus ſanguini vniuntur, atq; mutuo nexu inuicem colligantur, fit, vt ratione huius mutuæ copulationis in ſacratiſſimo Altaris myſterio, nec panis accidentia ſine ſanguine corpus, nec vini ſpecies ſine corpore ſanguinem Chriſti habere poſſint. Relinquitur ergò omnem è dominico corpore expreſſum fuiſſe ſanguinem, ſi hypoteſis illa, cuius primarũ partium Theologi ſunt patroni, concedatur, vt iurè admitti debet. Nec aliud ex diuina ſanctæ ſynaxis inſtitutione habemus; Etenim Vindex ſalutis noſtræ Chriſtus diuinum iſtud Euchariſtiæ Sacramentum inſtituit ad recolendam paſſionis ſuæ memoriam, *hoc facite*, inquit, *in meam commemorationem*, & iterum, *quotieſcunq; calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat*; atqui diſtincta formæ verborum conſecratione ſanguinem, ac corpus ſuũ nobis exhibuit deguſtandum; igitur ſanguis à corpore erat ſeiungendus, aliter enim nulla eſſe poterat cauſa, cur in ſuę memoriam paſſionis ſanguinẽ nouæ formę apparatu diſtinctum à corpore nobis in potum largiretur. Quid? poſtulat idipſum Sacramen-

Luc. 22.

1. Cor. 11.

talis Eucharistiæ institutio, vt signum, & res signata, & vt memoria, & res, cuius memoria celebratur, sibi planè, perfectèq; responderent; in quam opinionem abijsse videtur Angelicus Doctor 3. parte, quæst. 76. art. 2. Vbi, *ad primum ergò dicendum*, inquit, *quod quamuis totus Christus sit sub vtraq; specie, non tamen frustrà. Nam primò quidem hoc valet ad repræsentandam passionem Christi, in qua seorsim fuit sanguis à corpore separatus, vndè & in forma consecrationis sanguinis fit mentio de eius effusione;* & mox ad secundum non absimilem docens sententiam, subdit, *dicendum, quod in passione Christi, (cuius hoc Sacramentum est memoriale) non fuerunt aliæ partes corporis ab inuicem separatæ, sicut sanguis, sed corpus indissolutum permansit, secundum quod legitur Exodi 12. Nec os illius confringetis, & ideò in hoc Sacramento seorsum consecratur sanguis à corpore, non autem aliqua alia pars ab alia.* Hactenus Sanctus Thomas. S. Thomas.

Præterea Christus Dominus pro vniuersis omnium hominum sordibus Æterno Patri copiosissimè, ac rigidissimè satisfecit, copiosam enim à Saluatore oblatam esse Deo honoris retributionem, iam pridem cecinerat diuinus vates illis verbis, *copiosa apud eum redemptio, & ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius*, atqui non alia congruentior Redemptionis Christi ratio ita facilè potest assignari, quam plena, & totalis sanguinis effusio; ei enim maximè ascribenda esse passionis Christi merita communi assueratione docent Patres.

Verùm ne longius faciam, hanc eandem sententiam illustrabo appositis Diui Hieronymi, Angelici Doctoris, & Alphonsi Tostati decretis, quibus totalem, &

om-

omnimodam ſanguinis effuſionem cõceſſiſſe videntur. Et in primis quidem Diuus Hieronymus aduerſus Pelagianos omnia ſolius liberi arbitrij virib⁹ opera, quamuis præclara adſcribentes diſputans libro ſecundo ſic loquitur. *Saluator in Paſſione ab Angelo confortatur, & Critobolus meus*, (qui in dialogo Pelagianorum partes ſuſtinebat) *non indiget auxilio Dei, habens liberi arbitrij poteſtatem, & tam vehementer orat, vt guttæ ſanguinis prorumperent ex parte, quem totum erat in paſſione fuſurus.* Sed, & Sanctus Thomas citato loco decernens ſub vtrisquè nunc ſpetiebus panis, & vini totum eſſe Chriſtum, hoc eſt Saluatoris animam, corpus, ſanguinem, cæteraq; ad corporis dignitatem, & integritatem conducentia, & diuinitatem, ſic ſcribit in corpore articuli. *Reſpondeo dicendum, certiſſimè tenendum eſſe, quod ſub vtraq; ſpetie Sacramenti totus eſt Chriſtus aliter tamen, & aliter? Nam ſub ſpetiebus panis eſt quidem corpus Chriſti ex vi Sacramenti, ſanguis autem ex reali concomitantia, ſicut ſupra dictum eſt de anima, & diuinitate Chriſti. Sub ſpetiebus vero vini eſt quidem ſanguis Chriſti ex vi Sacramenti, corpus autem Chriſti ex reali concomitantia, ſicut anima, & diuinitas, eo quod nunc ſanguis Chriſti non eſt ab eius corpore ſeparatus, ſicut fuit tempore paſſionis, & mortis. Vnde ſi tunc fuiſſet hoc ſacrificium celebratũ, ſub ſpetiebus panis fuiſſet corpus Chriſti ſine ſanguine, & ſub ſpetiebus vini ſanguis ſine corpore, ſicut erat in rei veritate.* Hæc Thomas clariſſimè. Nec meo iudicio inferiora, aut obſcuriora ſunt ea, de quibus eandem pertractans materiam in paradoxis diſputat Epiſcopus Abulenſis, qui paradoxo ſecundo, cap. 40. hęc prodidit. *Primò autem attendendum eſt, quod ſi quiſ-*

D. Hieron. Circa medium. S. Thomas. Toſtatus.

si quispiam in hostia consecrasset in triduo mortis Christi, prolatis verbis consecrationis super panem, oportebat, vt ex vi consecrationis, corpus Christi sub spetie panis existeret. Secundum autem, quod nunc in consecratione est, sanguis esse dicitur, qui tunc nullatenus foret, quia totus sanguis e benedicto Christi corpore fusus erat, nec erat aliqua adhæsio, ex qua tunc in corpore sanguis esset, & paucis interpositis in eandem sententiam subdit. *Si fortassis aliquis eo triduo dominicæ mortis in vino confeciſſet, prolatis consecrationis verbis, ex viribus eorum oportebat, ibi sanguinem Christi esse, Deitas autem, & anima, & corpus quolibet alio tempore in sanguine consecrato per concomitantiam necessariò forent, sed tunc nullum existeret. Corpus enim Christi tunc in calice esse non poterat, quia eo triduo nulla sanguinis, & corporis concomitantia fuit, cum totus effusus foret; vbi igitur corpus erat, sanguis nullus erat, & è contra,* & tandem sub finem capitis.

Ex prædictis, inquit, *eruitur, quod si in triduo mortis Christi aliquis sanguinem Christi sub vini spetie confeciſset, solus ibi sanguis fuisset, corpus autem, & anima, atq; verbum nullatenus.* sic Abulensis; cuius sanè verba, si apud æquos difficultatis huius æstimatores tantum haberent roboris, & efficacię, quantum possident claritatis, omnium mirabiliter animos in Tostati opinionem traherent.

CAP.

CAP. II.

Aliquid ſanguinis corpori dominico adhæſiſſe, quibus rationibus oſtendi poſsit.

AT quia non tam claritatis, quam efficaciæ habenda eſt ratio, idcirco videri poſſet alijs minus valida Toſtati opinio, quę omnem in mortuo Chriſti corpore ſanguinem inficiatur.

Quibus rationibus Toſtati opinio refelli poſsit.

Hæ autem firmiores oppoſitę opinionis rationes adduci poſsunt. Prima ratio. Nõ ſolùm in Ieſu Xpi perforatis manibus, alijsq; totius naturę membris aliqua potuit inſiſtere ſanguinis ſubſtantia, verùm etiam omninò debuit, ſiquidem obſtruebãtur clauis vulnera, in quibus facillimè ſanguis detinebatur, etenim ſicuti inhærẽs pectori ſagitta perfoſſi hominis sãguinem tandiu vbertim fluere cohibet, quandiu traiectis membris hæret, ità ſimiliter claui pedes, ac manus Domini terebrantes, qui per totum vitæ Chriſti in Crucem acti tempus plagas obſtruxerant, aliquam ijs ſaltem in membris ſanguinis partem facilè potuerunt retinere.

Oppones, quidquid ſanguinis in membris Chriſti reſederat ob obſtructum ferreis clauis ad fluxionem regreſsum, mox abſtractis clauis totum effluxit. Sed revera huiuſcemodi ſanguinis decurſus haud dari potuit, quandoquidem Aſſertoris noſtri corpus iam tum animã efflarat, ex perempto autem corpore, niſi diuino id fiat miraculo, vt omnes pari, & conſona voce clamant, ſanguis erumpere minimè poteſt, concreſcit enim ex templo ſanguis frigoris virtute compreſſus; quocircà cum

cum miraculoſam tantùm concedant Theologi lateris fuiſſe effuſionem, proculdubio nulla ſanguinis materies potuit ex mortui iam Domini pedibus diſtillare; alioqui in lateris ſanguine commẽdando ſuperuacaneum foret confugere ad miraculum, quandoquidem ex alijs etiam iam perempti corporis Chriſti partibus ſine miraculo
Ratio 2. cecidiſſet ſanguis. Secunda ratio; Interiores venæ circa præcordia, & hę omnes, quæ ima carnis dominicæ tenebãt, quæq; præſertim in iecoris ſubſtantia ſpargũtur, cum nulli obnoxiæ fuerint offenſioni, haud potuerunt omni penitus ſanguineo ſucco ſpoliari, non enim vel ſpinis lædi, quæ ſolis ceruicibus hæſerunt, non diſrumpi flagellis, quæ ſacram cutem, ac exteriores corporis Chriſti partes dilaniarunt, non clauis tandem frangi potuerunt, cum ferreis vinculis ſoli corporis Dominici
Ratio 3. pedes, ac manus transfoſſæ fuerint. Tertia ratio. Non inanem huius ſententiæ coniecturam capere poſſumus ex percuſſo Saluatoris latere, nam ſicuti illud poſt Chriſti obitum non modico ſanguine irrigabatur, ità aliæ ſacratę Saluatoris naturæ membra, maximè ea, quæ ad extremam corporis molem vergunt, decurrentem naturali pondere ſanguinem recepiſſe, ac retinuiſſe credẽdæ
Ratio 4. ſunt. Quarta ratio. Hoc ipſum ſignificare videtur ſcripturę ſanctæ narratio, quæ de auguſtiſſima ſacroſancti Altaris myſterij inſtitutione ediſſerens ſic habet.
Matth. 26. *Et accipiens Ieſus calicem gratias egit, & tradidit illis dicens, bibite ex hoc omnes. Hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Quibus poſtremis Saluatoris noſtri verbis intelligimus non quamlibet ſanguinis dominici copiam

ſub

ſub ſpetiebus vini eſſe futuram, ſed eam duntaxat, quæ paſſionis tempore erat effundenda, quemadmodum verba illa, *qui pro vobis effundetur*, manifeſtè declarant, addita ſiquidem à Chriſto Domino fuerunt ad deſignãdam, atq; limitandam ſanguinis ſub vini ſpetiebus futuri quantitatem, itaut hunc ſenſum habeant. Exhaurite calicem iſtum, in quo is duntaxat ſanguis reperitur, qui in vtilitatem veſtram, & alienam etiam effundetur, ex quibus hoc conſectarium habetur, aliquem in corpore Chriſti ſanguinem fuiſſe, qui in membris Chriſti reſederit toto tridui tempore.

Quæratur ne à quibuſdam explicentur illa formæ Calicis cõſecrãdi verba. Hic eſt enim ſanguis &c.

Nec dicas, ea verba à Saluatore noſtro fuiſſe prolata ad demonſtrandum, ſeu ad connotandum effuſi ſanguinis mirabile Sacramentum, quod fuit humani generis vita, & ſalus, quoniam illa ſunt ſubſtantialia conſecrationis formæ, ſeu ad ſubſtantiam conſecrationis ſanguinis Chriſti ſpectant, quæ autem eius ſunt dignitatis, & efficaciæ, non ad denotandum ſanguinis effectum, ſed ad ipſam ſanguinis, & Sacramenti ſubſtantiã pertinent; quemadmodum vrgeri poteſt etiam ex non diſſimillima formæ conſecrationis corporis ratiocinatione ſic fabricata. Lucæ enim 22. hanc ipſam corporis dominici formam habemus. *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur*; ſed non quoduis corpus ſub panis ſpetiebus, ſed illud tantum conſtituitur, quod pro vobis tradetur; pari igitur modò non quilibet ſanguis, ſed is ſolum, qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum, ſub vini accidentibus erit, vt hinc ſecludas eum, qui ab effuſione immunis fuit. In quam opinionem abijſſe Sanctum Thomam is intelliget, qui articulum

Luca 22.

S. Thomas quodlib. 3. q. 3.

quintum quodlibeti 5. q. 3. adierit; etenim in duplicem totum Christi sanguinem secans substantiam, alteram tantùm sanguinis substantiam in passione effusam esse docet; *Sed quia*, inquit, *specialiter fit quæstio de sanguine in passione effuso pro redemptione humani generis, de hoc magis dicendum videtur &c.* quæ quidem verborum Sancti Thomæ postrema particula facilè huic opinioni astipulatur, innuit enim aliũ in Christo ab eo, qui è venis prodijt, fuisse sanguinem, ea siquidem est nominis; *de hoc*, vis, & significatio. Amplius, dum idem Sãctus Doctor recensito loco soli sanguini, qui in passione emanauit, valorem accenset, non obscurè declarat, aliquam non verò totalem sanguinis dominici substãtiam, cum morti succubuit Saluator, profluxisse, secus absolutè sanguinem Christi in passione effusum, hoc est totum sanguinem salutarem appellaret; quod tamen noluit affirmare, sic enim scribit; *sanguis ille in passione effusus humanum genus sanctificauit*; at quorsum, si totus prodijt Christi sanguis, contrahentem particulam, *qui effusus est*, adiecit Sanctus Doctor?

CAP. III.

Auctoris sententia.

CÆterùm mihi facillimum est, propositam quæstionem breuissimis duabus assertionibus dissoluere. Prior est. In triduo mortis suæ sic omni fermè sanguinis copia denudatum est corpus Iesu, vt nulla diuini illius suppositi vena sanguine turgida reperiretur.

Poste-

Posterior est. Nihil tamen prohibet opinari, Saluatoris corpus modicam sanguinis quantitatem in venis in iecore fixis existentem retinuisse per totum tridui spatium.

Primum enunciatum non alijs demonstrandum est rationibus, quam ijs, quas nobismetipsis sub initium capitis 2. obijecimus, siquidē illud duntaxat, quod cōclusio nostra statuit, probare possunt, si momenta illarum expēdātur, vt mox facilis illarū solutio declarabit. Postremum autē, etsi non obscurè pateat ex adductis secundo loco rationibus, potest tamen illustrius fieri ex his, quæ addi rursus posse videtur; quoniā aliqua in perempti Saluatoris latere sanguinis copia supfuerat, ergò ēt in alijs similiter membris aliquid sanguinis, modicæ quamuis esset quātitatis, remāsit, quandoquidē reliquæ etiā corporis partes sanguineo succo irrigabantur, atqui cruor cordis ex percusso, & aperto latere fluxit, igitur residuus aliarum partium sanguis se se in venis continuit, quoniam clausa semper fuerunt sanguinis receptacula. Illud quoq; mihi maximè mirandum accidit, qua ratione ità ex corpore Dominico sanguis exprimi, ac exsiccari penitus potuerit, vt nulla, vel minima sanguinis gutta adhærens venis eas madefaceret, cum vix istud possit accidere magno non nisi studio, ac opera eius, qui ad omnimodam sanguinis exsiccationem animum, viresquè adiecisset.

CAP. IV.

Euersio rationum prioris opinionis allatæ.

HIs igitur enunciationibus facilè oppositæ rationes ad rectam sententiam reduci possunt. Nam etsi mortuum Christi corpus sanguinem, tamquam sui ipsius veram, & integram partem non sibi postularet, quod nihilominus multi, & sanè non infimi Doctores inficiarentur; quid tamen obstat, quominus Saluatoris nostri cadauer in triduo sanguinẽ habuerit? tenemus enim apprimè, vngues, & capillos, qui inter veras humanæ naturę partes non sunt annumerandi, in Christo semper fuisse. Quocircà credibile non est, id quod humana vix industria fieri posse videmus, nullo hominum studio Saluatori nostro accidisse.

Ad secundum. Neq; cum probabilitate, neq; cum ratione vllo pacto confligit, si nonnullas Christi Domini venas, quæ magis reconditas corporis partes colunt, ab omnimoda penitus fractione immunes fuisse concedamus; quamuis, vt non semel monui, non omnem planè sanguinem offensa vena effundat, venarum enim conceptaculis adhærere semper arbitramur aliquid sanguinis.

De his satis in superiorib. capitibus sunt.

Ad tertium. Opinati quidem sunt nonnulli Theologicæ facultatis non contemptissimi Doctores, sub cõsecrata in triduo ab Apostolis hostia nequaquam ad futurum Christi Domini sanguinẽ; sed quo in sensu illorum opinio sustineri, ac defendi possit, mox aperiam, cum ad Sancti Thomæ auctoritatem expendendam, acces-

acceſſero, at interim breuiter dubitationem, quæ in tertij argumenti propoſitione continetur, diluemus. An videlicet ex vi verborum conſecrationis, qua triticea panis materia in corpus Chriſti trāſubſtantiatur, ſolùm corpus, non verò ſanguis contineatur ſub accidentibus panis; ſi namq; virtute Sacramentalis formæ non minus sāguis, quā corpus Dñi ſubſtantialiter ſub ſpetiebus illis conſtituitur, dubio procul ſiuè in triduo, ſiuè quouis alio temporis articulo Euchariſtiæ Sacramentum peragatur, (data hypoteſi in argumento tacta) nunquam potuit, ſiuè totus effuſus ſit ſanguis, ſiuè pars tantum, corpus Chriſti eſſe ſub accidentibus panis, absq; ſanguinis conſociatione; quod enim vi, ac efficacia verborum formæ conſecrationis ſub accidentibus panis efficitur, fieri nullo vnquam tempore poteſt, quin ad perfectam Sacramentalis formæ prolationem, totum illud fiat, atque verè in hoſtia ponatur; nam cum verba formæ efficiant, atq; moliantur eam conuerſionem, quam ſignificāt, fieri profectò non poterit, vt fuerit in altaris myſterio etiam tridui tempore ſub ſpetiebus panis corpus omni prorſus ſanguine ſpoliatum, ſi ſanguis vi verborum conſecrationis panis ſignificetur, ſecus enim certiſſima, atq; infallibilis Sacramenti veritas interiret.

An ex vi forma conſecrationis Corporis Chriſti et ſanguis ſub ſenſili panis ſpetie conſtituatur.

Tutior, ac probabilior huius difficultatis enodatio eſt ſententia, quam non modo Angelicus Doctor cum ſuis omnibus diſcipulis, verùm etiam Diuus Bonauentura, Gabriel, Alenſis, & alij plures ſequuntur, quę ſanguinem non eſſe ſub ſpetiebus panis vi verborum formę docet; quæque his ſuaderi rationibus poteſt, id

Sententia S. Tho. D. Bonauent. Alen. Gabrielis, & aliorum.

Prima ra-

dun-

duntaxat cogimur sub accidentibus panis admittere, ad quod expressa verborum formæ significatio per se tendit, atqui verba illa, *Hoc est enim corpus meum*, veritatem corporis tantùm Christi, non autem sanguinis præsentiam declarant. Amplius illud, in quod proximè, seu directè panis conuertitur, vi verborum sub speciebus reperiri cogimur asserere, sola autem panis substantia in corpus Domini transit. Præterea eadem esse ratio videtur significationis verborum, ac effectricis virtutis trā-substantiationem operantis, atqui verba consecrationis panis claram corporis, non autem sanguinis exprimūt notitiam, corpus igitur non verò Christi Domini sanguinem sub accidentibus panis sistant necesse est.

2. Ratio

3. Ratio

Scoti sententia.

Neq; ab hac opinione videtur abhorruisse Scotus, quippequi quarto sententiarum distinct. 10. quæst. 4. in responsione ad secundum argumentum ità scribit. *Si tenetur, quod corpus, quod est primum significatum speciei panis, non continet per se sanguinem tamquàm aliquid eius, iuxtà illud, quod dictum est supra declarando suppositum, tūc facilis est responsio, quia tantummodò est sanguis concomitāter sub specie panis, & tunc non est ibi bis ex vi Sacramenti; nec tamen frustrà est concomitanter sub specie panis, cum sit sub specie vini ex vi Sacramenti, quia hoc est ad saluandam veritatem rei contentæ, quæ vbicunq; ponatur, semper habet eadem absoluta. Neq; sequitur, quod incipit esse hîc, postquā fuit hîc, loquendo de eodem modo essendi; præfuit enim hîc concomitanter, & incipit hîc esse ex vi consecrationis.* Cuius subtilis Doctoris sententiæ is est intellectus. Si admittatur sanguis nō esse pars corporis Christi, quatenus corpus domini primum est, & proprium signatum accidentium

dentium panis, tũc (inquit, & optimè ſubtilium dux, & magiſter) ſanguis non vi Sacramenti, ſed concomitãter ſolùm cum Aſſertoris noſtri corpore ſub hoſtia conſtituetur, neq; enim mirum videri debet eundem Chriſti ſanguinem iterata vice ſub accidentibus panis ſcilicet, & vini adeſſe, ſi diuerſis hoc eueniat rationibus, fieri .n. optimè poteſt, vt idem dominicus ſanguis, qui prius in conſecratione panis prę fuit latens in ſpetie panis, poſtmodum non concomitanter, vt in hoſtia, ſed proximè, & ex vi Sacramenti eſſe incipiat ſub accidentibus vini, ratione diuerſarum exiſtendi rationum. At ſi, vt ſubdit ille ſtatim, *ſtatuamus ſanguinem eſſe corporis Chriſti partem*, vt corpus in hoſtia conſtituitur, tunc bis virtute Sacramentali ſanguinem in ſacroſancta Synaxi cogimur cõſtituere. primò quidem aderit ſub accidentibus panis, quoniam ſanguis rationem induit integri termini, hoc eſt corporis, quod in hoſtia conſtituitur vi Sacramenti, & ſecundo erit eadem conſecrationis virtute directè, & principaliter ſub accidentibus vini. *At ſi*, inquit Scotus, *teneatur, quod ſanguis eſt per ſe pars corporis, vt corpus eſt primum ſignatum ſpetiei panis, tunc oportebit dicere, quod bis eſt hîc ſanguis ex vi Sacramenti, ſed adhuc non eodem modo, quia ſub ſpetie vini eſt per ſe, & primò, quia primum ſignatum eſt: Sub ſpetie verò panis eſt per ſe, ſed non primò, immò aliquid primi ſignati. Nec tunc eſt fruſtra, quia per ſe eſt ſub ſpetie panis, & ſaluatur veritas rei contentæ primò. Nec incipit eſſe, poſtquam eſt eodem modo eſſendi, ſed incipit eſſe primò, poſtquàm non fuit primò: Licet per ſe habuerit ibi eſſe.* Hactenus Scotus.

Cuius poſterior ſentẽtia, (de priori enim nulla reſidet

diffi-

difficultas,) cum omnibus fermè placeat, certa, & fortaſſe etiam ex principijs noſtris omninò vera cuipiam videri poſſet eo præcipuè firmamento, quod vi verborum conſecrationis corporis Chriſti id totùm ſub hoſtia conſtituitur, ſiuè quod ſubſtantiæ, ſiuè etiam quod corporis integritati, & complemento conducit, aliter enim veritas formæ labefactaretur, quæ non mancum, & defectuoſum, ſed completum, ſuisq; omnibus numeris abſolutum corpus videtur ſignificare; alibi autem latè in numero propriarum partium corporis Chriſti ſanguinem poſuimus, ex quo haud obſcurè concluditur, ſub accidentibus panis vi Sacramenti ſanguinem reperiri, tamquam integri termini partem, vt voluit Scotus.

Quid veritati conſentaneè eſſe authori videatur.

Verùm arbitror ſine dubio eſſe dicẽdum ſanguinem ex vi verborum formæ conſecrandi corporis Chriſti nõ ſiſti ſub hoſtia ob allatas à nobis ſuperius rationes. Quare ad deijciendum id, quod ex Scoto nobis ipſis oppoſuimus, illud in primis tenendum eſt, bifariam, cum de Saluatoris corpore ſermonem habemus, ſub accidentibus panis poſſe conſtitui corpus Saluatoris, aut ſub ratione veri, & phyſici corporis, quo in ſenſu à fictitio tantùm corpore, aut phantaſtico diſtinguitur, aut certè ſub ratione viuentis, prout videlicet non corporeæ duntaxat naturæ, ſed etiam vitę, ac ſpiritus particeps eſt. Cũ igitur ſanguinem corporis Chriſti partem eſſe diximus de hac poſtrema corporis ſignificatione ſumus locuti, ſi enim nullo irrigatum ſanguine daretur cadauer, perfectũ adhuc foret, atq; omnibus ſuis partibus cõſtans, modo cætera non deſiderarentur corporis membra.

Plana

Plana ſiquidem, & integerrima formæ conſecrandi panis veritas exprimitur, etiam ſi dicamus, corpus Chriſti prima illa ratione ſumptum diuina conſecrationis verba ſignificare; quis enim ex vi verborum Sacramẽti corpus Chriſti vita præditum ſignificari tutò poterit aſſerere? Nam ſi pro dignitate verba illa perpendantur, non deſignatur corpus, vt ſanguine perluitur, ſed potius, vt eſt quoddam ſuppoſitum à ſanguine ſeparatum, & nõ minus à conceptu corporis viuentis, quam à ratione vita carentis abſtrahens. Sed ad cæteras argumentationes reuertamur.

Ad quartum. Mos ſeorſum ſanguinem à corpore conſecrandi inſtitutus à Chriſto certum, atq; exploratũ eius ſeparationis, quæ inter corpus, & ſanguinem interceſsit, indicium fuit, at nihilominus certiſsimum huius ſeparationis remanet argumentum ad memoriam omnium Chriſti mortem contemplantium ſempiternam, etiam ſi aliqua pars ſanguinei ſucci naturale corporis Chriſti domicilium nunquàm deſeruerit, cum maior ſanguinis dominici copia ſeparationem eã, quæ in Sacramento Altaris oſtenditur, à corpore paſſa ſit, quamuis ex alia parte nõ deſint opportunæ rationes, & cauſæ huius diuinæ conſuetudinis corpus, & ſanguinem diſtincta ratione peragendi; nam cùm Euchariſtiæ Sacramentum, ſicuti cætera etiam Chriſtianæ Religionis Sacramenta, ſingularem cæleſtis gratiæ effectum indicet, atque oſtendat, in varia, ac diuerſa panis, & vini ſubſtantia non debuit nõ inſtitui, quò inſigne quoddã ſpiritualis animi humani nutritionis Symbolum eſſet nobis ſpiritualia chariſmata ſub ſpetie rerum, quæ ſub

Cur ſeorſim à corpore ſanguis Chriſti ſolenè conſecrari.

sensus cadunt, duntaxat contemplantibus; cum igitur Sancta Synaxis ad reficiendos hominum animos fuerit destinata, corporataq; & materialis nutritio cibo, & potione peragatur, vtiq; æquum, ac conueniens omninò fuit, vt author, atq; idem institutor Christus dominus, quo facilius spiritale animi nostri robur, ac nutrimentum ex corporali nutritione disceret mens humana, in distinctis panis, ac vini substantijs diuinum istud salutis nostræ pignus exhiberet; vti egregiè annotauit Angelicus doctor tertia parte quæst. 76. a. 2. ad secundum sic scribens. *Conuenit vsui huius Sacramenti, vt seorsum fidelibus exhiberetur Christi corpus in cibum, & sanguis in potum. Primò quidem quantum ad vsum huius Sacramenti, qui est manducatio. Sicut enim aqua assumitur in Sacramento baptismi ad vsum spiritualis ablutionis, quia corporalis ablutio communiter fit in aqua, ita panis, & vinũ, quibus communius homines reficiuntur, assumuntur in hoc Sacramento ad vsum spiritualis manducationis.* Hactenus Sanctus Thomas. Neq; ea ratio est in postremis habenda, quę sic habet. Quamuis totum Eucharistiæ Sacramentum, seu quælibet etiam cùm corporis, tùm consecrati sanguinis species animo, ac corpori hominis admirabili sit adiumento, tamen ratione quadam peculiari corpus Christi sub accidentibus panis pro salute corporis, & sanguis ad salutem animi comparandam offerri videtur; quemadmodum Diuus Ambrosius inter proceres illos Ecclesiasticæ nobilitatis, & antiquitatis viros clarissimus doctor testatur in illud 1. Cor. 11. *Hoc poculum nouum testamentum est*, his verbis. *Testamentum ergò sanguine constitutum est, quia beneficij diuini*

3 Th. 3. p. q. 76. art. 2. ad sec.

5 Ambr. 1. ad Cor. 11. tom. 5.

uini ſanguis teſtis eſt. In cuius typum nos calicem myſticum ſanguinis ad totius corporis, & animæ noſtræ ſalutem percipimus. Quià ſanguis Domini ſanguinem noſtrum redemit, ideſt totum hominem ſaluum fecit. Caro autem Saluatoris pro ſalute corporis, ſanguis verò pro anima noſtra effuſus eſt; ſicut prius præfiguratum fuerat à Moyſe, ſic enim, ait, caro pro corpore noſtro offertur. Sanguis verò pro anima. Ideoq; non manducandum ſanguinem. Hæc Ambroſius.

Ad quintum. Saluator Ieſus pro omnibus omnium peccatis cumulatiſſime ſatisfecit vel vnica, & perexigua ſanguinis ſui gutta, quæ immenſi fuit valoris, & pretij ob hypoſtaticam diuini verbi vnionem, quare vacua eſt ea argumentatio, quæ exigit omnimodam ſanguinis Chriſti effuſionem ad humanas ſordes perluendas, quas minutiſſima quęuis ſanguinis Chriſti portiũcula diluit.

Iam verò, quæ ſub finem prioris ſentẽtiæ Diui Hieronymi, & Angelici Doctoris producta ſunt teſtimonia, interpretanda videntur, non quaſi totus omninò sãguis fuerit effuſus, ſed ſolummodò copioſiſſimus, & fermè vniuerſus, nam cum à nobiliori, & potiori fieri ſoleat denominatio, & abundantior ſanguinis Chriſti ſubſtantia veram à corpore Domini in triduo habuerit ſeiunctionem, idcircò totum decurriſſe ſanguinem è corpore Chriſti ſcripſerunt; quod tamen non ſubtilitate mathematica, ſed phyſica, & morali intelligendum eſt, perſuadere enim mihi ipſi nequeo, ità diligenter exhauſtum è membris Domini penitus fuiſſe ſanguinem, vt nulla pars reſederit in venis.

Quo modo intelligenda ſint D. Hieronymi, & aliorum patrum teſtimonia.

Quare ſententia Ioannis Lanſpergij ſermone de effectionibus, & virtutibus, quæ in Chriſti paſſione nobis exhi-

Io. Lãſpergij opinio de effuſione ſanguinis Chriſti.

exhibentur, sic aientis, *Suffeciſſet etiam ad redemptionem nostram vnica gutta ſanguinis eius pro nobis effusa, ſed non ſufficere ſibi videbatur ad ſatiandam, & monſtrandam nobis ſuam dilectionem, niſi totum effunderet ſanguinem, quem habebat, vt non reſeruaret ſibi vnicam guttam*, niſi eadem ratione intelligatur, qua Sancti Hieronymi decretum explicandum eſſe docuimus, plus habebit apud me admirationis, quàm veritatis; ſed ad ſanum ſenſum hæc Lanſpergij verba reducenda ſunt, ſicuti ea pariter, quæ diuini verbi proſeminatores prodiderunt, in quorum lucubrationibus ſic omnem profudiſſe ſanguinem è venis reperies, vt nihil ſanguinis ſibi in tota corporis mole retinere voluerit. Niſi fortaſſis dicas, huiuſcemodi concionatorum voces ad eximiam, qua nos dilexit Saluator charitatem, & ad ardentiſſimum ergà peccatores amorem commendandum per exaggerationem ab illis ſapientiſſimo prolatas eſſe conſilio. Quod verius crediderim.

Quod ſi quis huic non acquieſcat expoſitioni, quæ ſaltem extorta nimis, & violenta videtur, nec facilè verbis Sancti Thomę congruens, vt de cæteris ſileam, aſſeratq; præterea Angelicum Doctorem in mortuo Chriſti corpore nullum penitus ſanguinem agnoſcere, quādoquidem abſoluta, & indefinita propoſitio, qua ſanguinem non adhęſiſſe corpori teſtatur, vniuerſali ęquualet propoſitioni, qua nihil planè ſanguinis venis ſuperfuiſſe aſſeritur; hunc ego à ſua ſententia non conabor abducere, quæ in via S. Thomæ mihi ſit admodū probabilis, maximè cum quæſtione etiā 74. art. 1. & 3. eiuſdem partis tertiæ ſanguinem abſolutè dicat fuiſſe è

corpore

corpore expreſſum. In quam ſine hæſitatione vlla opinionem diſceſsit Abulenſis loco nuper citato. Quamuis eius ſententia haud mihi arrideat.

CAP. V.

Poſterioris ſententiæ rationes.

QVod verò ad ſecundę aſſertionis noſtrę pondera rationum attinet, non ſum neſcius, poſſe facili negotio ea eludi, quæ ex Diui Matthęi verbis adducta fuêre; ſi aſſeratur, particulam illam, *qui pro vobis effundetur*, non ſignificare limitationem, ſeu diſtinctionem aliquam effuſi ſanguinis ab eo, qui fuerit ab effuſione immunis, ſed potius dicatur, ſpecialem effectū & finem præcipuum innuere, ob quem Chriſtus Dominus ſanguinem ſuū profundere voluit; ſcimus enim ad peccata hominum condonanda efficaciſſimam fuiſſe ſanguinis Chriſti profuſionem, quoniam ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio peccatorum, vt diuinus Apoſtolus teſtatur. Ex quo ſenſu ſequitur, vt non is dūtaxat ſanguis, qui in paſſione prodijt, verùm etiam quilibet alius Chriſti Domini ſanguis in Euchariſtia ſub vini ſpetiebus conſtituatur, quemadmodum videtur tradere Concilium Tridentinum, cum abſolutè, & ſimpliciter nullo agnito inter ſanguinem Chriſti diſcrimine, in calice vi verborum Sacramenti ſanguinem cōtineri docet. Prætereà quis inducat animum ſuum credere, Saluatorem vnam potius ſui sāguinis partem, quæ nimirum erat effundenda, quam aliam non effundendā vi conſecrationis in calice Sacerdotibus conſecrandam determinaſſe? Ad hæc verba illa, *Hic eſt ſanguis meus*,

Proprius, ac Germanus ſenſus illorū verborum Hic eſt ſanguis &c.

an

an non manifestè totam sanguinis Christi copiam significant? vt quid igitur in destinato ad consecrationem calicis Christi sãguine discrimen excogitare iuuat? Sed faciamus Matthæi verba eum sensum, quem nos suprà exposuimus non respuere; quis tamen hinc dicentem, totum esse effusum poterit redarguere? nam etsi is solum, qui effusus est, in Eucharistia contineatur, non ideò alium non effusũ sanguinem fingere licebit; quandoquidem nullum ab effusione vacuũ fuisse sãguinem tutò quis poterit pronunciare, vt plures opinati sunt.

Simile autem illud infirmum est, neq; id Diui Lucæ verba præseferunt, sed potius contrarium; sicuti enim particula illa, *quod pro vobis tradetur*, non fuit à Domino in eum finem prolata, vt corpus, quod Cruci affigi debebat, limitaret, atquè determinaret, sed magis à Christo instituta est ad demonstrandum effectum, quẽ nobis producturũ erat Saluatoris corpus, cuius temporali obitu ab æterna morte in æternam felicitatem vindicandum erat genus humanum, ita verba illa, *qui pro vobis etc.* nequaquam sunt adiecta ad statuendã certam, & determinatam sanguinis Christi materiam, & quantitatem, sed ad cõmostrandum sanguinis Christi valorem, quo scelera nostra purgantur, & ad præsignandum finem, ob quem vini consecratio à Saluatore instituebatur, qui erat æternum passionis dominicæ testimonium. Hæc, & si quæ sunt alia huius generis, admodũ probabilia si quis asserat, non est contemnendus, sicuti neque è regione, qui priorem sententiam approbaret, est irridendus; cum vtraque verborum illorum expositio satis idonea videatur, vtraq; egregios habeat

Auctoris consilium.

propu-

propugnatores ſimul, atq; oppugnatores, & tandem cum vtraq; opinio ex ſola pendeat Chriſti Domini inſtitutione, ac voluntate, ideò neutra pōt omninò efficaci ratione demōſtrari, ſed tantum coniecturis quibuſdam ad veritatem magis accedentibus inueſtigari, quæ quoniam in allatis explicationibus, & non diſſimiles, & pares multorum iudicio eſſe videntur, alteram earum, aut certam ſtatuere, aut negare non auſim.

CAP. VI.

Num pertineant ad ſubſtantiam formæ ſanguinis Chriſti omnia illa verba. Hic eſt enim calix &c.

CÆterùm de altera difficultate, quæ ex ijſdem verbis oriebatur, inſignes admodum Theologi, Diuus Thomas 3. parte, quæſt. 78. art. 3. Heruęus Capreolus, Paludanus, & alij opinantur omnia illa verba. *Hic eſt enim calix ſanguinis mei noui, & æterni teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum*, eſſe ſubſtantialia, atq; vt dicunt, eſſentialia formæ conſecrationis ſanguinis.

Præcipuū aūt huius opinionis robur habetur ex Angelico Doct. citato loco, quoniā verba illa, *noui, & æterni teſtamenti*, & reliqua conficiūr, atq; complent vnam perfectam, atq; integram propoſitionem, ſtatuuntquè præterea, & determinant illa verba. *Hic eſt enim calix ſanguinis mei*, etenim ſine illis non eſt completa, nequè perfecta propoſitio, virtute cuius vinum Saluatoris noſtri ſanguinem conuertitur, atq; tranſubſtantiatur. Sed audiamus Sanctum Thomam hiſce verbis loquentem. *Dicendum, quod circa hanc formam eſt duplex opinio, quidā enim*

S. Thom. 3. p. q. 78. art. 3.

enim dixerunt, quod de substantia formæ eius est hoc solum, quod dicitur, hic est calix sanguinis mei; non autem ea, quæ sequuntur; sed hoc videtur inconueniens, quia ea, quæ sequuntur, sunt quædam determinationes prædicti, idest sanguinis Christi; vndè pertinet ad integritatem eiusdem locutionis. Et propter hoc sunt alij, qui melius dicunt, quod omnia sequentia sunt de substantia formæ, vsq; ad hoc, quod posteà sequitur. Hoc quotiescũq; feceritis, quod pertinet ad vsum Sacramenti, vnde non est de substantia formæ. Et mox suę robora opinionis ostẽdens. *Et inde est,* inquit, *q; Sacerdos eodem ritu, et modo, scilicet tenendo calicem in manibus omnia hæc verba profert. Lucæ etiam 22. interponuntur verba sequentia verbis præmissis, cum dicitur, hic Calix nouum testamentum est in meo sanguine. Dicendum est ergò, quod omnia prædicta verba sunt de substantia formæ, sed per prima verba cum dicitur, hic est Calix sanguinis mei, significatur ipsa conuersio vini in sanguinem eo modo, quo dictum est in forma consecrationis panis. Per verba autem sequentia designatur virtus sanguinis effusi in passione, quæ operatur in hoc Sacramento.* Hactenus Sãctus Thomas, qui vlterius narrando prosequitur ea, quę nobis effusus Christi sanguis operatur; Qui plura in huius confirmationem sententiæ desiderat, consulere potest ea, quæ passim à discipulis Diui Thomæ in suis scriptis adducuntur. Nam cum Magistro plures alij, Maior, Petrus Aureolus; S. Bonauentura, Marsilius, & Henricus censuerunt illa duntaxat verba, *Hic est Calix sanguinis mei, vel hic est sanguis meus,* ad intrinsecam formæ vinũ consecrandi pertinere rationem, in ijsq; solummodò totam consecrationis visę, & efficaciam sitam esse, cætera autem, vel ad effectum, vel ad

S. Bonauẽt. Maior, & alij contrariam opinionem defenduat.

vsum,

vſum, vel ad finem Sacramenti declarandum à Chriſto Domino fuiſſe addita. Et licet congerant pleriq; varias ad iſtud perſuadendum rationes, ego tamen, qui in trā-ſcurſu, & raptim hæc innuiſſe tantùm volo, inuolutis ſilentio Sanctorum Patrum teſtimonijs præſenti ſententiæ fauentibus, putarim efficaciſſimum illud eſſe huius opinionis argumentum, quod ex antiquis Græcorū liturgijs eruitur, in quibus verba illa, *æterni, & myſterium fidei*, non leguntur, & tamen veriſſimam illam fuiſſe cō-ſecrationis formam nullus vnquam eſt auſus inficiari. Qua de re videndi ſunt Diui Baſilius, & Chryſoſtomus. Deindè aliqua citatæ locutionis particula, exempli loco, *enim*, non magis pertinet ad ſubſtantiam Sacramēti Altaris, quàm iſta particula, *noui, & æterni &c.* illa autem conſentientibus omnibus Theologis minimè eſt eſſentialis, neq; igitur iſta, maximè cum abſolutiſſimè ſignificetur vini in ſanguinem Chriſti conuerſio illis ſolum-modo verbis. *Hic eſt calix ſanguinis mei*; Quòd ſi illud formæ practicæ conuenire certiſſimum eſt, vt non minus operetur; quàm ſignificet, profectò ſola hęc propoſitio. *Hic eſt ſanguis meus*, conuerſionem vini in ſanguinem Saluatoris efficiat neceſſe eſt, quandoquidem ſola nobis trāſubſtantiationem ſignificat. Porrò autem inter haſce controuerſantium Doctorum opiniones tres adhuc fuerunt aliorum recentiorum Theologorum ſententiæ. Sed harum curioſus Lector videat Franciſcū Suarez parte tertia, quęſt. 78. diſput. 60. qui non minus eas doctè tractat, quam ſubtiliter etiam refellit. Mihi enim vtramq; ſuperiorem opinionem conſideranti dicendum videtur Magiſtri quidem ſententiam probabi-

Franciſcus Suarez.

Probabilè Magistri, sed tutiorē Angelici Doctoris opinionem esse censet auctor.

lem, sed tamen tutiorem esse Angelici Doctoris opinionem, quam necessitate præcepti quilibet Sacerdos Latinus, omnia videlicet verba perfectè super calicem proferendo, amplecti tenetur.

Ad quid teneantur Latinus Sacerdos.

Illud tandem pro clausula harum de sanguine Domini effuso disputationum quæri, ac piè inuestigari posset: Nùm certus aliquis, ac definitus guttarum cruoris effusi numerus haberi dignosciuè possit, qui totam diuini liquoris effusam quantitatem edoceat. Equidem

An certus numerus assignari possit guttarū effusi sanguinis Christi.

intelligo quam in re obscura, & incerta versèr, vbi nec humani sensus, nec efficax, quin immò, nec probabilis ratio nobis mortalibus aliquam facem, quæ lumen huiusce rei effundat, prætendere possunt; verùm quia potuit ille, qui summo dolore innumeros penè sanguinis sui riuos ad labem sordium nostrarum emondandam copiosissimè profudit, diuinitus cælesti oraculo pijs mentibus certam huius effusi cruoris numeri notitiam elargiri, nullum non fuerit operæ pretium hoc loco

Io. Lãsperg.

prodere, quod olim à Ioanne Lanspergio Carthusiano scriptis cõsignatum legimus sermone de Passione Dñi loco citato, vbi certum effusi liquoris numerũ cuidam sanguinis Christi guttas demisso animi sensu oratione dominica salutanti patefactum esse docet his verbis. *Legitur reuelatum, & habetur in Alano de rupe, quod si quis quotidie centum Pater noster, & tot Aue Maria legeret, & hoc continuaret per quindecim annos, tunc salutasset vnam quamlibet guttam dominici sanguinis, vno Pater noster, & Aue Maria*, quæ omnes dominicæ salutationes, si ad

Numerus guttarum sanguinis Christi 547500.

calculos reducantur, ascendunt ad numerum 547500. Ex quo pariter fit, vt totidem fuerint profusę Saluatoris nostri sanguineæ guttæ.

FRANCISCI COLLII

S. THEOLOGIAE, AC COLLEGII Ambrosiani Doctoris.

DE SANGVINE CHRISTI.

LIBER QVARTVS.

DISPVTATIO PRIMA.

De præclaris mysterijs aquæ, & sanguinis olim effusi ex latere Saluatoris.

CAP. I.

Sanctorum Patrum insignes sententiæ, quibus mira quædam sanguinis, & aquæ arcana explicantur.

QVOD in hoc quarto libro de Sanguine Christi tractare aggredimur, etsi ordine rei, & naturę posteriorem alijs sanguinis effusionibus sedem sibi deposcat; dignitate tamen, & excellentia principem sibi locum vindicare meritò videtur, si varias sanguinis

Christi ex latere erumpentis prærogatiuas perpendamus, quas Sancti Patres de hoc lateris vulnere agentes suspiciunt,& admirantur; Nam,vt silentio inuoluam, (quod tamen non est inter alias huiusce prodigiosi sanguinis excellentias exigui momenti) Ioannem Apostolum viso Assertoris sanguine ex percusso latere prosiliente in eam deductum esse admirationem, vt ad faciẽdam mortalibus fidem nuda, ac simplici historica narratione non satisfactum esse duceret, sed obfirmatam auctoritatẽ sui ipsius, qui testis oculatus fuerat, planè necessariã arbitraretur, dicẽs, *& qui vidit,testimoniũ phibuit,et verũ est testimoniũ eius*;eximia vlterius,& præclara diuinę bonitatis, & gratiæ mysteria latent sub cortice Ioãnis hist.de admirabili hoc sanguinis dominici fluxu.

Sed quænam sunt ista, quæ de aqua, & sanguine lateris Christi viri sanctissimi, & Sacrorum eloquiorum peritissimi diuinitus prodiderunt? Plurima profectò; quorum ego præcipua tantùm attingam. Principiò sanguis, & aqua ex latere dimanantes fuêre medicina eius vulneris, quod omnibus mortalibus Eua ex costa primi hominis efformata inflixit, cum Dei mandatum transgrediens innumera fermè peccati, & mortis damna protoparentis nostri crimine in omnes inuexit, his enim calamitatibus, quò Mediator satis se consuluisse per mortem suam nobis declararet, è Cruce pendens sanguinem,& aquam, quibus omnia humanæ naturæ vulnera curata sunt,fundere voluit ex latere proprio, vt eius lateris,quod initium, & caput culpæ, & lethalis vulneris fuerat,infirmitati mederetur. Sic enim Diuus Ambrosius libro quinto cap.1. de Sacramentis sentire videtur,

S. Ambroſ.

videtur, cum inquit. *In tempore dominicæ paſsionis, cum Sabbatum magnum inſtaret, quia pendebat Dominus noſter Ieſus Chriſtus inter latrones, miſsi ſunt, qui percuterent eum; venientes autem inuenerunt defunctum Dominum Ieſum Chriſtum, tunc vnus de militibus lancea latus eius aperuit, & de latere eius aqua fluxit, & ſanguis. Quare aqua? Quare ſanguis? aqua, ut emũdaret, & ſanguis, vt redimeret. Quare de latere? quia vnde culpa; inde gratia; culpa per fœminam, gratia per Dominũ Ieſum Chriſtũ.* Ex quo Sanctiſſimi Patris noſtri Ambroſij teſtimonio, non id duntaxat, quod innuimus, comprehendere licet, verùm etiam nouum in ſanguine, & aqua lateris myſterium dignoſcitur, cum ad humani animi emundationem aqua, ad redemptionem verò ſanguis ex proſciſſo Aſſertoris latere dimanarint. Ruffinus in expoſitione Symboli idem myſteriũ, de quo egit Ambroſius, breuiter aperit his verbis. *Quod, etſi quæris, cur non ex alio membro, ſed ex latere potius produxiſſe dicatur aquam, & ſanguinem? Videtur mihi per coſtam mulier indicari; quia ergò fons peccati, & mortis de muliere prima, quæ fuit primi Adam coſta, proceſsit, fons redẽptionis, ac vitæ de ſecũdi Adam.* (hoc eſt Chriſti) *coſta producitur.*

Ruffinus ei tra mediũ.

Prætereà Chriſtus extincto iam corpore perfundi cruore non eſt dedignatus, vt ſui aduentus inveram carnem contrà Hæreticos certum fidelibus præberet argumentum, nec non diuinitatis ſimul, quę in Chriſto erat, vt magnus Paulus inquit, *mundum reconcilians ſibi*, ne dum ab omnibus cognitæ ſpecimen aliquod oſtẽderet. Hanc rationem Diuus Ambroſius libro decimo in Lucam capit. 23. elegantius tractat his verbis. *Deinde, vt aduertamus, quod licet corporis eius fuerit natura mortalis,*

S. Amb.

licet

licet qualitas similis, dissimilis tamen gratia; nam vtique post mortem sanguis in nostris corporibus congelascit, de illo verò inquit Ioannes. Continuò exiuit sanguis, & aqua.

Quartum aquæ, & sanguinis mysterium fuit, vt hac mirabili fluxione liquorum præcipua Sanctæ Matris Ecclesiæ Sacramenta significarentur, nempè baptismi Sacramentum, per quod homines ad æternam vitam regenerantur, & augustissimum sanctæ Synaxis Sacramentum, quo spirituali cibo, & potu corporis, & sanguinis dominici fideles aluntur. Quemadmodum manifestè testatur Sanctus Leo Papa epist. 4. capit. 6. ad hunc modum scribens. *Tunc regenerationis potentiam sanxit, quando de latere eius profluxerunt sanguis redemptionis, & aqua baptismatis*; cui præclarè cohęret illud Beati Ambrosij testimonium, quod est in cōmentarijs in Lucam libro decimo. Cuius verba sunt. *Ex illo incorrupto corpore, sed defuncto omnium vita manabat, aqua enim, & sanguis exiuit, illa quæ diluat, iste, qui redimat.*

S. Leo Pap.

S. Ambr.

Quin immò, si pro dignitate sanguinis, & aquæ fluxus perpendatur, in scatentibus hisce fontibus Sacramēta omnia significata sunt, quibus maximè floret, atque insignitur Ecclesia; siquidem ex aperto Assertoris latere cætera quęquæ militantis Ecclesiæ Sacramenta vim, valorem, ac diuinam quandam efficaciam hausêre; Cuius veritatis reticere non debeo præclarum Sancti Cypriani testimonium, quod sermone de passione Domini sic habet; *De latere tuo fons egreditur in vitam æternam prosiliens*, & mox, *ex hoc fonte*, inquit, *non tātum ablutionis primæ, qua initiantur accedentes ad Christum, vndas haurimus, sed & compunctionum, & lachrymarum perennes effluunt riui,*

S. Cyprian.

riui, misericordiarum suauitas, et totius pietatis effectus emanat. Tu Domine Sacerdos Sancte, qui in tempore iracundiæ factus es reconciliatio, Sancti huius sanguinis permanentem plenitudinem reliquisti, & beneficium huius sancti liquoris in perpetuum tradidisti, & constituisti nobis inconsumptibiliter potum viuificum, Crucis signum, et mortificationis exemplum.

Deindè hac lateris perfossione re ipsa Christus confirmari voluit, quod dùm mortalem hanc, & ærumnosam vitam ducebat, non semel testatus est; se se videlicet sponte, nõ aliqua necessitate adactum pro redimendis hominibus vitam daturum, vti legitur Ioannis 10. *Nemo tollit animam meam, sed ego pono eam à me ipso, potestatem habeo ponendi animam meam*, & iterum, *potestatem habeo assumendi eam*, quod multis ante seculis præcinerat Isaias cap. 53. vbi de Christi morte verba faciens, *oblatus est*, inquit, *quia ipse voluit*; qua de re facere non possum, quin hic adscribam verba, quibus à Beato Ambrosio hæc ipsa ratio ex Ioanne, & Isaia cruta, elegantius, & enucleatius explicatur, *Quæro ergò*, inquit, *cur ante mortem non inueniamus esse percussum* (lancea) *post mortem inueniamus? Nisi fortè, vt voluntarius magis, quàm necessarius exitus eius fuisse doceatur.*

Ioann. 10.

Isai. c. 53.

S. Ambros. in Lucam lib. 10. c. 23.

Amplius ideo sanguinis ex latere prosilientis eruptionem Assertor pati voluit, quò mater omnium fidelium Ecclesia ædificaretur; nam sicut ex latere soporati Adę primam totius posteritatis matrem eduxit Deus, ita diuersis, sed felicibus tamen auspicijs ex latere Christi velut in Cruce dormientis veram Christianæ Reipublicæ Ecclesiam efformauit, quod animaduertisse videtur

Tertullianus. tur Tertullianus antiquitate,& eruditione auctor nobilissimus ; qui libro de anima capit.43. ità scribit, *Indè deducimur etiam imaginem mortis iam tunc eum recensere; si enim Adam de Christo figurabat, somnus Adæ mors erat, Christi dormituri in mortẽ, vt de iniuria perinde lateris eius vera mater viuentium figuraretur Ecclesia.*

Ad hæc. Lateris aperitione aliud adumbratum,& significatum esse mysterium autumo, quod commodè in cęlorum ianuam quadrat; hæc enim, quę diu protoparentis Adæ peccato clausa fuerat, rursus passionis Christi tempore, quam diræ lanceæ vulnus consumauit, aperta est; hoc siquidem in sensu rectè intelligi posse videntur ea, quæ Diuus Ioannes Euangelista Apocalypsis quarto scribit. *Post hæc vidi,& ecce ostium apertum in cœlo ;* nullum enim latere posse arbitror, quin ad aperitionẽ ostij lateris Christi, statim pariter serie quadam diuinæ præordinationis cęleste ostium multis iam ante sæculis mortalitati clausum non patuerit.

Apocalipsis 4.

Sed non hic est cælestium arcanorum finis; teguntur insuper plura alia in hisce liquoribus mysteria; hinc .n. proseminata à Saluatore nostro aquę baptismatis fides, vel maximè corroboratur, atq; communitur nouumq; sanguinis baptisma, quo complures Christi martyres ad sempiternam gloriam tincti sunt, velut digito innuitur. Audi Tertullianum libro de baptismate capit. 9. vtrumq; docentem ; nam vbi dixisset, *cum vuulneratus est,& aqua de latere prorupit*, postmodũ cap. decimosexto ad hunc modum scribit. *Est quidem nobis etiam secundũ lauacrum, vnum, et ipsum sanguinis scilicet, de quo Dominus habeo inquit baptismo tingui, cum iam tinctus esset, venerat*

Tertullianus.

enim

enim per aquam, & ſanguinem, ſicut Ioannes ſcripſit, vt aqua tingeretur, ſanguine glorificaretur, proinde vt nos faceret aqua vocatos, ſanguine electos, hos duos baptiſmos de vulnere perfoſſi lateris emiſit, quià, qui ſanguinem eius crederent, aqua lauarentur, qui aqua lauiſſent, etiam ſanguinem potarent.

Poſtea nouum rurſus hinc myſterium peti poteſt ex Ruffino in iam citata Symboli expoſitione, quod vt hîc adſcribatur, omninò dignum eſt. Nam loquens Ruffinus de eruptione ſanguinis, & aquæ facta ex dominico latere. *Hoc quidem*, inquit, *myſterium eſt: ipſe enim dixerat, quia flumina de ventre eius procedent aquæ viuæ; ſed produxit & ſanguinem, quem petierunt Iudæi venire ſuper ſe, & ſuper filios ſuos. Produxit ergò aquam, quæ credentes diluat; produxit & ſanguinem, qui condemnet incredulos.* Ruffinus.

Iuuat etiam in præſens ponere, quemadmodum Diuus Hieronymus hanc ſanguinis, & aquæ hiſtoriam ad alia rurſus arcana trahat. Epiſtola enim ad Oceanum ordine octuageſima tertia, de vulnere lateris agens hæc habet. *Primum ſignum ex aquis facit. Samaritana vocatur ad puteum, ſitiens inuitatur ad potum. Nicodemo dicit occultè. Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & ſpiritu ſancto, non introibit eum in regnum Cælorum. Quia ab aquis cæperat, finiuit in aquis. Latus Chriſti percutitur lancea, & baptiſmi, atq; martyrij pariter Sacramenta fundantur.* S. Hieron. ad Oceanū

Verùm quid de hoc ipſo lateris vulnere prodiderit Auguſtinus, non eſt omittendum; etenim de Ciuitate Dei capit. 26. lateris aperitionem Arcæ Noe oſtio aſſimilat. *Quod*, inquit, *oſtium in latere arcæ accepit; profectò illud eſt vulnus, quod latus crucifixi lancea perforatum eſt. Nunc quippè ad illum venientes ingrediuntur, quia indè Sa-* S. Auguſt. de Ciu. Dei

cramenta manarunt, quibus credentes initiantur. Hactenus Augustinus, quo nec sententiæ, nec verborum grauitate inferior Gregorius Magnus super illis verbis Canticorũ secundo. *Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ*, hoc ipsum Solomonis testimonium de vulnere lateris interpretatur, inquiens; *Cauernam verò maceriæ vulnus lateris, quod lancea factum est, eodem sensu dixerim.*

Gregorius Magnus.

Hoc ipsum diuini lateris prosciſſi arcanum ampla, vt solet, & diserta oratione pertractãs Cyrillus Hierosolymitanus hæc memorię prodidit Catechesi. 13. Vbi, primũ Moses, inquit, mutauit flumen in sanguinem, & Iesus postremò aquam emisit de latere vnà cũ sãguine, fortasse propter duas cædes; alterã iudicantis, alterã verò clamantium; aut propter credentes, & non credentes. Pilatus enim dixit, innocens sum, & aqua lauit manus; clamantes autem dicebant sanguis eius super nos. Erant igitur hæc duo de latere fortassis iudicanti aqua; clamãtibus verò sanguis. Ac rursus aliter intelligendum; Iudæis quidem sanguis; Christianis verò aqua; illis quidem tamquàm insidiãtibus, ex sanguine condemnatio; tibi verò nunc credenti per aquam salus. Nihil enim temerè factum est. Assignarunt enarratores Patres nostri & aliam eius rei causam. Cum enim duplex sit baptismi Saluatoris virtus, vt est in Euangelijs; vna quidem, quæ baptizatis donatur per aquam; altera verò sanctorum Martyrum in persecutionibus per proprium sanguinem, exiuit de latere Saluatoris sanguis, & aqua propter eam, quæ esset futura, Christi confessionẽ, & in baptismo, & in temporibus martyrij confirmans gratiam. Est, & alia huius lateris causa. Mulier fuerat

Cyrillus Hierosolymitanus.

prima

prima ductrix peccati, quę de latere erecta est. Sed Iesus, qui venit, vt viris simul, ac mulieribus conferret reconciliationem, aperuit latus pro mulieribus, vt solueret peccatum. Hactenus ex Cyrillo, qui non modo iam allatas ex alijs Patribus mysteriorum rationes comprobat, sed pręclaras, & insignes addit ipse cælestium arcanorum interpretationes.

Libet tãdem pro clausula præsentis capitis recensere, quomodò Diuus Ioannes Chrysostomus explicet sacrã hanc lateris Christi perfossionem; verùm quo lectori suauior, & iucundior sit interpretatio, egregiam tanti Patris sententiam totidem aureis verbis expressam consignare statui hoc loco. *O pessimam*, inquit Chrysostomus, *voluntatem, & sceleratissimam; noli tamen perturbari dilectissime, quæ enim illi malo animo patrarunt, veritati cõsentiebant. Prophetia hinc impleta est, inquiens; videbunt, in quem transfixerunt. Neque hoc tantùm, sed non crediturus fuit fidei argumentum, vt Thomæ, & qui cum eo erant. Ad hæc & arcanum mysterium consumatum est. Sed quoniam ex ambobus Ecclesia constituta est. Sciunt hoc initiati, per aquam enim regenerati, sanguine, & carne nutriti; hinc mysteria ortum habent, vt quoties ad admirandum calicem accedis, tamquàm ab ipso latere hauriens accedas.* Homil 84. in Ioãnem.

Et hæc pauca ex pluribus, quæ afferri possent, sufficiant; si quis autem plura audiendi desiderio tenetur, adeat eos patres, quorum oratio aliquandò fuit de ea Sancti Ioannis auctoritate, *& continuo exiuit sanguis, & aqua*. Nos enim pergere volumus ad ea, quæ aliquam in subiecta materia difficultatem parere posse videntur.

CAP. II.

Christi Domini latus lancea transfossum non esse ante obitum Saluatoris, aduersus impios quosdam hæreticæ prauitatis Assertores.

ET principiò quidem se se nobis illud inuestigandum obijcitur. Num è mortali hac vita iam tum abijsset Assertor, cum diro lanceæ ictu pectore sauciatus sanguinem, & aquam effudit; an verò inter mortales adhuc vitali aura frueretur. Nam licet sacram Ioannis historiam non ignorāti, eandemq; verissimam arbitranti, vt præcipit Catholica veritas, nulla vel leuis hac de re superſit dubitatio, quià tamen ille, quem Dei esse æmulum cernimus in dies, semper enititur omni studio, atque contentione, vt, si fieri possit, Euangelicæ luci tenebræ offundantur impia dogmata euulgando, propterea nos aduersus leuissima quædam ingenia figmenti magis, quam veritatis cupida probabimus Assertorem nostrum tunc temporis non vixisse, cùm circà pectus lancea perfossus est; cogimur enim de sanguine lateris pertractaturi Christianæ huius veritatis fundamenta solidare contra Petrum Ioannem quendam huius hæreticæ prauitatis auctorem, qui docere ausus est, spreta Ioannis Apostoli auctoritate, Christum Dominū cum lancea perfossus est, adhuc viuentem fuisse. Vti referunt Practeolus in Elencho hæresum libr. 14. hæresi 20. Sixtus Senensis libro. 6. bibliothecę sacræ cap. 125. & Alphonsus à Castro libro 4. contra hæreses, verbo Christus, hæresi 10.

Petr. Ioannes hæreticus.

Verùm

Verúm quò dogma iſtud impium, cui nunquàm potuit vera ratio ſuffragari, penitus euertatur, illud in præſentia exigi à nobis video, vt ſedulam operam nauemus in oſtendendis, atq; pariter confutandis eis rationibus, quamuis adumbratis, & futilibus, quę quoquomodo Ioannis hæretici figmentum perſuadere poſſent. Et quidem, ſi ab auctoritate incipiamus, hęreticę huic opinioni poſſet fortaſſis ſuffragari diuinę eloquentię parés Ioannes Chryſoſtomus homilia in Matthęum octuagefima nona paulò ante principium; quo loci de lateris foſſione ediſſerens, innuere videtur, nec mortuum adhuc Dominum diro lanceæ ictu fuiſſe petitum, dum Euangelicæ hiſtoriæ ſeriem proſecutus hæc habet, *Sexta autem hora tenebræ factæ ſunt per vniuerſam terram vſq; ad nonam horam; circà autem nonam horam, clamauit Ieſus voce magna dicens. Eli Eli Lama ſabacthani. Hoc eſt Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquiſti? Putarunt enim, inquit, Heliam ab eo vocari, aceto illicò ipſum potarunt; alius autem accedens lancea latus eius aperuit. Ieſus autem clamans magna voce emiſit ſpiritum.* At ſi pectore ſauciatus Mediator ſpiritum emiſit, vt contextus ſeries declarat, q̃ in hoc loco Chryſoſtomus ſequitur; quis inficiari poſſet, ſuperſtitem adhuc terris fuiſſe Dominum, cum vulnus lanceæ paſſus eſt? Amplius duo exemplaria grę cis litteris exarata in Matthæi hiſtoriam apud Robertum Stephanum eandem lectionem habent; nam poſt illam Euangelij ſententiam. *Sine videamus, nùm veniat Helias*, ſic habent, alius autem accipiens lanceam aperuit coſtã eius, & exiuit aqua, & ſanguis; moxq; recenſetur mortis Chriſti exitus his verbis. *Ieſus autem clamans voce magna* *Ia. Chryſ. hom.*

Euangelium Nicodemi.

magna emisit spiritum. Fauet deinde Euangelium, quod sub nomine Beati Nicodemi circumfertur; docet siquidem ea narratione Nicodemus diu viuentem, ac in Cruce pendentem Dominum fuisse, postquam vulnus latere excepit. Etenim explicato crucifixionis Christi facinore inducit Nicodemus milites ferocia militari Christo Domino insultantes, amaram aceti, & fellis potione sitienti Christo porrigentes, ac mox Lõginum militem vulnus Assertoris corpori impingentem, non solum antequam Dominus diuinum Æterno Patri spiritum cõmendaret, verùm etiam anteà, quam in Crucis patibulo pendentium latronum vocem, execrantis vnius, & obsecrantis alterius, veniamq; peccatorum enixè precantis audiret. *Diludebant*, inquit, *quoq; eum milites, & accedentes acetum, & fel afferebant ei bibere, dicentes. Si tu es Rex, libera te ipsum. Accipiens autem Longinus Miles lanceam aperuit latus eius, & exiuit de latere eius sanguis, & aqua*, & post interiecta narratione eorum, quę Præsidis Pilati mandato facta fuerant, tùm inducitur Iesus fęlicem, ac beatum latronem alloquens his verbis. *Hodie mecum eris in Paradiso*, & tandem recensitis pluribus alijs rebus, quę contigerunt, subsequitur, *& clamauit Christus voce magna, & hæc dicens emisit spiritum*.

Si verò rationes falso huic errori fauentes poscantur, hæ esse possunt. Vulnus Christo Dño vitam ducenti illatum mirificè Ecclesię opes, quæ meritâ sunt, Christi augeret; nam cũ, vel minimus Christi patientis dolor magno non nisi, ac infinito merito splenderet, haud dubiè maximus omnium perfossi lateris acerbus animi, & corporis sensus excelso meritorum præmio præditus fuisset;

fuiſſet; atqui omne illud, quod non modicè miſerijs noſtris ſubleuandis, atq; amplificando Eccleſiæ theſauro conducere poterat, Chriſtus peragi voluit, ergò æquum eſt, vt credatur viuentem Dominum vulnere fuiſſe ſauciatum. Amplius, quæ ad mortui corporis Chriſti ſtatum pertinebant, honorifica duntaxat, ac pręclara eſſe voluit, mundiſſima ſiquidem ſindone inuolui, varijs vnguentorum liquoribus deliniri, magnificoque tumulo condi non detrectauit, ergò vt ſibi mortuo illa ignominiæ nota perfoſſi lateris non inureretur, prouidiſſe credendus eſt. Prætereà, quod ex eadem tacta radice oritur, ſicuti toto vitæ ſuæ ſpatio, quod Chriſtus duos, & triginta annos ærumnosè, ac miſerè exegit, vſq; ad ſupremum mortis ſupplicium omni contumeliarum genere affectus eſt, nempè vt hinc oriretur copioſa humani generis redemptio, atq; certiſſimum cunctis ſuſceptæ mortalitatis prębberetur experimentũ; ità tranſacto illo miſerrimæ mortalitatis ſtatu, debuit ampliſſimo quouis honoris, & reuerentiæ gradu augeri, vt vera latentis quodammodò in ſuſcepta carne Verbi diuinitatis maieſtas fulgeret; at qua, obſecro, ratione in honore, & gratia apud homines mortuus Aſſertor habitus eſt; quod item clarum diuinitatis ſuę ſignũ mortalibus præbuit, ſi ſibi mortuo adhuc Iudæorum feritas inſultauit? immò verius nouam crudelitatis, & ignominiæ rabiem lumine caſſum corpus Chriſti non euaſiſſet, à qua cęteri vita ſpoliati immunes eſſe conſueuerunt. Non enim, vt ſcitè dixit Caſſiodorus, *corpus, quod ſemel reliquit moleſtias mundanas, humanas iterum pati debet inſidias. Nam, etſi cadauera nõ ſentiant, ab omni pietate tamen alienum eſſe dignoſcitur.*

Egregia Caſſiodori ſententia.

scitur, qui aliquid mortuis abrogasse monstratur. Rectè igi-
D. Ioannes Chrysost. tur Diuus Ioannes Chrysostomus omnia Christo Domino post mortem honorifica fuisse scripsit in tractatu, qui inscribitur, aduersus Gentiles demõstratio, quod Christus sit Deus; nam ostendens, quam diuersa sit ratio exitus mortis, & vitæ Christi ab ea ratione, quam communiter huius sęculi duces, & principes habent; hæc docet. Et erit requies eius honor, licet diuerso modo in rebus humanis contingere soleat. Nam cum hi, qui hîc in magna gloria, rebusque florentibus agunt, moriuntur, pereunt cum eis simul alia omnia; id quod non solum in diuite, sed & in principe, atque adeò, & in
Diuinitatis Christi argumẽta regibus ipsis quis non videt? Cũ leges eorum irritantur, statuæ obscurantur, memoria extinguitur, nomen eorũ in obliuionem venit, à cognatis despiciuntur. Et licet pridem mouerint arma, concitarint seditiones populorum, & vrbium, reuocauerint proscriptos, occiderint dominos; simul tamen conciderunt hæc omnia, quãuis glorioſa prius fuerint. At secus in Cruce euenit. Ante Crucem in luctu res erant, Iudas prodidit, Petrus negauit, reliqui profugerunt. Iesus solus inter amicos comprẹhensus est; multi qui crediderant, retrorsum abierũt. Cæterùm vbi occisus est, & mortuus, vt dicas, quòd non sit purus homo, non solum res eius non interciderunt, sed multò clariores sunt redditæ &c. Ad extremum vera causa eorum malorum, quibus Assertor noster miserè conflictari voluit, ea est, vt læthali peccatorum vulneri, quo humanus animus crudeliter ceciderat, mederetur virtute, ac auxilio meritorum, quæ in miserijs fortiter perferendis idem Assertor adipiscebatur, atqui nulla me-

meritorum ratio in vulnere poſt obitum corporis accepto adinueniri poteſt, huius igitur lucis vſura frui debebat Chriſtus Dominus, cũ lateris dilacerationem ſuſtinuit, vt ex vulnere meritũ aliquod haberetur, quemadmodum docere videntur Patres, cum ex illis duobus ex aperto Chriſti pectore ſcatentibus ſanguinis, & aquę liquoribus Eccleſiæ Sacramenta profluxiſſe communi aſſenſu teſtantur.

CAP. III.

Veritas Catholica.

VErùm hæc omnia, vti falſa, atq; orthodoxę fidei contraria Eccleſia ſemper execrata eſt, & damnauit expreſſis Sancti Ioannis Euangeliſtæ verbis innixa, qui tunc ſolùm Chriſti pectus lanceatum fuiſſe teſtatur, cum iam vitam cum morte Aſſertor cõmutaſſet; ſic enim legimus cap. 19. *Ad Ieſum autem cũ veniſſent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, ſed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit ſanguis, & aqua.* Neq; deteſtabilem hanc hæreſim iuuat, ſi aſſeratur, vti re ipſa Petrus Ioannes erroris auctor affirmat, ſacri codicis verba accipienda non eſſe eo ordine, ac ea ſerie, qua leguntur, ſed ſolummodò per recapitulationem eſſe intelligenda. Sicuti pariter nullum eſt hæreticæ prauitatis ſubſidium, ſi rurſus temerè, ac petulanter idem Hęreſiarcha aſſerat, loco verbi, aperuit, præteritum pluſquam perfectum, hoc eſt, aperuerat, eſſe legendum; Quoniam ſummus Eccleſiaſticæ rei moderator Clemens appellationis huius Papa Quintus in Concilio Viẽnenſi re diligentiſſimè perſpecta, & inter

Clemens Quintus.

celeberrimos doctrina, vitæq; sanctimonia Patres exagitata, quid nobis sine controuersia, & dubio de prima difficultate obiecta tenẽdum sit, in Clementina de summa Trinitate, & fide Catholica decernit his verbis. *Nos igitur ad tam præclarum Euangelistæ testimonium, & Sanctorum Patrum, ac Doctorum communem sententiam Apostolicæ considerationis (ad quam duntaxat hæc declarare pertinet) faciem conuertentes, sacro approbante Concilio declaramus, prædictum Apostolum, & Euangelistam Ioannem in præmissis factæ rei ordinem tenuisse, narrando, quod Christo iam mortuo vnus militum lancea latus eius aperuit.* Hactenus Clemens. Cuius definitio clarè primam responsionem damnat. In secunda verò respondendi ratione quis non videt perfricatam Ioannis Hæretici frontem, qui ea lectione non verum sacræ historię sensum, sed manifestam codicis sacri corruptionem conuincitur affectasse? neq; enim verbum, *aperuerat*, in probata scriptura consignatum vnquam fuisse, repertum est; Quare nullo negotio sexcentas patrum in hac Apostolica veritate contra Petrum Ioannem hęreticum consentientium proderem auctoritates; ni allata Pontificis definitio instar omnium esset; Adijciam tamen quendam totius matris Ecclesię dicendi modum, qui ad veritatis assensum eos conuertere potest, qui animum suum ab hac veritate catholica, vltrò auertunt. Etenim Sãcta Ecclesia celebri, eodemq; pio more dulcissimis verborum notis appellat ea omnia instrumenta, quibus sacratum Christi corpus toto passionis tempore immaniter agitatũ, atq; cruciatũ est; sic enim Crucem, & clauos præcipuas dolorũ Assertoris causas alloquens, dulce lignum, dulces clauos

Cur dira lancea dicatur.

appel-

appellat; & tamen cũ eadem mater fideliũ Eccleſia pectoris ictum recolit, aſpera, & acerba verborum ſignificatione, non dulcem, ſed crudelem lanceam nominat. Legimus enim, *quo vulneratus inſuper mucrone diræ lãceæ, vt nos lauaret crimine, manauit vnda ſanguine;* cuius laudabilis dicendi formulæ ratio non alia afferri poteſt, quam quæ ex immani temeritate, ac inaudita percutiẽtis militis ferocia petitur, qui omnẽ humanitatem oblitus etiam in mortuum corpus ſęuire non dubitauit; hoc enim ſcelus adeò fuit execrandum, atq; deteſtandum, vt non modò militis rabiem notans Eccleſia diram lanceam appellet, verùm etiam Ethnici ipſi talia patrantes non inter homines, ſed inter canes eſſe connumerandos iure merito dixerint. Scitum enim eſt illud Platonis libro 5. de Republica. *Mortui corpus hoſtem putare, cum hoſtis ipſe obierit, eo relicto, quo pugnabat; quid putas eos, qui ità ſe gerunt differre à canibus in lapides ſæuientibus, eo qui receſſit prætermiſſo.* Quare ad extremum ratum, firmũq; ſit omnibus, ex latere extincti iam Aſſertoris, duos ſanguinis, & aquæ fontes dimanaſſe. Nam quæ ad oppoſitum oſtendendum adducta ſunt argumẽta, perfacilem habent explicatum.

Plato.

Sauientes in mortuos canes dicũtur.

CAP. IV.

Quòd nulla ſit adductarum rationum vis.

AD primum enim argumentum ex Sancti Ioannis Chryſoſtomi auctoritate petitum communis Doctorum rectè ſentientium reſponſio eſt, impreſſoris incuria errorem hunc contigiſſe; nam rectam

Ad primã auctoritatem.

Euangelij seriem peruertens ea, quæ priori loco consignanda erant, posteriori impressit, illa siquidem verba. *Iesus autem clamans voce magna emisit spiritum*, eum sibi in historia Ioannis locum vendicant, quem illa alia, *alius autem accedens latus eius &c.* occuparunt. At mea quidem sententia non erat necesse noua responsa meditari, cum huic difficultati idem Ioānes Chrysostomus egregiè satisfecerit non modò in homilia 84. in Ioannem, in qua eandem prorsus Ioānis Euangelij seriem, ac narrationem, qualem vulgata editio reddit, sequitur, hæc scribens. *Non Christi, sed ad Iudæorum gratiam conciliandam latus eius lancea aperuerunt, & mortuo adhuc insultant. O' pessimam voluntatem, & sceleratissimam*; verùm etiam in hac ipsa homilia, de qua dubium exoritur, mortuum fuisse Saluatorem, cum lancea petitus est, clarissimis verbis contestatur dicens. *Alius aũt accedens lancea latus eius aperuit. Quid his omnibus unquam iniquius excogitari potest? qui eo iniquitatis deuenerunt, vt mortuum iam corpus vexarent.* Vt hinc videas, non tam Ioannem Chrysostomũ ad verborum ordinem, quam ad historicam respexisse veritatem, quæ plana est in sententia Sancti huius Doctoris; quid enim aliud est mortuum Saluatoris corpus iudaica crudelitate fuisse vexatum, quam perempti Mediatoris corpus stimulante Iudæorum inuidia à milite lanceæ ictu fuisse apertum?

Homil. 84. in Ioan.

Ad secũdã auctoritatem.

Codices verò illi deprauati fuêre, quod incuria nè impressoris, an malitia potius hæreticorum factũ sit, haud facilè dijudicari potest; hoc vnum certissimum est, vitiatas esse eas codicum lectiones.

Apocrypha Nicodemi Euangelia

Ex Euangelio autem Nicodemi nihil, quod sanæ doctrinæ

doctrinæ aduerſetur haberi poteſt, cũ eſſe illud apocryphum manifeſtè conſtet ex varijs erroribus, atque ex multiplici rerum materia, quæ inibi peruerſo ordine recenſentur.

Porrò obiectæ rationes nihil omninò habent ponderis, & momenti. Quod ad primam enim attinet. Neceſſe non erat, vt ad augendas meritorum Chriſti diuitias, Aſſertor adhuc viuens lateris foſſionem ſentiret, quandoquidem ſatis, ſuperq;, quin immò infinito paſſionis valore omnes omnium hominum culpas excedente mirum in modum pretio redemerat; quamquam illatum Chriſto mortuo vulnus Sanctæ Eccleſiæ theſaurũ non minuit, ſed verius auxit, vt in vltimi argumẽti confutatione dicam. *Ad primã rationem.*

Non eſt inficiãdum, quin voluerit Chriſtus, corpus ſuum emortuum honore non exiguo affici, velut argumentatio probè demonſtrat; hincq; alto diuinæ mentis conſilio factum eſt, vt mortuum Chriſti corpus lancea peteretur, quandoquidem ea lateris dilaceratio in magnum honorem, non verò in contumeliam ceſſit Chriſto Domino, vt protinus explicabitur. *Ad ſecũdã rationem.*

Quocirca ad tertiam rationem hoc habeto reſpõſum; Immò Chriſtus à ſuo corpore lanceæ ictum prohibere non debuit, quo diuinæ potentiæ, & veritatis humanæ cunctis gentibus notam virtutem faceret; nam eo pectoris vulnere non ſolùm aſſumpti corporis materiam fuiſſe ex quatuor humoribus cõflatã certiſſimè cõprobauit, dum de mortuo corpore ſanguinis, qui primus, & omnium humorum nobiliſſimus humor eſt, & aquę, quæ non ignobilem, & obſcuram inter quatuor *Ad tertiã rationem.*

elementa

elementa naturam habet, dulces riuos emisit, verùm et illustre, ac magnum suæ diuinitatis argumentum præbuit, nam, vt rectè dixit S. Ambrosius, ex vulnere corpori mortuo illato non obscurè declarauit Assertor noster, suprà cœteros mortales propriam habuisse excellẽtiam, quandoquidem in nudis, ac puris creaturarum corporibus vita defunctis superuentu frigoris omnia congelascunt, ac rigent; at de illo beatissimo Saluatoris nostri corpore sanguinem, & aquam distillasse Diuus Ioannes testatur.

Ad quartã rationem. Quo in sensu illa Beati Chrysostomi aduersus gentiles demonstratio rectissimè conuincit, excellentiores, ac illustriores Christi Domini res fuisse post obitum, q̃ antequam moreretur, vti totam orationem illam omnibus laudibus extollendam perpendenti clarum fiet.

Ad quintã rationem. Vltima tandem argumentatio eam difficultatem tangit, quę, cum nõ possit pro dignitate in breui argumentationis solutione explicari, suo loco latius examinabitur; ne tamen argumenti vis intacta penitus relinquatur, arbitror nec magno merito, nec summa laude caruisse immane illud sacri pectoris vulnus, si minus in se, & absolutè, at saltem in causa, & antecedenti voluntate.

DISPV-

DISPVTATIO SECVNDA.

De virtute, ac efficacia, quæ ſanguinis fluxum è latere prouocauit.

CAP. I.

Diuina nè, an humana potius virtute perfoſſum Mediatoris latus ſanguinem profuderit.

QVÆ hactenus diſputata ſunt, ſatis clarè, ac manifeſtè oſtendere videtur, diuino conſilio, & alta cæleſtis ſpiritus prouidentia factum eſſe, vt extincti Saluatoris corpus ex latere sãguinem profunderet; quamuis alia diuinæ eiuſdem, infinitæq; mentis ex hoc vulnere nobis arcana illuceſcant; nam cum illimitata Diuini intellectus acies eò vsq; protendatur, vt adeò clarè, dilucidè, ac apertè intueatur, & cognoſcat ea, quæ nullum in rerum vniuerſitate locum habent, ac illa, quæ benignam creatoris ſui virtutem, & operã experta ſunt, idcircò decuit ictum cuſpidis dominico pectori infligi, vt ex hoc vulnere certum ſuſceptæ mortis omnibus præberetur experimentum, nouerat enim, in hanc mortalium lucem edendam fuiſſe quorũdam nefariorum progeniem, quæ negaſſet, Aſſertorem noſtrum in duro Crucis ſtipite animam efflaſſe. *Lateris vulnus mortis Chriſti teſtimoniũ.*

At cui vel ſtultiſſimo perſuaderi vnquàm poſſet, Chriſtum Dominum ictibus grauiſſimis vndequaq; petitum, dilaceratum, atq; contuſum, ferreis clauis Cruci ſuffixum,

suffixum, ac deniq; ingēti ictu vulneratum in eo latere, quo ad cor recta via patet, superstitem ad huc spiritum duxisse in terris?

Verùm lateris vulnus non mortis Christi duntaxat, sed resurrectionis etiam certitudini mirificè cōducebat, nempè vt idem vulnus, quod de morte Saluatoris locuples testis fuerat in Basilidem, Thomæ rediuiuum fuisse à mortuis Assertorem non credenti, certum esset experimentum; huius enim vulneris grauissima auctoritate, & experientia hæsitabūdus adhuc Thomas commotus præclarum illud diuinitatis Christi edidit testimonium, quo non Dominum duntaxat, sed & Deum Saluatorem aperta voce confessus est dicens, *Dominus meus, & Deus meus*. Plures aliæ vulneris huius mysticę significationes, quæ hoc loco consignari possent, ex primo huius libri capite petantur; me enim ea difficultas, quę huic capiti titulum fecit, ad sui discussionem vocat; in densis quandoquidem iacere adhuc tenebris animaduerto, an exitus ille sanguinis ex perempti Christi corpore emanantis miraculosæ ne, an naturali causæ sit adscribendus.

Ex vulnere corroborata est Saluatoris resurrectio.

Etenim miraculosam fuisse sanguinis ex latere profluentis emissionem, non infirma momenta rationum declarant. Principiò Diuus ipse Ioannes certissimus huiusce sanguineæ eruptionis, ac locuples testis suprà naturalis humanæ facultatis vires sanguineum fluxum fuisse significat, cum inquit, *& qui vidit testimonium perhibuit, & verum est testimonium eius*; quasi diceret, ne quęso lector, cum ex sauciato Christi iam perempti latere duos aquæ, & sāguinis fontes dimanasse audieris,

Prima opinio miraculosam sāguinis effusionē docet.

ne

ne quæſo, etiam ſi facinus iſtud humanam ingenij tui aciem quodammodò fugere videatur, vereare, cũ meis ipſe oculis ſanguinem, & aquam prodeuntes apertè ſim contemplatus; ne vè teſtium multiplicitatem deſidera, quoniam non multis teſtibus opus eſt, ego ipſe, qui nõ niſi vera narrare, & certiſſima quæquæ prodere ſoleo, vidi memorandam ſanguinis effuſionem; at quorſum Diuus Ioannes, qui cętera Chriſti ſupplicia, & miracula etiam, quæ in morte Saluatoris grauiſſima euenerunt, nuda, ac ſimplici narratione litteris prodidit, in hac vna sãguinis effuſione ità totus fuit, vt putaret huic veritati non eſſe ſatis prouiſum, niſi fidem, & auctoritatem ſui ipſius teſtis incorrupti, & integerrimi enixè ſubiunxiſſet; ſi natura duce, ac naturali cauſarum ſecundarum concurſu, & auxilio fieri poterat, vt è mortuo corpore lancea petito diſtillaret ſanguineus liquor? Certè cum facili, aut nullo negotio inducant animum ſuum homines credere ea, quæ effectricem naturam habent, inanis, & ſuperuacanea foret exiſtimanda adeò diligens ſolicitudo huiuſce veritatis perſuadendæ mortalibus, qua tamen, nec fruſtra, nec temerè vſus eſt Apoſtolus, & idem Euangeliſta Ioannes. Amplius quod præter conſuetam agendi naturæ conſuetudinem accidit, id à ſublimioribus, firmioribusq; principijs, & cauſis proficiſci ratum eſſe debet, niſi caſu, & fortuitò, (quod in præſens non minus à veritate, quam à Chriſtiana religione penitus abhorret,) dicas illud accidere, atqui à natura comparatum eſt, vt è cadaueribus ſiue hoſtium tyrannide, ſiue morborum violentia ſpiritu vitali priuatis ſanguis non erumpat, ſed in venis conquieſcens potius coaguletur, et

tamen ſacratiſſimum Mediatoris corpus omni vitali principio deorbatum ingentes excitaſſe, atq; excitatos profudiſſe ſanguinis, & aquæ fontes dignoſcitur. Ad quod miraculum ſine dubio alludens Beatus Ambroſius lib. 10. cap. 23. in Lucam hęc in eandem ſententiam prodidit. *Deinde, vt aduertamus, quod licet corporis eius fuerit natura mortalis, licet qualitas ſimilis, diſſimilis tamen gratia; nam vtiq; poſt mortem ſanguis in noſtris corporibus congelaſcit, de illo verò inquit Ioannes, continuò exiuit ſanguis, & aqua.* Deinde Deus, qui alto diuinæ prouidentię conſilio cuncta moderatur, ac regit, ad obtinendum, aut detegendum mortalibus finem ſupernaturalem vtitur rebus naturæ ordinem excedentibus, hæc enim duo inuicem ſibi congruere, atq; reſpondere ſolent, at finis, cuius gratia latus Chriſti apertum ſanguinem dedit, ad ſupernaturalia tantùm, diuinaq; myſteria ſpectabat, vt liquidò cognoſci poteſt ex ijs, quę paulò ante explicata ſunt, cum varia ſanguinis, & aquæ arcana perquireremus, conſequens igitur erit, vt ad diuinum, non verò ad naturalem ordinem ſpectaret ea virtus, cuius vi, ac impulſu ſanguis excitatus eſt.

CAP. II.

Oppoſitæ ſententiæ rationes.

Secũda op. Quatuor argumẽta, quibus probari videtur, ſanguinem naturaliter profiuiſſe.

EDiuersò tamen intueor rurſus poſſe quempiam arbitrari, ac docere, nullam peculiarem Dei virtutem, quæ ordinis ſupernaturalis eſſet, ſanguini ex latere perempti Saluatoris effundendo neceſſariam fuiſſe. Etenim debile, ac infirmum à prudentibus tutamen

tamen planè ſemper dijudicatum eſt, ad miracula, tamquàm ad certiſſimum Aſylum confugere in explicandis ijs rebus, quæ aliquam primo obtutu difficultatis ſpetiem præſeferre videntur, id quod meritò accidit in præſens, cum huius emiſſionis ſanguineæ non abſimile aliquod cerni poſſit veſtigium in hiſce rerum inferiorum euentibus, in quibus ex mortuis, ac fermè corruptioni proximis, & marceſcentibus hominum cadaueribus ſanguinis profluuium ſæpius erupiſſe cognouimus; & tamen in his haud aliqua fingi poteſt miraculorum ratio, quæ ingentem illam effluentis ſanguinis copiam effecerit. Quid? hoc ipſum experimentum viſitur in ijs maximè corporibus, quæ dum cædes, ac minas ſtrictis gladijs aduerſus inimicum ſpirant, crudeliter obtruncantur; immò etiam conſpicitur in ijs, qui dolis, ac fraudibus circumuenti mortis ſupplicium ab inimicis iniuſtè illatum luere coguntur. Haud verò æquum, ac conueniens piæ mentes arbitrantur, eò vſque cęleſte numen deducere, vt interfectorum ſanguinem miraculis illuſtrare ſtudeat; quod tamen eſſet affirmandum, ſi ſpeciali duntaxat diuinę bonitatis, & omnipotentię miraculo ex occiſo corpore ſanguis emanaret. Præterea ſanguis, qui poſt felicem Chriſti à viuis diſceſſum ſe ſe è latere prodidit, non cuiuſuis membri ſanguis fuit, ſed peculiaris erat nobiliſſimi, ac totius corporis principij, hoc eſt, cordis, quod quià, ſicut in vita primas ſibi innati caloris partes, ſic in interitu corporis poſtremas efflagitat, ac ardentiſſimo caloris humani æſtu feruere ſolet, propterea hinc facilè sãguinis fluxus produci potuit virtute, & efficacia caloris reſidui cor ambientis,

bientis, maximè in Christo Domino cuius sacratum cor truci ictu transfossum est, ex quo protinus effusioni sanguinis iter patuit. Ad hæc post mortem breuissimo interiecto temporis interuallo è Cruce pendens Assertor in latere sauciatus est, quemadmodum ex sacris litteris non obscurè habetur, dum Præsidem subitam, ac repentinam Christi mortem esse demiratum dicunt, quam tamen lateris vulnus est consequutum, atqui fieri non poterat, vt tàm breui temporis spatio Saluatoris nostri membra, & maximè intestina tanto frigore obriguissẽt, quo fluxus sanguinis impediretur. Tandem sicut post corporis mortem in destinatis à natura conceptaculis demorans sanguis è cadauere varijs etiam plagis, & ictibus petito difficilè egreditur, ità sanguis è propria sede dimotus facillimè labitur, & effluit; sãguis autem Christi Domini, qui è latere cadens terram irrigabat, è naturalibus vasculis erat deturbatus, & ex sacro Assertoris capite, ac proximis etiam cordi partibus decisus; naturali igitur virtute potuit elabi, cum violentè detineretur ibi, vbi erat; quare statim ac perfossi lateris angustiæ, et impedimenta, quibus ne proflueret, anteà detinebatur, patuêre, naturali motu ob insitam grauitatem erupit ad eum fermè modum, quo prima quatuor totius vniuersitatis elementa moueri consueuerunt; ista enim, vt philosophis placet, in pprijs locis ità immota persistunt, vt non nisi violenta motione ab illis rapiantur, quod si fortè fortuna extra commensuratos sibi, ac naturales terminos cogantur abire, statim remotis impedimentis quàm citissimè hinc grauia deorsum, & indè leuia sursum feruntur. Cum ergò Sanguis Christi particeps

ticeps grauitatis eſſet, ac dominicum corpus penderet è ligno Crucis, quid potuit impedire, ne grauitas ſanguis ſcateret ex aperto latere Mediatoris?

CAP. III.

Quòd diuinitùs ſanguis ex latere Chriſti dimanarit.

AD primam tamen ſententiam equidem libẽtius accedo, cùm propter Patrum auctoritatem, tùm etiam ob communem fermè totius Theologici cætus aſſenſum minimè in hoc negotio, ſicut neq; in cæteris paruipendendum. Arbitror igitur; alta ordinatione Dei præter conſuetum naturæ modum operantis ex trãſuerberato Aſſertoris femore effluxiſſe sãguinem. Porrò hãc opinionem docuit, vt vidimus, S. Ambroſius in Lucam. Idem ſenſiſſe Beatum Cyprianum martyrem libro de duplici martyrio illa eius verba, quæ ibidem habentur, demonſtrant. *Erat & illud*, inquit, *præter naturæ curſum, quod è latere exanimati corporis ſanguis, & aqua profluit, vt abſolueretur triplex teſtimonium, totum effudit ſpiritum, vt nos reſpiraremus, quidquid erat humoris aquæ reliquum, expreſſit, vt nos abluerem ur, quidquid reſederat in corde ſanguinis exiuit, vt nos confirmaremur.* Hanc eandem ſententiam valdè commendat Euthymius in Matthæum in illud Ioannis, *& continuò exiuit &c.* ſic ſcribens. *Res ſupra naturam, ac manifeſtè docens, quod maior, quam homo eſſet, qui fuerat vulneratus; ſiquidem à mortuo homine, etiam ſi millies quis eum pupugerit, non exiuit ſanguis, ſignificans duo baptiſmata, vnum, quod eſt per ſanguinis martyrium; alterum verò per aquæ regenerationem, atq;*

S. Ambroſ. S. Cypria. Euthymius.

atq; horum fluxu peccati fluxum demergit. Prætereà duos scaturire fontes fecit, aqua quidem purificans Ecclesiam, sanguine verò eam enutriens, si quidem per aquam renascimur, per sanguinem pascimur; foditur lancea in latere Saluator, quià peccato vulneratum est pectus Adæ. Prætereà, vt Euam lateris sui vulnere à plaga lateris sanaret. Hactenus Euthymius, cuius integram de mysterio perfossi lateris sententiam propterea hîc commemorare volui, quòd in ea non paucæ ex alibi recitatis ex alijs Patribus mysticę significationes rectè explicentur. Cũ citatis Patribus apertè consensit Angelicus Doctor in Ioannem lectione quinta. Vbi, *valdè miraculosum est*, inquit, *vt de corpore mortui, in quo est cõgelatus sãguis, exeat*; quod idem docet tertia parte, quęst. 66. articulo quarto ad tertium. *Fuit autem aqua pura miraculosè egrediens à corpore mortuo, sicut & sanguis ad comprobandam veritatem Dominici corporis contrà Manichæorum errorem, vt scilicet per aquam, quæ est vnum quatuor elementorum ostenderetur corpus Christi verè fuisse compositum ex quatuor elementis, per sanguinem verò ostenderetur esse compositum ex quatuor humoribus.* Sic Sanctus Thomas. His omnibus votis subscripsit Theophylactus inquiens, *sanguinem ex mortuo corpore prodijsse, admirabile est.* Ad extremum Sancti Ioannes Chrysostomus homilia 84. in Ioannem, Leo Papa, epistola quarta, ca. 6., Augustinus suprà, Cyrillus Hierosolymitanus, Gregorius Magnus, Beda in Ioannẽ, Ioannes Damascenus libr. 4. Fidei Orthodoxæ cap. 110. Tertullianus libro de Anima, cap. 43. & libr. de Baptismate cap. 9. & 16. Ruffinus in expositione Symboli, & alij fermè oẽs S. Patres in hãc eandem abijsse sententiam viden-

S. Thomas

Theophylactus.

videntur, cum ex hoc lateris Christi vulnere diuina non nisi arcana colligunt.

Nec modò Sanctorum Patrum, sed etiam omnium diuinæ paginæ interpretum hęc est doctrina, quam tradunt Ioannes Maldonatus, Franciscus Lucas Burgensis, Ioannes Hesselius, Franciscus Toletus, Sebastianus Barradius, Ludulphus Saxo in vita Xpi; Franciscus Suarez 3. parte, quæst. 51. art. 3. disputat. 41. sectio 1. Nec abnuunt Caietanus, Abulensis, & Salmeron; sed frustrà omnium Doctorum nomina enarrando persequor, cũ fermè nemo sit, qui dissentiat.

Sed quid mirum est, præsentem sententiam persuasam fuisse his omnibus, qui ex non infirmis etiam philosophiæ principijs peruinci posse hanc opinionem cognouerant? Nam quatuor humani corporis humores ab innato duntaxat calore vim fluendi, atque labendi mutuãtur, quo fouente quidquid fluidæ substantiæ in corporibus reperitur, liberè manat, atq; liquescit, ni obex illi ponatur, quemadmodum omnibus vulgatissimum, ac notissimum est; hinc fit, vt nullius vnquàm sanguinis, aut alterius cuiusuis humoris humani decursus miraculosus censeri debeat, cum ex eo fonte scatet liquor, in quo vires suas calor exercet, immò potius esset admirandum, si sanguis ex trucidatis corporibus, non effluere ret remoto omni impedimento extrinsecus. At verò cum siue vi extrinsecus, siuè intrinsecus adhibita in humano corpore deficit calor, vt necessaria quadam, ineuitabiliq; connexione in obitu corporis accidere solet, longè alia est rerum facies, tũc enim humores, qui prius calore adiuti liquidam naturam sortiebantur, frigore circumuenti,

circũuenti hærent, coagulum patiũtur, ac deniq; concrescunt adeò tenaciter, vt instar glutinis ijs adhæreſcant vaſculis, in quibus reperiuntur; ea enim frigoris conditio, ac natura eſt, vt quæcunq; morſu ſuo afficit, ea dura, rigida, & ad labendum inepta reddat. Quià igitur innati caloris, & humanę vitę defectum nulla interiecta mora comitatur frigus, quod mutuas inimicitias cum calore gerit, propterea ſubitò in eadem materia conſurgens frigus non humores dũtaxat, verùm etiam carnis, venarum, ac totius corporis foramina adeò coarctat, & anguſtè conſtipat, vt omnem liquoribus fluidis diſcurrendi, erumpẽdiq; adimat facultatem, algent enim protinus omnia mortui cadaueris membra, quæ licet acutiſſimis ferri ictibus pungantur, nullum liquorem effundere valent. Porrò autem peculiaria hæc caloris, & frigoris munia ità naturali corporum conſtitutioni cõueniunt, vt nequeant citrà miraculoſam Dei virtutem tolli, aut impediri, quin ad viuũ calor, frigus ad mortuum corpus conſequantur; Ex quo præterea principio conficitur, vt neceſſitate naturali in corpore affectiones, ac proprietates eorum dominentur; Quòd ſi fortaſſe aliquando in neci datis corporibus contrarium experimentum deprehendatur, cauſa illius haud dubiè non in naturam, quæ à Prępotenti Deo vnam, & eandem operandi rationem, ſed in aliud longè diuerſum principium referri debet. In re autem noſtra, quoniam in exanimato Aſſertoris noſtri corpore diuina manu peracto, ſola diuinę omnipotentiæ virtus dominabatur, hinc factum eſt, vt in eam duntaxat puriſſimi ſanguinis, & aquę decurſus ſint conijciendi, huius

enim

enim virtutis auxilio, & opera ex membris Christi frigore correptis, omniq; vitali calore denudatis, obstupescente natura, atq; prodigiosum fluxionis huiusce motum ignorante, continuò exiuit sanguis, & aqua.

CAP. III.

Reffelluntur oppositæ opinionis firmamenta.

CAeterum, quia nostræ opinationis ratio satis patere videtur, deinceps contrariæ sententiæ fundamenta, quæ aduersus nos militant, demoliamur. At quia illud, quod in primę augumentationis explicatione desideratur, nec in angustum coarctari, nec in transcursu dici potest, ideo nos infra diligentem, & accuratam de hac difficultate disputationem instituemus, habet enim ea res apprimè nobilem, ac memorabilem, sed litigiosam, ac varijs implicatam difficultatibus doctrinam, de qua etiam ad præsens non satis constat inter doctores. Mihi tamen illud interim certum est, ex diuersis omninò principijs sanguinẽ lateris Christi mortui, & aliorum cadauerum cruentationem proficisci, vt mox declarabitur. *Ad primũ.*

Secundum refelli, promptum est, etenim quamuis circa cordis substantiam vehementi calore pollentem, dum Christi vita permanebat, diuersaretur sanguis ille, qui ex latere profluxit, haud tamen insito cordi æstu ad se se effundendũ sanguis adiuuari potuit, cũ extincta Assertoris vita ineuitabili necessitate oportuerit cum ea simul, & semel omnem naturalem Christi calorem deficere, ac interire, etiam si in interitu cætera corporis mẽ-

bra citius, quàm cor, frigori sint obnoxia.

Tertium verò grauiori difficultate perplexum est, ad quam explanandam nonnulli rati, esse illud probabilissimum, quod in tertio augumento tangitur, concesserunt sanguinem in Christi corde, tamquam in naturali fonte persistentem nec dum coagulari potuisse, cũ lancea mediator petitus est, & nihilominus miraculosam fuisse illius liquoris fluxionem arbitrantur, qđ docent in hanc fermè sententiam, etenim plurima, inquiunt isti, Saluatoris membra vno, eodemq; lanceæ ictu traiecta fuêre, carnem enim mox pulmones, tum pericardion, postremò cor ipsum grauis cuspidis ictus penetrauit, atqui cõstat inter dissectionis artis peritos, inter cor, & extremam lateris cutim non mediocre iacere interuallum, quod si naturali virtute, ac motu metiri debuisset ex corde Christi erumpens sanguis, exterius longo non nisi post tempore apparuisset, & tamen sacer contextus habet, *continuo exiuit sanguis, & aqua.* Adijce prętereà fluxionẽ sãguinis naturale duntaxat opus haud fuisse, vt liquet ex eo, quod motione naturali in pectoris concauitatem, quæ ampla iacet inter cor, & lateris superficiem, non verò in terrã decidisset Saluatoris cruor; & ad extremum sibi inuicem adnexę membrorum trãsfixæ partes, quæ ferri violentia patuerunt, statim ad mutuam copulationem rursus deuenissent, ex qua omnis eruptio sanguinis naturaliter fuisset impedita; Cum igitur inter lateris dilacerationem, & sanguineum fluxũ nulla longior mora interiecta fuerit, nec in subiacentem pectoris concauitatem ceciderit sanguis, neq; per mutuã transfixionem membrorum clausum sit iter sanguini,

Ex quo capite Burgensis colligat miraculosam fuisse sanguinis emissionem.

quis

quis inficiari meritò poterit, prodigiosam fuisse sanguinis ex latere scaturientis emissionem? Sed haud scio, nùm quod his rationibus probare contendunt isti, re ipsa astruant, nam, vt in præsens taceam Assertoris sanguinem non tam in corde, quam etiam in vicinioribus lateri præcordijs facili negotio reperiri potuisse, ac ex eis ipsis promptè elabi, ex quo vis rationum Burgensis eluderetur, arbitror sine dubio, nullum miraculis locum supersesse, si semel naturali calore tepuisse corpus dominicum, cum lancea trãsfossum est, concedatur, vigente siquidem in membris calore ex certissimo experimento constat, nequaquam posse impediri, quin lancea perfossum corpus non hominis tantum, sed etiam cæterorum animantium, sanguinem effundat, nihil impediente siue membrorum interuallo, siue pectoris concauitate, siue coëuntium partium amplexu, labitur siquidem fluida sanguinis natura per minutissimas quascunq; trucidati corporis rimas, quocircà (ni fallor) nullum fuisset miraculum, si conceptum anteà calorẽ tunc etiam retinuissent extincti Saluatoris membra, cum illi insultantes carnifices vulnus intulerunt. Vidit hoc ipsum, de quo loquimur, Sanctus Thomas, qua erat angelica intelligendi facultate præditus, ac propterea cum admisisset hanc, quam attulimus responsionem, omni probabilitate penitus non carere, protinus omne miraculum de medio tolli subdidit, si admittatur, adhuc in præcordijs Christi viguisse calorem, ad hunc modum scribens lectione quinta in Ioannem. *Est valdè miraculosum, vt de corpore mortui, in quo est coagulatus, sãguis exeat. Sed si dicas, fuisse hoc propter calorem, qui ad huc in corpore*

Burgensis opinio conuincitur.

S. Thomas in Ioannẽ.

remanserat, fluxus aquæ infitiari non potest, quin miraculosus existat, cum aqua exiens purissima sit. Ex quo Angelici doctoris testimonio clarè conuincitur id, quod aduersus Burgensem hactenus disputatum est; cum non in fluxione sãguinis, sed solius aquę sitam esse miraculi rationem doceat, si Assertoris prȩcordia calore prædita fuisse faciamus.

Illud igitur, quod ad præsentẽ locum attinet, teneo, corpus Mediatoris crudelissimè necatum omni penitus naturali calore tunc fuisse destitutum, cum vulnus à milite illatum latere excepit, & in hanc sententiam accipienda, atq; intelligenda esse arbitror ea, quę Diui Ambrosius, Cyprianus, Theophylactus, & alij memoriæ prodiderunt, cum docent miraculo esse tribuendum, quòd sanguis Christi à morte coagulationis mutationẽ non senserit, si namq; diuino hoc duntaxat factum est miraculo, haud dubiè è membris Christi recedere debuerat calor omnis, cuius præsentia, & virtute coagulatio, atq; concretio sanguinis prohibetur, secus frustra Sancti Patres in sanguinis fluxione miraculosam Dei virtutem contemplarentur. Ad hæc iam diù nudus è Cruce pendebat Christus Dominus per ea tempora, in quibus non infima prorsus vis erat frigoris; Immò, qđ caput erat, tenerrima corporis Christi constitutio tetris adeò flagellorum, spineæ coronæ, Crucis, sanguinei sudoris, & clauorũ erat excarnificata tormentis, vt nulla ratione humanis viribus calor in Christo conseruari potuisset, maximè cum ex infinitis penè sacrati corporis vulneribus, ac plagis tota fermè sanguinis copia effluxisset; atqui sedes, ac domicilium caloris sanguis est;

quo

quo deficiente deficiat calor, neceſſe eſt. Porrò ex his omnibus clarè conficitur, nihil caloris in corpore Aſſertoris potuiſſe reperiri, etiamſi modicum à morte Chriſti ad lateris vſque transfoſſionem elapſum eſſet temporis ſpatium; quamuis inter mortem, & lateris traiectionem ad minus, vt arbitror, duę horę abſumptę ſint, cuius quidem rei ex hiſtorica Euangeliorum narratione coniecturam aliquam capere mihi poſſe videor; nam Aſſertor noſter ex hac mortali vita abijt hora nona, quæ ſi ad ſummam horarum, quę in vſu apud nos poſitę ſunt, ſubducatur, ad horæ vigeſimæ primæ numerum aſcendit. Etenim Iudæi per totum anni curſum diem artificialem ſemper in duodecim horas, ac noctem in totidē numero pares dimenſiones temporis ſecabant capientes ab ortu ſolis exordiū ſupputationis horarū; itaut prima à Iudęis hora diei appellaretur, quæ ab ortu orientis luminis prior erat, & ſic deinceps, ex qua partitione omninò ſequebatur, vt hieme nocturnæ horæ longiores diurnis, & ęſtate breuiores nocturnæ diurnis eſſent; quāuis in numero ſemper diurnis nocturnæ, & nocturnis diurnæ pares, & æquales eſſent. Eum verò morem diuidendi horas Iudęis communem fuiſſe, per Chriſti tempora, me certè nō ſinunt dubitare, quę Chriſtus ipſe dixit Ioannis 11. Vbi, *non ne*, inquit, *duodecim ſunt horæ diei?* & rurſus Matthæi 20. apertam idem Aſſertor mentionem facit horæ primæ, tertiæ, ſextæ, nonæ, decimæ, vndecimæ. Chriſtus autem Dñus menſe Martij paſſus eſt, cuius nec horę nocturnę diurnis, nec è cōtra, longiores eſſe ſolent, ſed ęquali prorſus & numero, & temporis interuallo noctes, diesq; gaudebant, quemadmodum omnes

Elapſum tempus à morte Chriſti, ad lateris pertuſſionem.

Qua ratione Iudæi diei, & noctis horas partiebantur.

Ioann. 11.

Matth. 20.

omnes norunt. Si igitur Christus ex hac luce discessit ab ortu solis hora nona, fit vt ea ipsa hora in Cruce Assertor obierit, quæ à nobis nunc vigesima prima appellatur. Præterea ex Ioanne intelligitur, non ante profcissum fuisse Mediatoris latus, q̃ annuente Pilato adfuisset milites ad sacratũ pignus deponendum, atqui ex tribus alijs Euangelistis, Mathæo, Luca, & Marco clarissimè conuincitur, peractum esse depositionis Christi opus circà solis occasum, cum videlicet Ioseph ab Arimathea nobilis decurio Assertoris corpus à Præside dono accepisset; ergò elapso iam duarum, vel etiam fortè triũ horarum spatio post secutum Saluatoris obitum, Domini latus lãcea apertum est. Quod si dicatur, per aliud tempus diuersum ab eo, quod nos assignamus, huic depositionis operi peragendo præsto fuisse milites; Vellem mihi explicari, quid impedimenti nacti sint milites quo minus absoluere potuerint destinatum deponendi cadaueris opus; certè cum Iudæorum mandato ad hoc milites intenti adforent, haud videre possum rationem, cur milites iussa non capeserent. Quare ad extremum supereſt duntaxat, vt dicamus, & carnifices, & Iosephum eodem tempore, & ad idem munus perficiendum aduenisse; ex quo subindè colligitur non nisi occumbente sole lateri Saluatoris vulnus fuisse inflictum; id quod multis, & disertis verbis Episcopus Abulensis docet in paradoxis paradoxo secundo, cap. 30.

Abulensis.

Dubitatio. Sed vnus restat adhuc eximendus scrupulus, quem inijcere fortassis possent ea carmina de horis canonicis vulgò recepta, quæ sic habent.

Matutina ligat Christum, qui crimina purgat.

Prima

Prima replet ſputis ; dat cauſam tertia mortis
Sexta Cruci nectit ; latus eius nona bipertit.

Quorum poſtrema verba, ſi veram ſententiam continẽt, Saluatoris mortem, & lateris eiuſdem partitionem eodem fermè temporis decurſu ſubſecutas eſſe declarãt. Verùm facilè eſt ad hũc modum reſpondere, & poſtremam metri partem interpretando affirmare, ea poetica phraſi non tam lateris vulnus, quam obitum Chriſti mortalibus exprimi, ac ſignificari ; itaut per eam lateris bipartitionem Eccleſiaſticus vates declarare voluerit, non ſine aliqua circumlocutione, Chriſtum Dominum hora diei nona expiraſſe, quod iure merito per lateris partitionem potuit explicari, cum non niſi mortuum Aſſertoris corpus vulnere affectum ſit. Quemadmodum alia carmina, quorum lectio arriſit Hoſtienſi, Ioanni Andreæ, Alberto de Ferrarijs, & alijs pluribus pontificij iuris interpretibus, commodè ſenſum, ac mentem noſtram confirmant his verbis.

Sextæ ſunt tenebræ per mundi climata factæ
Emiſſus nona diuinus ſpiritus hora.

Quòd ſi vlterius opinionis noſtræ ratio exigatur ; hæc mihi non penitus ſpernenda videtur. Etenim ſi vltimum illud citati carminis nudè, ac ſimpliciter, vt ſonat, intelligeretur, id quod myſtica hac horarum partitione præcipuum, ac caput eſt, nequaquam fuiſſet expreſſum, quod videtur inconueniens ; ſiquidem mors Saluatoris ſummum noſtrę redemptionis opus, à fidelibus pia horarum recordatione nõ coleretur, cum nullibi in allatis carminibus obitus Chriſti mentio fiat. Ergò quia ſub vulneris nomine, tamquam ſub nota, ſignouè

signouè mortis Christi certissimo, Saluatoris obitus memoriæ fidelium repræsentabatur.

Illud autem, quod in tertio argumento de admiratione Præsidis tangebatur ob repentinum Christi interitũ, magis pro nobis, quam cõtra nos pugnat; quo enim citius mortali vitę Christus cõcessit, eò faciliùs potuit coagulari sanguis. Si plura de hac Pilati admiratione desideras, vide quæ latiùs tertio libro docuimus.

Ad vltimam rationem elidendam nouum non est necesse meditari responsum; nam quamuis verum illùd sit calore membra hominis pererrante, illo tamen absente, siue in naturali, siue in extranea sede degat sãguis, nunquam lapsus, aut fluxio cruoris, nisi fortè in casu, de quo postmodum agetur, dari potest.

An fuerit verus cruor.

Sed dicat aliquis, quid de vera huius liquoris, qui ex latere profluxit, natura cẽsendum est? fuit ne verus corporis Christi cruor, an potius alterius naturę humor solo sanguinis colore tinctus? Sine hæsitatione vlla dicendum est, liquorem illum ex prosciisso pectoris Christi loco prorumpentẽ verum proprium, ac naturalẽ humanæ Assertoris naturæ sanguinem fuisse, quemadmodum concordi sententia Sancti Patres, ac Theologi omnes affirmant; quibus nullus vnquam, vel perfricatæ frontis hæreticus aduersari ausus est, (quòd ego nouerim.) Porrò ad huius veritatis quærendam probationem haud longiùs abire oportet; cum Ioannes ipse Euangelista appositissimis, disertissimisq; verbis omnibus prę-sto sit dicens, *& continuò exiuit sanguis, & aqua*; cuius testimonij tanta est claritas, & euidentia, vt nulla tergiuersatione eam eludere potuerint ij, qui in sole tenebras,

&

& caliginem quærere non erubeſcunt. Nam quamuis multa de aqua, quæ ſanguini mixta ex latere proceſſit, mentiantur hæretici, vt, cum ad id pertractandum deuenero, oſtendetur, haud tamen ſanguinis veritatem, & naturalem ſubſtantiam potuerunt ementiri. Id quod etiam Summus Pontifex Innocentius non ſemel edixit cùm alibi, tùm in cap. in quadam de celebratione Miſſarum. *Innocẽtius Pontifex.*

CAP. IV.

An qui nullum in ſanguinis eruptione miraculum agnoſcunt, profani cenſendi ſint.

SAtis (ni fallor) ſuperioribus capitibus oſtenſum eſt, ſanguinis ex latere profuſi emisſionem à cæleſti quadam, ac ſupernaturali virtute fuiſſe peractam. At quià ambigi poſſe, adhuc non ignoro, an certis, & diuinis omninò fidei noſtræ principijs conſona ſit nec nè definita quæſtio, propterea, vt Lectori planè ſatisfaciam, opus eſſe duxi, omnem hac de re ambigendi rationem tollere, atq; hoc præſenti capite explicare. Noui enim eſſe quoſdam non peſſimos auctores, qui ſtrenuos defenſores, ac amicos ſe ſe adeò exhibent eius opinionis, quæ miraculum in ſanguinis effuſione aſtruit, vt palàm aſſerant, eos, qui ſecus fuerint opinati, ſententię profanę, & diuino conſilio repugnantis probatores, ac defenſores eſſe. *Io. Maldonatus.*

Poſſunt autem ij, quibus hæc ſententia placuit, has argumentationes adducere, quarum prima ex illis Sanctorum Patrum teſtimonijs ducitur, quæ ad inſinuandam miraculi rationem nobis ſuprà deſeruiêre, quibus

non assentiri turpe, ac irreligiosum est; in sacris enim mysterijs, præcipuè ad naturam Christi spectantibus, impia sanè, & detestabilis corruptela est, nouam, sanctisq; Patribus oppositam opinionem tueri, ac defendere, ea autem culpa non carent illi, qui ex Dominico latere impulsu naturali sãguinem profluxisse autumãt. Præterea accedit pulcherrimum huiusce veritatis, splendidumq; Cyrilli Hierosolymitani decretum Catechesi decima tertia, in qua pluribus ostendit diuinam hanc sanguinis emissionem cęlestibus repletam esse mysterijs. Tandem validissima earum rationum momenta, quibus miraculosam fuisse sanguinis scaturientis operationem, probatum est, manifestè idem conuincunt; immò esse tamquam de fide certissimum dogma istud, ea ipsa probant, quibus Ioannes Apostolus in enarratione prodigiosi huius sanguinis vtitur; quid igitur restat, nisi vt reprimatur imprudens licentia eorum, qui, quod diuina virtus operatur, in naturalem deducũt facultatem?

Cyrillus Hierosolymitanus.

Oppositæ opinio.

Verúm mea quidem sententia secus censeo opinandum. Nam sicut latentem, atq; occultam miraculi vim, vt sese ex præcordijs promeret, sanguini inditam fuisse puto, sic è regione omnem miraculosæ operationis facultatem abnegantes ab omni temeritate, & impudentia, & à qualibet ignominiæ nota penitus vindicandos esse reor, ad hanc siquidem miraculi virtutẽ agnoscendã neq; ex diuinis, neq; ex naturalibus principijs erutæ rationes cogere quẽpiã possunt; neq; à sũmo fidei nostræ moderatore lata vsquam est hac de re sententia, qua de miraculoso huius sanguinis fluxu aliquid decernatur; immò

immò cum ſummus Antiſtes Innocentius hac de re olim interrogatus fuit, vnicuiq; plenam facultatem, ac licentiam largitus eſt ſentiendi, atq; opinandi id, quod magis placeret, ea tamen lege, vt nullus auderet inficiari, veram naturalis ſanguinis, & aquæ elementaris ſubſtantiam è latere Dominico effluxiſſe; de quo legenda ſunt, quæ in libr. 3. decretalium t. 41. cap. 8. in quadam de celebratione Miſſarum mandat, atq; decernit idem ipſe Pontifex.

Prætereà Sanctus Thomas, qui non minus morum probitate, & inſigni ergà Apoſtolicas traditiones reuerentia, quàm dicendi, ac ſcribendi ſubtilitate, atq; claritate meritò Doctor Angelicus appellatur, etſi ſententiæ miraculum aſtruenti videatur adhærere, quià tamen oppoſitum etiam defendi poſſe videbat, noluit eſſe in hoc negotio contentioſus, vti dijudicare per ſe Lector poterit ex ijs, quæ ſuperius ex lectione quinta in Ioannem adducta ſunt. Caietanus in ſuis commentarijs in cap. 19. Ioannis Euangelij editis de miraculoſo aquæ Dominici lateris exitu certus, dubius, ac incertus de ſanguinis fluxione in negantem, quam in affirmantem ſententiam propenſior fuiſſe videtur. Quid Dionyſius Carthuſianus, Nicolaus de Lyra, & complures alij nobiliſſimi ſcriptores? an non ſenſiſſe nobiſcum putandi ſunt, cum de ſanguine, & àqua lateris Chriſti verba facientes, aquam vti miraculoſam celebrant, atq; prędicant, nihil huiuſcemodi de ſanguine conſcribentes? Hęc ſunt, quæ breuiter, & generatim de hac difficultate affirmari poſſe nobis viſa ſunt.

S. Thomas

Caietanus

Deinceps enim aperiemus, quo pacto diſſolui poſſint

Quomodo satisfieri possit Argumentis sanguinis fluxum miraculosũ fuisse probãtibus.

ea argumenta, quibus in præteritis capitibus miraculosum fuisse sanguinis fluxum, probatum est; video enim Ioannem Maldonatum eis vti facilè posse ad opinionem nostram labefactandam, qua tuemur sententiam asserentium sanguinis fluxionem vacuam fuisse miraculo nulla ratione erroneam posse appellari.

Primum igitur argumentum ductum erat ex speciali Sancti Ioannis attestatione, qua facinus istud emissionis sanguineę cõmendauit. At non tanti esse debet istud, vt tamquam Catholicæ fidei dogma astruat, quod ex asseueratione Apostoli colligunt Ioannis Maldonati sententiæ defensores, ea enim verba diuinus præco videtur ideo adiecisse, quoniam enarraturus erat rem sine dubio prodigiosam, & frequenti oculorum aspectui nõ adeò communem, & fortassis à pluribus non anteà cognitam. Illud etiam in huiusce argumenti confutatione adderem, quod mea sententia verissimum est; adderem, inquam, sine dubio aliquam miraculi rationem ea diligenti conscriptione, atq; apostolica attestatione ob oculos nobis positam fuisse, at miraculum istud non in sanguinem ex latere Saluatoris emanantem, sed in aquam simul cum sanguine inconfusè, & sine admixtione vlla scatentem conijciendum esse, quod quia humanam fidem quodammodò vincere videbatur, ideò ne huic veritati assensum præstare lectores renuerent, necessaria Beato Ioanni ea verba visa sunt, *& qui vidit, testimonium perhibuit, & testimonium eius verum est*; nos verò in hac quæstione de nuda sanguinis profusione loquimur.

Cum autem opponitur, Deum ad supernaturalem

finem

finem comparandum eas res duntaxat adhibere, quæ ſunt ſupernaturalis ordinis; nos id certè pernegamus; nam cum immenſa, & infinita ſupremi numinis natura prædita ſit poteſtate, ſub quam cadunt non ſolum ea, quæ naturæ viribus progignuntur, verùm etiam, quæ nobis miranda maximè accidunt, quæq; creatę naturæ vires deuincunt, non eſt profectò diuina vis ita determinatis quibuſdam velut cancellis arctanda, vt ad rem ſupernaturalem moliendam rebus etiam naturæ fines non excedentibus ſibi in miniſterium adſcitis vti non valeat; ſiquidem nullis terminis Prępotentis Dei Maieſtas ergà res creatas circumſcribere, aut finire poteſt ius ſuum; ſed potius ex malo bonum, ex rebus ordine deſtitutis ordinem, & ex nihilo quæcunq; egregia, & quæcunq; pulchra elicere nouit: ſic recondita Maieſtatis ſuæ myſteria ex apertis, clarèq; cognitis rebus, diuina ex humanis, ac ex terrenis cæleſtia nobis mortalibus oſtendere, declarare, atq; manifeſtare ſępè numero conſueuit: hac arte ſi cæleſte lauacrum, in quo inuiſibiles humani animi ſordes abſterguntur, animo cõtemplemur, per res corporatas, & maximè ſenſiles ſpiritualem, atq; inuiſibilem animorum regenerationem ſolet operari; qua eadem agendi conſuetudine ſub corporatis ſacroſanctæ Synaxis accidentibus incorpoream ſpiritualis vitæ refectionem expreſſit; quemadmodum idem etiam comprehendere licet in cæteris omnibus Sanctæ Matris Eccleſiæ Sacramentis: quid igitur in hoc vno ſanguinis myſterio eximios diuinæ munificentiæ, & amplitudinis radios haud ſplendeſcere poſſe inficiabimur? abſit, nulla ergò hinc ſupernaturalis virtutis exi-

gentia

gentia colligi debet;

Ad omnia Sanctorum Patrum testimonia illud videri posset non incongruenter respondendum, quod antea de Ioannis testimonio euulgauimus; nempè profluxiones illas cadentes ex latere non caruisse miraculo; at miraculi quidquid accidit, non ad sanguinis, sed ad limpidissimæ aquæ emissionem attinere; quòd si violenta nimis videatur hæc qualiscunq; interpretatio, parumq; congruens dictis Sanctorum Ambrosij, atque Cypriani, eis in hac quæstione, quæ contrarias in partes agitari potest, vti priuatis doctoribus, cõtraria aliorum decreta opponere, turpissimum haud fuerit.

Præcipuum verò totius opinionis nostræ firmamentum, cui doctrina superiorum capitum innititur, etsi mihi semper clarum, ac solidum visum fuerit, illud tamen debile, ineuidens, ac obscurum à Francisco Toleto appellatur; siquidem opinatur in summa eodem nonæ horæ spatio vulnus Assertoris lateri fuisse illatum, cuius opinioni fauere possunt citata superius de septem horis canonicis carmina, quæ etsi meritò eam admittant, quã attulimus explanationem, non ea tamen tanti est roboris, vt certum fidei nostrę dogma sit, sanguinis emissionem miraculo diuino esse adscribendam;

Toleti opinio de tempore, quo trãsfossum est Christi latus.

Postremo loco ponenda est responsio ad secundam capitis rationem, quæ quia ijs difficultatibus premebatur, quibus præcedentis capitis prima ratio vrgebatur, huc vsq; reiecta est, vt amplior campus nobis pateret ad disputationem certè obscurissimam, quæ est de emissione sanguinis, quam patitur trucidatum cadauer interfectore præsente. Interim, quod ad rem nostram attinet,

affir-

affirmari poteſt, non opus eſſe ad reconditos cęleſtis, & ſupernaturalis cauſæ influxus confugere, vt ſpoliatum animo corpus ſanguine ſcateat, quemadmodum deinceps probabitur.

DISPVTATIO TERTIA.

De ſanguine ex peremptis corporibus dimanante.

CAP. I.

Quòd trucidata corpora ſanguinem effundant interfectore præſente.

QVò hactenus agitata quęſtio de cruore lateris Chriſti abſoluta, & ab omnibus difficultatũ tricis expedita ſit; quærimus, cur lumine, ac ſpiritu priuata hominum cadauera ſanguinem è vulneribus effundãt, cum præſens adeſt interfector. Enim verò quia & nobilis eſt hæc, & apud ſolertes rerum memorabilium ſpeculatores celebris quæſtio, & magnam vim habet ad explicandam, certoq; iudicio cognoſcendam difficultatem eam, quã de ſanguine ex perempto Chriſti corpore dimanante paulò ante tractauimus, conſentaneum eſt, vt hoc loco diſcutiatur. Verùm quia cognitio huiuſce rei iacet multis obſtructa difficultatibus, atq; caliginis, obſcuritatiſqne plena eſt, omni ſtudio enitemur, vt, quòad fieri poterit, rei obſcuriſſimæ, ac perplexiſſimæ totius ſummã attingatur, explicetur, atque ſtudioſorum oculis clara obijcia-

obijciatur. Quare licet non me lateat multis videri quęstionem istam esse infiniti pęnè operis, & immensi; sciamq; alios huic difficultati illustrandæ integros tractatus destinasse, eosq; varijs, vt ita dicam, oraculis flexiloquis, & obscuris repleuisse; ego tamen ex illis omnibus interse plurimum varietate sententiarum dissidẽtibus, nec non mira, & incredibilia de cruentatione corporum prodentibus, nobiliores, atq; celeberriores dũtaxat sententias connumerabo, easq; statim expendam vbi, (quod est præcipuum huius operis munus) demõstratum erit, non ex certa, vulgari, atq; constanti fama tantùm, sed etiam ex indubitato naturæ experimento constare, mortui hominis cadauer, in quo sanguis frigore compressus refrixit, atq; ex vulnere labi planè desijt; si fortè percussor superueniat, sanguine rursus scatere.

At verò ne quis aut rei admiratione commotus corporum cruentationẽ futilem esse, nulloquè subnixam firmamento arbitretur, aut certè victus difficultate inüeniendæ effectricis virtutis sanguineum fluxum prouocantis, certę huic veritati fidem abroget, non erit alienum in primis re ipsa hanc sanguinis ebullitionem in trucidatis cadaueribus concedendam esse, comprobare, vt omnis dubitandi ratio de medio tollatur. Cumigitur ea duntaxat certam hanc cruoris demonstrandi experientiam via superfit, quæ locupletissimis testibus innititur, (quandoquidem vbi de rei existẽtia lis est, rationes parum prodesse possunt, quæ ex pręsupposita non nisi rei existẽtia oriuntur,) ideò veritati huius ebullitionis cadauerum sat consultum erit, si qui locupletes

testes

teſtes emiſſionis huius ſanguineæ fuerunt, ijdem nobis in preſentia ſint graues eiuſdem cruentationis auctores. Conſueuiſſe autem ſanguinem profundere trucidatorum hominum cadauera non procul exiſtente iniuſto percuſſore, poſteritati tradiderunt Antonius Teſſaurus in nouis deciſionibus Sacri Senatus Pedemontani, Paris Puteus tractatu de ſindicatu verbo tortura; Hippolytus Marſius in praxi 5. diligenter numero 181. & plures alij Iuriſconſulti, quorum nomina recenſet Teſsaurus deciſione 173. Idem experimentũ recipiũt medicæ facultatis Sapientes Andreas Libauius in ſuo tractatu, Ioannes Langius in volumine epiſtolarum, epiſt. 40. & alij complures cum Marſilio Ficino de immortalitate animorum cap. 5. ſapientiſſimi ſcriptores. Fauent præterea eidem ſententiæ Thadæus Florentinus explanationibus ſuis in Iſagogen Ioannitij, Leuinus Lemnius libro 2. de occultis naturæ miraculis capit. 7. Galeotus Martius, Pomponatius, Hieronymus Magius in Theſauro Critico parte 3. cap. 5. Cornelius Gemma, & auctor libri peregrinarum quęſtionum decade 3. q. 6. Et tandem ipſi diuinæ ſcientiæ profeſſores non eſſe ab hac experientia recedendum opinantur; ſic enim docent Ægydius Romanus in ſuis quodlibetis, quodlib. 5. quęſt. 25. & Ioannes Maior 4. ſent. d. 15. quæſt. 19 Sed ne longius faciam, receptiſſimam hanc cadauerum cruentationẽ abſirmabo appoſitis hîc aliquibus euentis, quorũ teſtes, ac ſpectatores aliquandò fuerunt nobiles doctrina viri; Inter alios autem adduci poteſt Hippolytus Marſius, qui loco anteà citato ſuis ſe oculis facinus iſtud conſpexiſſe teſtatur ad hunc modum ſcribens. *Memini,*

Auctores cadauerũ cruentationem admittentes.

Clariſſimum emiſſionis ſanguineæ teſtimonium.

me aliàs tempore iuuentutis meæ vidisse rem mirabilem, & stupendam, dum eram gubernator ciuitatis Albinghanæ in partibus Ianuensium. Nam fuerat mortuus quidam homo nocturno tempore, & nesciebatur à quo; attamen multi erant suspecti de morte sua, & quidam homo senex dixit mihi, domine gubernator, si vultis scire veritatem huius homicidij, faciatis coram vobis portare cadauer illius mortui, posteà faciatis vocare illos, qui sunt suspecti de illo homicidio, & veniat vnus post alium, vbi est illud cadauer, tunc cum superuenerit verus homicida, tunc vulnera illius cadaueris fluent sãguinem de nouo, & sic habebitis certitudinem illius homicidij, quo audito feci portare coram me illud cadauer, & feci vocare illos suspectos de illo homicidio de vno in vnum, & cum superuenit verus homicida, vulnera illius cadaueris incæperunt effluere, & emittere sanguinem; de quo summè fui admiratus; attamen nihil dixi non præstans fidem tali rei, quæ nulli probatur, attamen post per plures dies reperta sunt indicia sufficientia ad torturam contra illum verum reum, quem capi feci, qui habita copia indiciorum absq; tortura confessus fuit, se occidisse illum hominem, & posteà eum condemnaui secundum formam iuris, & statutorum illius ciuitatis. Hactenus ille nonminus profecto verè, ac fideliter, quàm fortasis nimium clarè, ac manifestè. Antonius etiam Tessaurus similem tractans de sanguine è mortuis cadaueribus distillante sententiam, *idem* inquit *cernere licet in casu, qui euenit anno 1583. in loco Sospitelli, vbi iam biduo sepultum erat cadauer, & tamen cum fuit extractum è sepultura, & accersitus in quem erat suspicio, statim ex naribus, & ore exierunt aliquæ sanguinis guttæ, & cruciatus homicidij à se patrati scelus prodidit.* Sed quid singulos hu-

Antonius Tessaurus.

huiuſce cruentationis euentus ſpeciatim perſequor, cũ generatim apud Belgicum Senatum tantum prę iudicata huius emiſsionis ſanguineæ poſſet opinio, vt vel hoc vno tamquam certi criminis ſigno iure moueri ſe poſſe profiterentur prudentiſsimi Senatores ad eos grauiſsimè torquendos, in quos homicidij cadere cenſebatur ſuſpicio. Subit etiam ad hanc ſententiam cuiuſdam ſapientis viri recordatio, qui ad morem hunc, vti certiſsimum reperiendi interfectoris indicem alludens, illud de medicis iocosè, ac lepidè pronunciare ſolebat, ideò eos, neq; ad cohoneſtandas amicorum exequias, neq, etiam funeri paterno ad iuſta perſoluendum conuenire conſueuiſſe, nè fortaſsis ad eorum prę ſentiam ex aliquo cadaueris loco erumpens ſanguis auctores humanę necis medicos eſſe atteſtaretur. Ad extremum probandæ huiuſce veritatis finem faciam illuſtriſsimo noſtri præſentis æui teſtimonio, quod ex digniſsimis omni humana fide viris accepi. Decimus ſupra milleſimum ſexcenteſimum annus agebatur, cum Mediolani apud ſacras Deiparę Virginis ædes, Celſianas dicunt, vir quidam cognomine Luinus furijs actus ſtricto gladio ad internicionem Marinum aggreditur; ille ex aduerſo dum repetitos ab hoſte ictus declinat, inuaſorem Luinum nihil talia metuentem inopinato, ac truci vulnere obtruncat. Eius cadauer, vt moris eſt, defertur in templum nomini diuæ Euphemiæ inſcriptum, quod non procul à loco, in quo concidit Luinus, abeſt. Huc prætoriam fugiens familiam interfector Marinus fortè deuenit, qui ignarus eius rei, quam grandis virorum corona demirabunda ſpectabat, vbi propius gradum

Certum huius noſtri temporis teſtimonium.

decumbenti cadaueri admouit, ſtatim graue cadaueris vulnus occiſoris ſentiens aduentum recruduit, copioſoq; manare ſanguine tandiu non deſtitit, quam diu præſens inimicus miſerrima hac ſpecie mirum in modum commotus adfuit.

CAP. II.

Quæ ſit cauſa emiſſionis huius ſanguineæ iuxtà Aegydij Romani ſententiam.

HVnc igitur in modum ſtabilita cadauerum cruentatione, illud ſtatim inquirendum eſt; cur ſanguineus fluxus ad percuſſoris præſentiam in cadaueribus commoueatur; Nam quid cauſæ ſit ſanguineam hanc ebullitionem peragentis aſſignare, certoq; aſſequi, hoc opus, hic labor eſt. Etenim quo magis citrà litem eſſe nō ignoro, certum vniuscuiusq; creati effectus dandum eſſe principium, eò magis in difficiliores lites rapior in ſolido aliquo huius ſanguinei fluxus attingendo effectiuo principio; quidquid enim mentibus adhuc humanis arcanam huiuſce rei cauſam meditantibus illuxit, pluribus iacet inuolutum nodis, atq; difficultatibus, vti ex his, quæ protinus dicenda ſunt, per ſe lector deprehendet.

Prima opinio. Primo igitur loco recenſeri poteſt ſententia eorum, qui, vt aliquam huiuſce rei cauſam docuiſſe viderentur, omnem influentis principij operationem deſtruxerunt, vnam caſus, & fortunę rationem in ſanguinis ebullitione agnoſcentes, ita vt ſcaturientis è vulneribus ſanguinis nullum aliud admittant principium, præter fortuitam quandam inimici interfectoris interfecto aſſiſtē-

tis

tis cauſarum concurſionem; neq; enim volũt occiſoris preſentiam, occiſiue cadauer adſtãte inimico vlla ratione ſanguinem ciere, aut commouere ſua virtute poſſe; ſed ex accidenti illam ſanguinis fluxionem, cum percuſſor percuſſo aduenit, arbitrantur contingere, non ſecus ac caſu, & fortuitò fieri videmus, vt Socrate deambulante nubium conflictu ardor fulminis expreſſus ſe ſe emittat igneam Socrati flammam oſtendens. Traxit verò in hanc ſententiam Aegydium ea cogitatio, quòd in omnibus, & quibuſcunq; iniuſtè percuſſis cadaueribus hanc ſanguinis effluentis operationem nõ effici obſeruauit, inimico ſiquidem præſente irritum, & caſſum ſæpius fuiſſe hoc de ſanguine ebulliente in cadaueribus experimentum cũm nobiliſsimi ſcriptores, tùm quotidiana fermè teſtantur experimenta; ex quo intulit, nihil virtutis, & efficientiæ ſiue in occiſore, ſiue in occiſo ex aduentu inimici concedendum eſſe, quod ſanguinis efferueſcentiam excitare valeat. Quòd ſi oppoſitum omninò verum eſſe obijcias, operantem in cadaueribus ad inimici præſentiam occultam virtutem non inficiari paratus eſt, ſi declaretur quidnam certo eſſe poſſit impedimento, ne virtus illa ad præſentiam inimici vires ſuas exerceat aliquandò, cum ea virtus ſanguinem ciens naturæ impulſu agatur, neceſſariòq; in quolibet occiſo corpore ſuo munere emittendi ſanguinem fungi debeat, quod tamen non accidit; Cum igitur nulla probabilis aſſignari ratio poſſit emiſſionis huius ſanguineę, conſequens eſt, vt cauſa in ſolum caſum, & fortunam conijciatur; vti eam inter cæteras huiuſce rei cauſas conijcit Aegydius Romanus in ſuis quodlibetis, quodlib. 5. q. 25. qui *Aegydius.*

25. qui ne istud omnino affirmatè, & pro certo penitus astruere videretur, loqui se dubitãter ostendit ex his, quę citato loco habet, quod sane prudenti consilio fecit, cum nullus vel leuiter huiusce rei notitiam odoratus, frigidum esse istud commentum non videat; dicere enim solo casu mouente è plagis trucidati cadaueris ad præsentiam occisoris sanguinem discurrere, qui iam diu refrixerat, perinde se habet, ac si ex insani Epicuro causam sciscitetis, qua tota hæc rerum vniuersitas cõsistere possit, respondeatq; protinus mundum, qui alto diuinæ prouidentiæ consilio regitur, ac gubernatur, ex insecabilibus quibusdam corporibus factum esse fortuito quodam concursu. Ad hæc non sunt occulta naturæ mysteria ad has fortuiti casus angustias redigenda; neq; fortuitis euentibus desidiosè adscribi debet, quod ingens nobilissimorum scriptorum multitudo efficienti, ac physicæ causæ assignandum esse contendit, secus enim hac ipsa licentia nihil in rerum vniuersitate erit adeo abditum, & occultum, quod hac vna respondendi ratione clarum, atq; apertum nõ reddatur. Quid? præsentem dicendi formam damnant, atq; refellunt ea omnia, quæ in subsequentibus sententijs explicandis sumus adducturi.

Epicuri error.

Ratio tandem aduersus nos excogitata in eundem Aegydium retorqueri facilè potest; etenim quamuis ei vltrò concedamus, plerumq; trucidatum corpus coram astante percussore omni sanguinis effusione caruisse, supereſt adhuc tamen assignanda causa, qua, cum ea cruentatio accidit, ostendatur, quonam ex principio talis sanguineus fluxus potuerit excitari, qualem plures

experti

experti ſunt; cum vniuſcuiuſq; motionis peculiarem, & proprium motorem aſſignandum eſſe doceat philoſophorum parens Ariſtoteles 8. phyſicorum; ergo cum phyſica ſit cadaueris cruentatio, phyſicum pariter huiuſce motionis, ſeu, vt propriùs loquar, alterationis indagandum erit principium, quod inficiatur Aegydius.

CAP. III.

Secunda aliorum opinio.

Secunda opinio.

ALij plures, quibus cum etiam ſentit idem Aegydius, cum nullam naneiſcerentur huiuſce rei rationem, quæ illorum animo penitus ſatisfaceret, corporati, ac ſenſilis effectus incorpoream, & ab omni humano ſenſu remotam cauſam inducere ſtuduerunt, contendẽtes cruentoſum iſtud opus à malo genio, ſolutisq; ab omni materiæ fęce ſuperbis ſpiritibus effici, vt hac verſutia, callidoq; cacodæmonis dolo in fœdos errores iudices ij inducerentur, qui cadauerum cruentationi fidem præſtantes iniquas in innoceutes plerunque ſententias ferunt, eos grauiſſimis cruciatibus affligẽtes, qui nullum patraſſe crimen poſteà probarentur; quamquam non me latet hos auctores arbitrari alios, eosdẽq; diuerſos huic dæmoniacæ fraudi fines ſubeſſe; nempe, vt ſtolidis quibuſdam homiuibus nõ tam veritatis, quã nouitatis cupidis falſi dogmatis hac occaſione auctor eſſet cacodæmon, qui admirabili hac ſpecie defluentis è cadaueribus ſanguinis putauit ſe ſe facili negotio curioſis, ac facilè credulis hominibus perſuadere poſſe, immortalem occiſi hominis animum tãdiu corpori ſuo adeſſe,

adesse, quandiù crudelis vindicta de interfectore sumpta fuerit. Quasi verò à terrea mole solutus hominis spiritus ad destinatum, ac prædefinitum sibi à iusto Iudice Deo locum non illicò deferatur; siue vt in cęlestem illam Ciuitatem introductus cum beatis sempiterni æui præmio fruatur, siuè vt in terrę viscеribus detentus igne purgante eo vsq; constituatur, donec pro peccatorum sordibus diuinę iustitiæ satisfaciat, siuè demum, vt æternis flammis addictus sempiterno mortis horrore plectatur.

Cōfutatio. Verùm non mihi probatur effectricem cruoris causam ad spirituales nequitias reuocare, quæ licet nimis astutæ sint, non tam præstantia naturæ subtilis, quam continua, ac diuturna exercitatione malitię, qua sexcentis artibus miseros homines circumueniunt, vel sensus illorum deludendo, vel mira quadam celeritate id, quod humanas vires præterit, operādo, vel prodigiosos quosdam edendo effectus, quorum principia, & causas non attingat mortalis tarditas, quia tamen aliæ physicę causæ longè principaliores, maximèq; efficiendo cruori cōsentaneæ non desunt nobis rei huius veritatem perscrutantibus, propterea ab hac Doctorum opinione recedēdum esse putamus; ne in re alioqui obscurissima non tam docere, quam voluisse causam diuinare videamur, vti meo quidem iudicio faciunt ij, qui in fluxu sanguinis versuti Dæmonis auxilium præstò esse arbitrantur; quæ enim disputantium potest esse solertia, quæ in admirabiles Angelorum virtutes recondita naturæ arcana reducit, vbi protinus illorum euidens ratio non apparet?

Alio-

Aliorum ſententia fuit, interfecti animam hos ſanguinis fluxus ciere, dùm iniuſti percuſſoris præſentiæ indignatur; vbi enim, inquiunt iſti, iniuſtum corpori ſuo adeſſe percuſſorem cognoſcit animus, ſubitò dolore, & implacabili iracundia efferueſcēs, atq; ſuę corporeæ necis dolores puniendi cùpidus, necnon deſiderij ſui igniculos longius, ac diutius perferre impotens librat ſanguinem in cadauere exiſtentem tamquam iuſtum illatæ mortis vindicem, atq; vltorem concito motu in interfectorem præſentem. Huic opinioni adfuiſſe videtur noſter Maro, qui Carthaginis Reginam iniquo animo ferentem ſubitum Troiani Ducis à ſe in Italiam diſceſſum de anima ſua poſt illatam ſibi manibus proprijs acerbiſſimam mortem hęc prędicentem inducit 4. Æneidos. *Tertia opinio.* *Virgilius.*

Sequar atris ignibus abſens
Et cum frigida mors anima ſeduxerit artus,
Omnibus vmbra locis ero.

Priſcos Poetas ſecutus Plato non abſimile quippiam narrat de legibus dialogo nono, cuius verba referre ſuperſedebo, ne res falſa longius protrahatur, paſſim enim ſimilia fabulantur, qui recondita naturæ myſteria ad inanes fabulas traducere conſueuerunt. At quid mirum? cum deceāt figmenta poetas; quamquam illud non caret admiratione, Platonem virum ſapientiſſimum commentis Poetarum non prorſus fidem abrogantem ea ipſa tradidiſſe, in quibus delirauerunt Poetæ. Verū quià præſenti de anima ſententiæ nulla ſubeſſe ratio poteſt, idcircò ea, vti leuiter, & fabulosè confiēta, reſpuēda eſt. Nobis enim veritatis arcana ſectantibus illud in cōfeſſo *Plato.* *Confutatio*

esse debet, segregato è corporeis vinculis animo nullam penitus naturali facultate residere potestatem suos hostes insectandi, cum subitò è caliginosa hac aeris regione iussu Dei recedere in statuta, ac emerita sibi loca cogatur, quemadmodum Catholica veritas docet, quæ Poetis nõ illuxit, ibiq; detineatur, neq; apud nostratem hunc orbem amplius diuersari possit, clamante scriptura, futurum ibi lignum, vbi ceciderit.

Marsilij Ficini opinio. Ex quo sacræ paginæ testimonio redarguitur sententia Marsilij Ficini libr. de immortalitate animorum. 16. cap. 5. vbi de animæ viribus ad effectum progredientibus pertractans, multa recenset fieri ab animis à contagione corporis segregatis, quorum nos causas, & motorem ignoramus. *Quid enim*, inquit, *prohibet, eos rationem, phantasiamq; nostram cogitationibus, visionibus, signis quotidiè commouere*; *Nos autem hæc nonnunquàm vndè eueniant ignorare? sæpè enim inuisibilium motiones inuisibiles sunt. Plato enim in libro legum. 9. tradit, eorum, qui occisi sunt, animos sæpè interfectores hostiliter insequi. Vnde fortè cõtingit, vt occisi hominis vulnus etiam iacente cadauere in eum, qui vulnerat, si modò ille cominus instet vulnus ipsum inspiciens, sanguinem rursus eijciat.* In quo lapsus memoria Ficinus videtur, cum huiuscemodi operationes animabus è terrenorum corporum vinculis iam solutis nequaquam inhiberi posse scribit; memorem enim vellem Marsilium, iusta supremi Iudicis sententiam hęc munera solutis spiritibus non conuenire, cum eis nulla sit demandata prouincia hominũ phantasiam, aut virtutem intellectiuam illuminandi, atq; mouendi. Videat Lector Pomponatium, qui huius etiam opinionis meminit.

Cõfutatio.

Para-

Paracelſici quidam (omnibus enim hęc ipſa ſententia non arridet, ſed plures eam ipſi derident) vti auctor eſt Libauius, interfecti ſanguinem ab eodem ipſo interfectore commoueri, & ad fluxum prouocari ſcribunt, explicantque hanc ſuam opinionem exemplo ſatis illuſtri ab Herculeo lapide petito, cuius vim, ac naturam recenſentes rerum naturalium inueſtigatores ſcribunt, naturali quodam vigore ab eo ferrum trahi. Quemadmodum igitur, inquiũt iſti, ab Herculeo lapide grauiſſimũ ferri metallum trahitur, ità ab occiſore occiſi rapitur cruor; nam cum nihil antiquius hoſti, atq; inimico accidere poſſit, quam ſatiari, atq; inebriari ſanguine eius, in quem inſigne, ac capitale odiũ ſuſcepit, (ea eſt hoſtis vindictæ cupiditas) fit, vt proſtrati ante ſe hoſtis cruorem, tamquam rem ſibi votis omnibus exoptatiſſimam occiſor ad ſe trahat, huc namq; mens interfectoris, huc finis occiſoris, & huc deniq; omnes animi vires tendũt. At in multis hæc paracelſicorum peccat opinio. In primis enim inſufficientem, mancam, atque deficientem cruentationis cadauerum rationem paracelſici excogitauêre; nam eſto, illis libenter, quod volunt, concederemus; quid tamen poterunt aſſerere de eo, qui caſu, & per errorem nullo vindictæ, aut odij furore cõcidit crudeli nece obtruncatus, cuius ſanguinem fluxiſſe ad præſentiam interfectoris, certo experimento compertũ eſſe, plurimi tradunt? Poſteà grauiores inter duos adhuc ſuperſtites inimicos vigent inimicitiæ, quam exiſtant altero inimicorum interfecto, crudeliorque inter viuentes vltionis cupiditas inſurgit; ergò viuente vtroque hoſte, eandem cernemus excitari ſangui-

Quarta opinio.

Confutatio opinionis Paracelſicorum.

nis fluxionem, hacq; ratione omnes pęnè homines ad internecionem raperentur; Tandem, vt cætera taceam, nulla vel grauiſſima vindictę cupiditas, ac nullum etiã vehemẽtiſſimũ cuiuſuis immanis hoſtis odiũ interfecti hominis ſanguinem põt ad fluendũ prouocare, cũ iſtud ſit corporea, vitalis, & phyſica operatio, ad cuius exercitationẽ naturalis calor exigitur, quẽ producere nequeũt animales hominis odij, & vindictę affectus, quippequi circà res ſitu, & loco à ſe diſcretas nullã penitus exercere poſſunt operationem. Hinc fit, vt parum ad rem ſit, quod exempli loco Paracelſici adduxerunt, quoniam lapis Herculeus tranſmiſſæ qualitatis auxilio ad ſe ferrum rapit; atqui neq, odium, neq; vindicta huiuſcemodi qualitatem, quę interfecti ſanguinem ciere valeat, comproducere poſſunt.

Quinta opinio. Ioannes Langius in ſuis epiſtolis, epiſt. 40. prẽſentem lapidem euoluens dubitat, nùm aliquæ ſenſilis animæ vires, cupiditatis ſcilicet, & vindictæ ſubſiſtant in ſanguine, antequam putreſcat, quæ ad præſentiam inimici excitentur, atque nouo quodam feruore vltionis accenſæ frigidum ſanguinem inflamment, atq; è plagis fluere cogãt. In quã opinionem hęc Lucretius vates cecinit.

Lucretius Poeta.

Namq; hoſtes plerumq; cadunt in vulnus, & illam
Emicat in partem ſanguis, vnde icimur ictu
Et ſi cominus eſt, hoſtem ruber occupat humor.

Confutatio At prudenter ſanè de hac opinione dubitauit Lãgius, quandoquidẽ illud, quod hęc ſententia habet, abſurdius eſſe, manifeſtè cõuincitur, quã vt conſtare in vera Theologia poſſit, quæ omnes corporeas vires in terrea hac hominum mole inhærentes non permanere, ſed interuentu

uentu mortis in nihilum reſolui docet, tota ſiquidem hominum ſubſtantia in duas tantùm partes ſecatur, in animam videlicet cum ratione ſua, atq; in carnem cum ſenſibus ſuis, vt egregiè tradit S. Auguſtinus libr. de Eccleſiaſticis dogmatibus cap. 19; vti igitur illa cum adnexis ſibi potentijs viget in perpetuum, ità hæc ad mortem hominis cum ſuis virtutibus euaneſcit penitus, nam cum corporeæ poteſtates in viuo duntaxat inhæreſcant hominis compoſito, eius etiam naturę redduntur, vt mortuo homine in totum extinguantur. Quocircà parum prudentis eſt, arbitrari, ſenſilis portionis vires, vel earum operationes ſenſili parte deſtructa (velut in morte hominis accidit) vigere adhuc in ſanguine; fieri enim minimè poteſt, vt deſtructo iraſcibilis partis ſubiecto cupiditatis, & vindictæ deſideria in ſanguine maneant. *Auguſt.*

CAP. IV.

Cornelij Gemmæ de cruentatione cadauerum opinio.

QVeſtioni hucuſq; agitatę ità à Cornelio Gemma occurritur. Vera interfectoris imago ad tertium vſque diem necato corpore in coagulato interfecti hominis ſanguine latitat; ſiq, per id tridui tẽpus, quo ideæ ſanguini adhærent coram, percuſſo percuſſor appareat, reſiduus quidam ſpiritus virtute, ac motu idearum in ſuperuenientem interfectorem concitus tandiu ſanguinis profluuium cogit erumpere, quãdiu is, qui criminis reus fuit, lõgius è funere ſit ſemotus. At tota hæc Cornelij cogitatio vacillat, atq. claudicat; nam niſi cum Platonicis inſanire velit, nulla interfectoris *Sexta ſententia.*

ctoris imago, vel idea reperiri potest in sanguine occisi hominis, nisi à certis philosophorum decretis recedere vellet, quod turpe est. Etenim communi philosophorũ omnium assensu idea est vel expressa, & clara mentis humanæ cogitatio exprimens, ac repræsentans id, quod intellectu cognoscitur, vel certè res ipsa, in quam cogitatio fertur; at huius vtriusq; ratio, ac natura non potest sine mente, & intellectu consistere; quo modo igitur in mortui cadaueris sanguine idea fingi poterit? Amplius cur tridui spatio duntaxat, non autem quatridui latebras sanguinis quærit idea interfectoris? Quorsum præterea interfectoris imago in proprium sui esse auctorem consurgit; neque enim idea in ideatum, neque imago in prototypum acrius concitari consueuerunt. Deinde explicet, Cornelius Gẽma opus est, quid residui spiritus nomine intelligat, aut .n. vitalis, aut certè animalis spiritus sit, necesse est, atqui ille duntaxat vita hominis perdurãte; hic verò calore, ac virtute nutrientis facultatis superstite solummodo conseruari potest, & tamen cum corpore vterq; spiritus extinguitur.

At fortassis dicet Cornelius, facilè posse ideam interfectoris colere domicilium sanguinis interfecti; quippè idea non aliud est in præsentia, quam id, quod à Philosophis species impressa dicitur ab vno quoq; supposito emanans, cuius natura facilè in aliena recipi materia potest, vt in acie oculi, dum videndi operationem exercet, quotidianis experimentis patet; hæc autem præsente eo, cuius est species motu naturali excitatur, ergò poterit percussore prẹsente imago percussoris occisi sanguinem ciere. Sed totum istud nullam prorsus fidem meretur,

immò

immò potius impoſſibile videtur; nam cum impreſſa ſpeties naturali quodam fato ab vnaquauis re trãſmittatur, vicesque obiecti ſuppleat tantum, exigit, quo ad exercitium ſui operis reducatur, vt res, in quam migrat, naturali poteſtate obiectum valeat intueri, vti contingere videmus in oculo, qui velut quandiu pupilla vita gaudet, vnumquodq; proprium obiectum poteſt videre, ità extincta pupillæ vita omnis uidendi operationis incapax redditur; in re autem noſtra nequit interfecti ſanguis propria uirtute percipere obiectum, aut ſuperuenientem inimicum cognoſcere, aliter quęuis creatura uita, & ſpiritu deſtituta ſimilem uirtutem cognitionis obiecti percipere poſſet, quo nihil in philoſophia incõgruentius aſſeri poteſt, carent enim omnia iſta ijs rebus, ſeu ut dicunt, organis, quæ ad uitales cognoſcendi, uidẽdiq; operationes perneceſſaria ſunt; immò cum nihil in caſſum natura operetur, quauis externa cauſa impellente ſenſilem ſpetiem ſanguis ſuſcipere non poteſt.

Alij, quorum meminit Ægydius citato loco, cenſent oriri uim fluenti ſanguini impreſſam ab ea ſanguinis occiſi parte, quæ mucroni, uel hoſtis ueſtibus adhæſit; illa namq; ſanguinis portio uirtute ſimilitudinis, quam cum reliquo interfecti hominis ſanguine habet, cadaueris cruorem trahit, ex qua attractione fit, ut ſanguis, qui iam paſſus fuerat coagulũ, fluere incipiat, ubi adeſt occiſor, in quo reſidet ea pars ſanguinis, quæ reliquum ſanguinis mouet; quandoquidem à ſimili attractio fieri ſolet. Improbabilis tamen hæc opinio eſt, non ſolum quià ijs cadaueribus, quæ exploſa è tormento manuali glande interfecta cadunt, adaptari nequit, uerũ etiam ꝙ

Septima opinio.

Cõfutatio.

haud

haud reprimi potuit ſanguis è vulnere fluens intuente vulnera percuſsore, quãuis nulla ſiuè in enſe, ſiuè in occiſoris ueſtibus eſſet reſidua pars ſanguinis, à quo attractionis opus perageretur. Illud uerò de attractione quãtum habet probabilitatis ? ſcilicet natura perfectior ad imperfectiorem, totalis ad incompletam, ſuperior ad inferiorem, natura prohibente, properabit ? quòd ſi nihil obſtare dicas ; ergò à ſimili conſequetur, ut imperfectus color ratione ſimilitudinis perfectum colorem, & quęlibet minima pars carnis ab humano corpore deciſa totam carnis molem ad ſe rapiat ; quod affirmare ridiculum eſt. Amplius non modò cum præſens, uerùm etiam cũ abſens à funere percuſsor reperitur, egrederetur liquatus cruor, cum eadem ſimilitudo ità de abſente, ac de præſente ſanguinis parte militet, & tamen non cõſueuit longè ſemoto percuſsore à cadaueribus ſcatere ſanguis. Tandem mitto cum communi philoſophorũ ſchola aduerſus iſtos arguere, nullam corruptionis, aut alterationis operationem inter ea, quæ perſimilem naturam poſſidẽt, conſurgere poſſe ; cum actio corruptionis, aut alterationis in re diſſimili omninò defixas radices habere debeat ; immò cum ad exercitium phyſicæ operationis exigatur, vt eorũ, inter quę operatio cadit, alterum ſit in actu, alterum in poteſtate ; quomodò inter eiuſdem occiſi hominis ſanguinem attractio dari poterit, cum quælibet ſanguinis pars eiuſdem conditionis, ſtatus, & naturæ ſit cum toto eiuſdem hominis ſanguine ?

Oſiandri opinio. Leuinus Lemnius libro ſecundo de occultis naturæ miraculis cap. 7. conſectans huiuſce rei cauſas quædam recenſet,

recenſet, quæ fortaſſis nouę opinioni ſufficientem occaſionem præbere poſſunt; inquit enim, ſe optimè tenere, mortuis corporibus vim quandam vegetantem ineſſe ad tempus, velut ex eo facilè cognoſci poteſt, quòd mortuorum crines, & vngues, inſito humori calore externo ſuppeditante auxilium ſimul, & alimentum augeantur, atq; nutriãtur; Similis igitur vegetans virtus in ſanguine eſſe poterit eundem liquorem excitans ad fluxũ, nam cum maius, ac difficilius nutritionis, & accretionis opus ſit, q̃ alterationis, atq; ebullitionis ſanguineæ ſit opificium; vtiq; faciliori via hoc, quam illud poterit operari vegetans virtus, cuius illuſtre ſpecimen etiam in ſtirpibus, & amputatis arboribus cernitur, quæ certo dierum interuallo nouis floribus decorari ſolent, atq; ſi fortè irrigari, ac foueri humore aliquo ſucciſas arbores contingat, veſtiuntur pulcherrimis floribus partus ſuos proferentes. Sed conſtat inter limatioris ingenij philoſophos friuolam eſſe hanc allatam opinionem, aduerſus quam militant ea, quę ſuperius contra Langium diſputauimus, intereunt enim vnà cum ſpiritu vitali omnes ſenſilis animæ poteſtates, ſiuè nutrientis, ſiuè vegetantis virtutis facultates illæ ſint. *Confutatio opinionis.*

Neque verò aſpectabilis illa capillorum in mortuis corporibus accretio aliquam fidem allatę opinioni conciliare poteſt, cũ ea ex virtute vegetante, quę penitus ſubita corruptione interijt, non proueniat, ſed à deficiente mortui hominis cute naſcatur, quæ dum in mortuis cadaueribus ad corruptionẽ fluere incipit, detegit vnguiũ, & capillorum radices anteà in cutis pinguedine latitantes, hinc quoniam ea radicis pars ſit recens conſpicua, *Qualis ſit accretio capillorum mortui hominis.*

cùm prius per morbidam cutis ſubſtantiam haud conſpici poſſet, propterea ſuccreſcere vngues, & capilli mortuorum videntur, cum tamen nullius verę accretionis capaces ſint.

Cur ſuccisa arbores flores emittãt. Quod inſuper additur, nouis floribus ornari ſucciſas fructices, id ad oſtendendam in illis vegetantem eſſe virtutem, debile eſt, cum ea florum productio non pendeat à vi vegetante, quæ cũ arboris vita planè corrupta eſt, ſed potius a quodã terrei ſucci humore, quẽ arbores è terræ viſceribus hauſerant, dùm naturali defixæ ſolo vita potirentur; nam ille idem intra arborum corticem collectus humor poſt am putatas arbores ſic ab exſiccatiua, atq; attractiua virtute ſolis educitur, atq; ad exteriorem arboris ſuperficiem attrahitur, ac ſi ab inſita ſibi naturali facultate, ſi vita manſiſſet, produceretur. Quare ex his omnibus colligi poteſt, ſanguinis profluuium nequaquàm à vegetante virtute proficiſci.

Noua opinio. Leuinus ipſe quęſtionem hanc duplici ratione explicat. Primò enim reſpondet, agitationi, atque cadaueris motioni cruentationis cauſam attribui poſſe, quandoquidem ex agitatione, ac motu fieri poteſt, vt ſanguis in venis deliteſcens ſe ſe promat; cum in motione venarũ, ac vulnerum ora, quæ ſanguine præcludebantur, reſerari, atq; ex reſeratis foraminibus profluere ſoleat cruor. Sed quid, ſi nullo agitata motu ſanguinem euomant cadauera? velut ſępius contigiſſe, memoriæ proditum eſt. Prætereà non euacuat primus hic dicendi modus propoſitam difficultatem, cum, vti Leuinus ipſe teſtatur, huiuſcemodi ſanguinis decurſus è vulnerato corpore ſolummodò erumpere poſſit, vbi ſcatens cruor omnem

nem prorſus calorem non exuit; at præſens de cruentatione cadauerum diſputatio ea maximè attingit corpora, quorum ſanguis planè refrixit. Hęc, & ſimilia, quæ aduerſus priorem hanc viam adduci meritò poſſunt, nõ ignorans Leuinus, aliam, eamq; fortaſſis vero ſimiliorem alterationis ſanguineæ cauſam aſſignauit, docens nihilominus eam duntaxat ſuſtineri poſſe, ſi aliquid vitæ in necatis cadaueribus ſuperſit, aut certè ſi recẽti morte proſtratum corpus non ſit omninò naturali calore denudatum, itaut ſanguis cadaueris interfecti ebullire, igneoq; iræ efferuentis calore accendi, atq; inflammari poſſit.

Hæc autem ſecunda ratio erit antipathia, hoc eſt, diſſenſio, tacitaq;, ac mutua inter occiſorem, & occiſum diſcordia, quæ ſic altè in intimis præcordijs, ac toto ipſo ſanguine defixa ſit, vt nec in morte ipſa altero inimicorum interfecto intereat, ſed potius tacitis inter ipſos fota diſcordijs ex mortuo funere in præſentem hoſtem erumpat ſanguinis ebullitionem excitans.

Cui opinioni ſubſcripſiſſe aliquandò Hieronymum Magium cognoſco ex ijs, quę in Theſauro Critico parte 3 cap. 5. ipſe de ſe teſtatur, licet ab ea parte à Leuino recedat, quòd naturam ſanguinem concitandi exæ cõcedit antipathiæ, etiam ſi necatum corpus non incaleſcat, id quod ex communi quodam experimento datur ſciri; nam ſicut ex mutuo naturę conſenſu multa experimur in nobis ſubito, ac occulto impulſu quodam ſurgere ijs quam ſimillima rebus, quæ ſiuè in amicis, ſiuè in propinquis, ſiuè nobis ſanguine coniunctis reperiuntur ratione ſympathiæ; ità ex aduerſo antipathiæ

Hieronymus Magius.

stimulis mouentur, atq; magno corpora perturbantur incursu omnia mẽbra pererrante, vbi facinorosus, ac patrati sceleris reus, siue grauis inimicus adest. Illustria, & clara rei huius exempla proferam, quibus non tantùm antipathiæ, sed etiam sympathiæ virtutem miras non modò in humanis corporibus, sed etiam in rebus vita carentibus operationes habere, suaderi potest. Sic enim sympathiæ virtute aurum ignem, vti amicum amplectitur, è contra verò ratione antipathiæ ignem quoquo potest modo argentum viuum refugit; sic à magnete trahitur ferrum; ouis verò lupum horret. Sic nonnullę arbores ad Lunam amicabili propensione conuertũtur; ex opposito brassica viti aduersatur, & fortissimus bestiarum leo galli vocibus consternatur. Placet præterea in hanc sententiam recensere, quod scripsisse Hippocratem tradit Libauius, tantam mutuæ sympathię inter duos quosdam amicos intercessisse virtutem, vt si alter eorum, qui minus secunda vteretur valetudine, ad pristinam sanitatem recuperandam pharmacis vti vellet, is nullam omninò ex epota medicina perciperet vtilitatem, donec is, qui robustioris erat virtutis, idem sibi pharmacum adhiberet, quod etsi benè valentis ventri, stomachouè nullam molestiam adferret, ęgrotanti tamen amico tantæ erat virtutis, & auxilij, vt irritè sumptum prius pharmacum suo postmodum fine haud frustaretur; sed quid plura? an non multi solo etiam audito nomine medicinarum nauseam sæpè contraxerunt? Quare si hæc admiranda sanè prodigia à sola sympathia, antipathiauè perpetrantur; cur non etiã poterit fluxum sanguinis ciere intestina illa, quæ in occiso,

Quanta sit vis antipathia.

ciſo, atq; occiſore tandiù perdurauit, antipathia? Hæc nihilominus, (vt ritè Hieronymus Magius protulit,) vti probabilitate maiori cęteras opiniones anteire inficiari non auſim, ità minimè credo ad plenam cuiuſuis ſapiẽtis animi quietem ſufficere. Etenim in primis vellem mihi ab his antipathiæ fautoribus explicari incredibilẽ illius naturam, vtrum nè ſit aduerſantium inter ſe hominum corporibus, an animis potius vis indita; nùm à facultate appræhendentis, & intelligentis potentiæ, an magis à neceſſario quodam naturæ fato comproducta? nùm viuentis ad mortuum tanta poſſit eſſe diſſenſio? ſciſcitarer prætereà, quo auctore, quibus incæperit auxilijs; à quo effectore non in vita tantum, ſed etiam in morte protegatur; cur in ijs, in quibus antipathia dominatur, pares, & mutuæ cruoris fluxiones, dùm alter alteri occurrit non excitentur; hæc, & ſimilia explicare tenentur ij, quibus antipathia cordi eſt, quorum tamen haud facilè aliquam rationem aſſignare poſſunt, quæ pondus aliquod ſortiatur, vt mihi demõſtrare perfacillimum foret, ſi per propoſita difficultatũ capita, (quod rei prolixitas vetat) percurrere uellem. *Difficultates aduerſus citatã opinionem.*

Illa autem allata exempla, quæ antipathiæ adſcribũt auctores iſti, non antipathiæ, ſed alteri cauſæ tribuenda eſſe, paulò poſt demonſtrabo.

CAP. V.

Marſilij Ficini, & quorundam aliorum ſententia.

MArſilius Ficinus de amoris vi, ac pondere agens in Platonem cap. 5. opinioni allatæ, ac etiam à nobis *Decima opinio.*

nobis confutatæ non aquiescens alia via propositam quæstionem soluit hunc in modum scribens. *Vulnerat Hector Patroclum, ac perimit. Patroclus Hectorem inspicit vulnerantem; vnde eius cogitatio iudicat vlciscendum, confestim ad vindictam bilis accenditur, ab ea sanguis inflammatur, & ad vulnus è vestigio properat; tùm vt partem illã corporis foueat; tùm etiam ad vindictam; eodem concurrunt & spiritus, ij, quia leues sunt ad Hectorem vsq; volantes in eum migrant, cuius calore seruantur ad tempus, puta ad horas 7.; eo ipso in tempore si Hector cadaueris vulnus cominus intentus inspiciat, vulnus cruorẽ versus Hectorem eijcit; potest enim cruor versus hostem quodammodo effluere, tùm quia nondum calor omnis extinctus est, nondum agitatio quieuit interior; tùm quia paulò ante in eum concitatus fuerat, tùm quia deniq; sanguis spiritus repetit suos, atq. etiam spiritus suum attrahant sanguinem.* Undecima opinio. Hactenus ex Ficino, cuius opinionẽ Galeotus Martius ea reijcit argumentatione, quod ad sanguinis frigefacti inflãmationẽ, atq; ad fluxus cõcitationẽ non sola interfecti, aut interfectoris pars spirituũ, sed vtraq; ,amborũ scilicet, planè exigatur. Sed præstat Galeoti sententiam, (quoniam eorum, qui materiã hanc de spiritibus occisi sanguinem excitantibus interpretari, atq; explicare studuerunt, nemo videtur eo clarius, ac subtilius eam examinasse,) hoc loco totidem verbis adscribere, ne quid amplius Lector desiderare possit. *Nonnulli igitur*, inquit, *ex occisoris, & quidam ex occisi spiritibus hoc accidere arbitrantur, quod absonũ est, nam ad sanguinis iam frigefacti motum non vna pars spirituum, sed vtraq; concurrit. Vtraq; concurrit igitur. Cum enim occisor furore ductus hominem aggreditur, cuncti spiritus, qui*

sui

ſui ſunt, opus iuuantes in occidendum conuolant, ſicuti de more eorum eſt, itidemq; hominis trucidandi in occiſorem tendũt, quo ira corporis ſui proſilit, itaut in occiſorem volent, ibiq; viuant. Cum ille occiſus eſt, ſanguis iam frigefactus fluere desijt, ſed comparente occiſore ſpiritus vtriuſq; diuerſo motu agitantur, quilibet ſuum corpus repetens, motum facit, vnde, & occiſi hominis ſpiritus redeuntes, ſedemq; ſuam repetentes, occiſoris recedentes, vt ad corpus redeant, faciunt motum eius rei, quàm habitant, habitant autem ſanguinem. Et hoc facto ſanguis iam frigidior, & ad fluxum ineptus ab occiſoris, & occiſi ſpiritibus vi multiplicata agitatus, rurſus fluitat. Eſtq; illis tantus corporis proprij affectus, vt plerumq; latitantem hominem, ſed proximè exiſtentem intrà tempus, quod aſſignauimus (tot enim horis viuunt) recognouerint, & repetiuerint, hoc autem non in omnibus occiſis, ſed in pleriſq; euenit, quoniã quorundam natura, ità debilis eſt, vt eorum ſpiritus vno momento conflacceſcant. Neceſſe ergo eſt, vbi hæc fieri debeant, ſint calidiora, quoniam calore ſpiritus conſeruantur. Sic ille, qui dum Marſilij opinionis oppugnationi ſtudet ſuam ſimilibus telis, atq; ictibus obnoxiam opinionèm eſſe nõ vidit. Etenim quidquid duæ hæ ſententiæ in ſpetiem præſeferre videantur, difficillimum mihi ſemper viſum eſt non minus Galeoti, quàm Marſilij opinionis patrocinium; vix enim, ac ne vix quidem cadere poteſt in meam cogitationem, quî tenuiſſima ſpiritus ſubſtantia tam facili, celerique gradu è proprijs domicilijs cõmeans alias ſibi ſedes conquirere poſſit; quę, vt philoſophorum parens Ariſtotiles tradit, ſola arteria eſſe poteſt; neq; enim ſpiritum neruus ſuſcipit; at cum arteria denſiori, ac aſperiori quadam materia cõſtet, externam

Confutatio vtriuſque opinionis.

non

non ità facilè recipere poteſt impreſſionem; quo modo igitur ſpiritus leuiſſimi, & nullius fermè roboris occiſoris in occiſum, & occiſi in occiſorem arterias eorum altius penetrando, conuolare poterunt? quandoquidem in extrema vtriuſq; corporis ſuperficie adhęrere ſpiritus minimè poſſunt; nam inimico frigore oppreſi in auras abirent protinus, ſiquidem calore ſolo aluntur, qui in extrinſecis occiſi membris tot horarum ſpatio ſupereſſe nequit. Deinde explicent omninò hi auctores neceſſe eſt, quo pacto interfecti cadauer, quod omni attractione, atq; cõcoctione caret, ꝓpaget interfectoris ſpiritus; & tamen illis duobus duntaxat ſpiritus fouentur, vt auctor eſt idem Ariſtoteles libr. de ſpiritu. Poſtmodum aperire tenentur, quo ſingulari naturæ priuilegio interfector in interficiendum, & trucidatus in trucidantem, ità mutuò ſpiritus ſuos iaculentur, vt poſtea ij ipſi ſpiritus velut ratione præditi antiquas ſtationes agnoſcant, ac repetant; videmus enim, certoq; periculo experimur ab humanis corporibus quarũdem partium ſectionem fieri, ex quo cibi, & potionis egeſtas animalis oritur; & tamen nullus vnquam mortalium recentem ſeiunctæ ſemel à ſe partis aduentum ſenſit. Neq; prętereà minori difficultate vrgentur, ſi quæratur ab iſtis, qua virtute, quoue impellente motiuam hanc poteſtatem hi ſpiritus adipiſcantur; quidquid enim motu agitur ab aliqua impellente virtute agitur, vti Ariſtotelicis imbuti principijs norunt; at quæ, & qualis eſſe poteſt ſpirituũ mouens uirtus? Ad hæc non obſcura in Galeoti opinione contradictio latet; hinc enim calore ſpiritus conſeruari, eoſdemq; ſanguinis ſedem habere aſſerit; & indè iam

frige-

frigefactum occisi sanguinem ab hostis spiritibus foueri concedit; at qua ratione interfecti spiritus vigere, conseruariuè poterunt in occisi sanguine, qui nullo calore præditus admittitur, ad spirituum naturam fouendam perneccessario?

Oppositio.

Quòd si dicat, aliquas caloris reliquias in sanguine ad huc retineri, iam secum ipse pugnat; quandoquidem sanguinem trucidati cadaueris frigefactum, & ad fluxionem ineptum esse admittit; immò frustrà ad sanguinis cõmotionem mutuam spirituum agitationem requirit, cum natura duce sanguis calore imbutus facilè ex se manare possit.

Solutio.

Aduersus Ficinum.

Hoc incõmodum etsi Ficinus deuitet, in sanguine non frigus, sed calorem prædominari docens verum aliud tamen, quod ex illius opinione sequitur, declinare non potest; si perpendat tanto temporis interuallo, haud posse in trucidati sanguine persistere caloré; siquè præterea meditetur nullam trucidati sanguini inesse virtutem suos spiritus repetendi, nisi fortasse sanguineę substantiæ extrinsecus accedat noua vis, quam nec agnouit vnquam, sed nec agnoscere meritò potest Ficinus; nisi iactis fundamentis vellet repugnare; Illud verò, quod ad extremum addit, omnibus Philosophiæ amatoribus aduersatur; quorum communis vox, & sententia est, non à partibus totum, sed à toto attrahi partes; Spiritus autem ad summum leuissimæ sunt quædam hominis partes.

Adijcio tandem, quod non minus Marsilij, quam Galeoti opinionem destruit; ea omnia, quæ in suarum sententiarum illustrationem adduxerunt, de illis dunta-

xat corporibus militare, quæ dum cædes, ac minas ſpirant, inter dimicandum confodiuntur; at in illis, qui latenter, incautè, atq; malitiosè occulta fraude decepti non tam ferro, quam ſubito timore cadunt, nullum hæ illorum opiniones locum habere poſſunt, de quibus tamen maximè lis, & quæſtio agitatur inter auctores.

Duodecima opinio.

Ad extremum Ioannes Maior 4. d. 15. quęſtione 19. Ægydius Romanus, Hieronymus Magius, Gomez, & cum alijs pluribus Antonius Theſſaurus citatis anteà locis fluxionem ſanguinis à iudicio diuino pendere arbitrantur eo adducti fundamẽto, quod illud, cuius nulla vera ratio adferri poteſt, non in humanam, ſed in Diuinam prouidentiam conijci debeat, præcipuè cum falſum, & irritum Romæ, & alibi ſæpius huius ſanguinis effluentis experimentum deprehenſum fuerit; Quamuis non ità facilè finis aſſignari poſſit, quo facinus iſtud nutu Dei accidat; Niſi dicatur id contigere in pœnam eius, qui ſe tanto, ac tali ſcelere obſtringit. Hęc ſententia etſi mihi prorſus non diſplicet, cùm propter auctoritatem, ac doctorum multitudinem, tùm etiam ob illius probabilitatem, quæ cohęrere videtur cum ijs ipſis, quę hactenus de ſanguine ex latere perempti Saluatoris dimanante tradidimus, attamen, ne poſt confutatas aliorum opiniones ad diuinam prouidentiam, tamquàm ad vnicum ignorationis huiuſce rei Aſylum nos confugiſſe videamur, aliam ex reconditis naturæ myſterijs erutam rationem inquirere, atq; inueſtigare tenemur.

Iudicium auctoris.

CAP.

CAP. VI.

Auctoris Sententia.

QVARE licet in tanta opinionum varietate veram, & germanam ſanguinis è cadauerum vulnere manantis ſententiam aſſequi, non ſolum difficile ſit, verum etiam multorum iudicio propemodum impoſſibile (ea eſt huius rei obſcuritas) tamen quid apud me certioris probabilitatis ſit, qua maiori potero breuitate, aperiam.

Puto igitur cadauerum cruentationem ortum, ac efficientiam trahere à vi quadam, quæ rite impreſſa virtus Philoſophico nomine appellari poteſt.

Impreſſa virtus negari non poteſt.

In cuius rei gratiam prius explicandum eſt, qua ratione virtus hæc iure merito admitti poſſit, ac debeat; ne ea conficta, aut temerè à nobis excogitata fuiſſe videatur. Quocircà ſcire conuenit, trucidati cadaueris frigefactum ſanguinem, qui ad nouum percuſſoris aduentum è vulneribus perempti hominis erumpere ſolet, teneri ijs legibus, quibus terrena res materiæ, ac quantitatis fece conſtans obnoxia eſt, cum è propria ſede pellitur; quandoquidem defluens è corporibus cruor impulſu, ac motu agitur, quem ſiue alterationis ſiue lationis motionem appellaueris, à veritate non deflectes, cum vtraq; alterationis, & localis motus ratio in emergente è funeribus ſanguine reperiatur. In qualibet autem corporea motione (de hac enim in præſens tantum ſermonem inſtituimus) duo, & ea quidem perneceſſaria exiguntur, id nimirum, quod motum ciere, & illud pariter, quod excitæ motionis particeps

fieri debet; hoc est, vt à philosophorum terminis non recedam, desiderantur in motu mouens, & motum. At quia hæc duo non in quolibet statu, & conditione posita opportuna esse possunt perficiendi motus principia, vt vel mediocriter philosophorum decreta callentes non ignorant, propterea, vt ritè obeundo motui præsint, vtraq; simul conueniant necesse est, quemadmodum perpetua oratione docet Aristoteles lib. 8. Physicorum asserens mouens, & motum simul esse debere; secus nullum planè motum futurum esse; quis enim lignum absente ignis flamma ardorem concipere, aut marmoreum lapidem motore procul agente per aera ferri vidit vnquam? connexa igitur duo illa esse debent, quamuis non vna sit huius connexionis ratio; etenim quædam ad peragendam motionem substantijs, quantitate, situ, locoq; simul vnienda sunt, vt cõmuni exemplo cernimus in dies passim in mouendis rebus corporatis; & alia quædam, etsi per aliquod terræ spatium substantijs, quantitatibus, ac locis seiuncta sint, suo tamẽ mouẽdi munere perfungũtur; hac ratione magnes ferrum attrahit, solis astrum terræ viscera fœcundans in eis aureas venas congenerat, metalla gignit, & in infima æquoris parte margaritas, quibus nihil illustrius natura possidet, sua virtute operatur; hac torpedo piscantium manus miro quodam stupore affligit; hac perexiguum piscis genus, remoram dicunt, latam magnis fluctibus nauim medio in cursu sistit; hac emissa è sclopetis glans ad scopum quàm citissimè defertur; hac eadem iectus è manibus lapis auras proscindit; Hac mira pregnantis mulieris auiditas, & vehemens

Duplex motionis ratio.

Solis virtus.

mens cibi alicuius deguſtandi libido teneras carnes concepti fœtus maculat, atq; inficit rei exoptatæ nota. Hac Mandragora virtutem ſoporiferam non modo in deglutientem, ſed etiam in aſtantem altè tranſmittit; immò eadem Mandragora vitibus adnata ſic illis poteſtatem ſomniferam imprimit, vt vinum ex illis bibentes facilius, ac procliuius in ſoporem delabantur; hac venefica ſuis ipſa oculis infantum corpuſculis, atq; pecoribus obeſt; hac ingentis vulneris aſpectus cæcas oculis tenebras offundere, ac in illud intuenti deliquium animi parere conſueuit. Quid? an non hac eadem ratione amici oſcitatio nos pariter ad oſcitationis operationem allicit, atq; prouocat? an non duce hac eadem qualitate limæ ferrum diſſecantis ſtridor quandam membrorum ægritudinem ſtridoris ſonitum percipientibus exhibet? Quid ad extremum? vt de cæteris ſimilibus naturæ exprimentis taceam; an non eodem influxu acrimonia cæparum, quibus ſodalis veſcitur, dentibus aliorum damnum inferre ſolet?

Videatur Leuinus Lemnius in libro de herbis ex Sacra Scriptura memoratis cap. 2.

At quid aliud hæc omnia docent, quam in creaturis mutuam inter ſe inuicem operationem exercentibus dari virtutem quandam motis rebus impreſſam, cuius quia propriam, & diſtinctam appellationem peculiaris vocabuli ſignificatione exprimere non valemus; cõmuni nomine impreſſa virtus dicitur, eo quod recondito naturæ myſterio corporibus imprimatur; hæc autem ità ſui motoris præſentiam in motu peragendo commodè ſupplet, ac ſi rem motam indiſſolubili vnione motor ipſe conſequeretur; idquod certis rationum momentis hunc in modum concludi facilè poteſt.

Opus

Opus est, quo motus fiat, vt motæ rei adsit motoris præsentia; cum autem piscationis tempore manus retia trahentis hæreant; piscisq; substantia huius molestiæ effectrix procul ab oppressis manibus absit, dubio procul impressæ virtutis vi, & auxilio in manibus expiscantium eandem impressam virtutem torpedo comproducat, necesse est, cuius virtute motor ille piscículus vnà cum manibus obstupefactis simul esse censeatur, non ratione contactus substantialis, & quantitatiui, sed ratione contactus impressæ virtutis, cuius interuentu fieri admirabiles eos effectus, quos allata naturæ testimonia indicarunt, longioribus argumentis comprobarem, nisi deducta ex vno eorum ratione perfacile reliqua patere possent, cum eodem penitus ea omnia tendant; neque enim à magnete ferrum moueretur, neque à solis potestate terræ sinus tam vario rerum genere excoli posset; quin etiam degeret securus puer, nec fascinantium oculorum reformidaret aspectus, nec explosa è sclopis pila citissimis cursibus ferretur; nec immanis plagæ intuitus animo in illud intuentium, nec dentibus cæparum esus, nec deniq; ferri stridor humanis membris molestiam conciliare possent, si emissam è corporibus virtutem mota corpora non susciperent.

Hìc, vt ad sanguinem è cadaueribus profluentem redeamus, qui hactenus dicta non contradicendi, sed solo veritatem cognoscendi studio ductus contemplari voluerit, iam iã sentiet non absimilem virtutem in re nostra exigi, vt effluere possit ille cruor, quo madere non semel videmus mortua hominum cadauera; sic enim virtus ista algentem trucidati corporis sanguinem

tam

tam facili negotio ad fluxum concitare poteſt, vt qualitas magnetis grauitate pollens ferrum, & loco mouere, & ad ſe rapere potis eſt; & ſicut virtus ſolis omnium aſtrorum maximi quorundam corporum naturam emollit; ſic non prorſus abſimili ratione hac vi ſanguini impreſſa conſtipatus frigore cruor liqueſcit, ac fluitat.

Verum roget quiſpiam, à quonam principio, & agente hæc impreſſa virtus egreditur? num ab vtroque fortaſſis, percuſſo videlicet, & percuſſore; an magis ab altero eorum dumtaxat? Equidem reor ab occiſore tántum eam virtutem effici, perinde ac à ſola magnete ferrum attrahente qualitas producitur; velut probabili ex hoc vno experimento colligi poteſt, quod ſolus interempti, non autem interimentis cruor erumpat. *Apercuſſore impreſſa virtus oritur.*

Quòd ſi rurſus quæratur, quo temporis articulo virtutis huius effectionem percuſſor moliatur, num cum decumbenti cadaueri ſuperuenit, an magis cum eidem mortem infert. Reſpondendum eſt, tunc temporis, cum homini adhuc viuenti lethale vulnus infligitur, quo immaturè, & acerbè mortalitatem explet, ab occiſore in occiſum migrare virtutem; nam ſi vtriuſq; vita ſuperſit, in ipſo necis actu ſiuè odio, & inimicitia, ſiuè rabie, ac furore, ſiue conſcientiæ ſynderiſi ſtimulante, ſiue ipſo, dum nefarium ſcelus aggreditur, contactu percutit, atq; obtruncat, eo inquam ipſo motu, eiſdemq; animi ſtimulis actus percuſſor vim quandam aduerſariam prægenerat, quæ in trucidatum ſtatim conuolans alijs in ſanguine trucidati cadaueris iacet defixa radicibus, donec tandem vel marceſcat, *Quo tempore impreſſa virtus producatur.*

vel in

vel in nihilum reducatur, vel certè ex se ipsa euanescat.

Ad quam speciem qualitatis reuocanda sit virtus illa.

Monitos enim hoc loco lectores velim, virtutem istam reuocandam esse ad eam qualitatis speciem, quam philosophi primam appellant, hoc est ad dispotionem, cuius natura est, vt facile exolescat, sicuti aperte tradit Aristoteles in Logica, ex hoc vno colligens discrimen inter habitum, & dispositionem, quod ille diuturniori temporis mora, hæc vero breuiori permaneat in ijs rebus, in quibus produci vtraq; solent. Sed persistentis ad breue tempus huius qualitatis adhuc dispar est conditio, cū altera alteri in duratione concedat; nam aliqua, exempli loco, ab hoste sanguini vis illata ab exordio suæ generationis ad exitum vsq; & corruptionis eiusdem terminum minus tribus, vel quatuor horis præteribit, alia ad septem horarū spatia perueniet, nō nulla etiam alia decimæ, duodecimę, vigesimæ, & eo amplius fortassis interuallū cuincit; cuius moris signū aliquod cernimus in motu proiectorum, quorum aliud longiori, breuiori verò aliud tempore motum propagare potest, iuxtà maiorem, ac minorem impressæ virtutis in lapide conseruationem; id quod animaduerti etiam potest ab eo, qui positam in lapide virtutem cum vi, quam à magnete ferrum haurit, comparauit, aut certè has duas qualitates cum qualitatibus torpedinis, cæparum, & eorum omnium, de quibus anteà constitutum est, contulerit: siquidem is fateatur, necesse est, diuturniorem esse magnetis in duratione virtutem iniecta lapidi virtute, & rursus antiquiorem cæteris alijs omnibus esse torpedinis qualitatem.

Ex his præcipua huius quæstionis mysteria intelligi possunt

poſſunt. Cognoſcitur enim primò, apparentem in ſanguine cadaueris operationem per id tempus duntaxat effici poſſe, quo impreſſa virtus ſanguinem non planè deſtituit; tunc enim, ſi percuſſor occurrat, in vulnere ſanguinis profluuium cõſurget protinus; at ſi acquiſita virtus temporis vetuſtate (hoc poſtulante virtutis impreſſæ natura) fortè defecerit, etiam ſi millies vulnera cominus meditur trucidator, ſiſtet, nec defluet vnquam e ſede ſua cruor.

Cur aliqua cadauera ad interfectoris præſentiam ſanguinem non emittant.

Colligitur ſecundò, (id quod multorum torſit ingenia) defectu virtutis, quæ iam euanuit, ex cadaueribus crudeli nece peremptis etiam in conſpectu nefarij occiſoris nullam ſanguinis guttam manare conſueuiſſe.

Intelligitur tertiò, vacuam, & inanem eſſe petitionem eorũ, qui huius deficientis virtutis extrinſecas cauſas a nobis quærunt, cum ex ſe intra certum temporis ſpatiũ impreſſa virtus ad interitum ruens diſſoluatur.

Colligitur quartò, huius qualitatis generationem conijciendam nõ eſſe in nouam percuſſoris præſentiam, cum in terris iacet cadauer, cum ante illius aduentum comproductam fuiſſe qualitatem docuerimus.

Ad quid interfectoris præſentia exigatur ad cientem ſãguinis fluxũ.

At dices, quorſum ergo interfectoris præſentia exigitur, ſi ea nullam ſanguini cadaueris virtutem impartitur? cur enim tam illo abſente, quam eodem præſente effluens non viſitur ſanguis? certè cum hinc nihil moliatur præſens hoſtis, & indè naturalis qualitas neceſſitate naturæ operetur, ex his duobus alterum cogimur concedere, aut idem dimanantis cruoris experimẽtum cerni cum ſemotus, ac diſtans eſt è cadauere hoſtis, aut certè virtutem ſuis neceſſariò vtentem viribus nullo

impediente sæpius vacare ab operatione naturali, quorum neutrum absurditate caret. Verùm facilis labor est nobis ista eludere; putamus enim ad interfectoris præsentiam cruorem concitari, non quasi vim sanguinis attractiuam inimicus præsens tunc emittat; sed potius quòd iam emissa virtus in sanguine conquiescens ad præsentiam suæ causæ naturali motu excitetur, motum, ac fluxum prouocans eius rei, quam colit; quapp ter inimici præsentia non habet virtutem producendi, sed magis sopitam quodãmodo excitandi qualitatem. Hinc rectè dixeris proprius inimici præsentiæ partes esse, vt sit quippiam latentem qualitatem prouocans, vel tunc cum saluti propriæ timet ob patratum scelus, vel cum grauissimè consternatur, vel cum non adhuc inimici sanguine ad satietatem ebrius nouo rursus sanguine pollui optat, vel tãdem cum aliquo quouis modo vehementissimis passionibus obruitur, quæ solent ex viua præsentis mortui imaginatione oriri. Hæc autem prouocatio naturali affectu nulla alia interueniente qualitate nascitur, secus in infinitũ res ista abiret. Porrò clarissima huius prouocationis imago cernitur in eo lapide, quem Bezoar nominant, is namq; motu naturali ad veneni præsentiam manifesta quædã indicia prodere solet, quibus expresse veneni rabies agnoscitur.

Lapidis Bezoar proprietas.

Sed quid iuuat externa excitationis huius naturalis exempla alijs ex rebus conquirere, cum propria virtutis impressę testimonia nobis minimè desint. Scitum enim est, (quod fortassis ob rei admirationem cõmentitium çstimari posset) tam validam, tamquam potentem

tem latentis virtutis aliquandò vim fuiſſe, vt ea dormientem hominem ad aduentum inimici non modò vehementi concitatione excitarit, verùm etiam ad iniuriam, & hoſtilem feritatem repellendam ad arma capienda prouocarit.

Quemadmodū narrat Libanius.

Hinc prętereà euidens diſcrimen eſſe concluditur inter virtutes impreſſas, nam aliquæ illarum connaturalem operationē ſibi perpetuò retinent ijs in rebus, quas afficiunt, donec in nihilum reſoluantur; cuiuſmodi ſunt virtutes torpedinis, & magnetis; quædam verò nō ſemper, ſed tantùm vbi illarū excitans, ac prouocans actus reperitur, in opus exire conſueuerunt; quemadmodum Bezoar, qualitas à percuſſore in percuſſum exiens, & aliæ huiuſmodi virtutes operari ſolent; hincq; fit, vt nō niſi in hoſtis conſpectu qualitas iſta, de qua loquimur, ſuas vires fluxum ſanguinis prouocandi ſortiatur.

Virtutum impreſſarū varię, ac diſſimilis naturę.

Quamquàm altera obiectę difficultatis ſolutio eſſe poteſt. Inimici videlicet præſentiam omninò neceſſariam eſſe tamquam conditionem ſine qua non, vt virtus iſta ſuo agendi munere fungatur; etenim ſicut mutua aproximatio ligni ad ignem expoſcitur, vt ſubſequatur combuſtio, & piſcator retia contrectare debet, quò torpedinis vigor inſurgat, ita pariter, vt efferueſcentiam, atq; ebullitionem ſanguinis virtus iſta operetur, percuſſoris quæritur acceſſus. Non ignoro penitus haud ſimilem eſſe vtriuſq; rei paritatem; Sed quoniam ad negotium noſtrum quoquo modo explicandum hęc vltima reſpondendi ratio deſeruire poteſt; ideo eam nolui omnino reticere. Et de hac difficultate hactenus.

Præſentia inimici, vt conditio ſine qua non exigitur.

Nunc ad extremum, (vt ad illud ſe ſe noſtra referat

oratio, ex quo superioris disputationis ratio pfluxit;) vnum quemq; cernere facilè posse arbitror, in suo robore eam thesim persistere, qua superius ostensum est, fluxionem sanguinis ex latere Christi dimanantis cœlesti numini duntaxat adscribendam esse, cum nihil eorum, quæ algentem in occisis cadaueribus sanguinẽ ad fluxum trahere possunt, vim aliquam in Assertore nostro obtinuerint. Neq; enim catholicorum vllus in tantam huius mysterij ignorationem progressus est, vt asserere ausus fuerit, diuinum liquorem ex latere Mediatoris decurrentem, vel casui, & fortunæ, vel Dæmonum versutijs, vel soluto è terreno carcere Assertoris spiritui Iudæos infectanti, vel Carnificibus, vel sensilis animę Christi viribus, vel infixis in corpore dominico Iudæorum idęis, vel nonnullis alijs sanguinis Christi effusis partibus, vel vegetanti Saluatoris animę, uel antipathię, vel tandem impressę virtuti tribuendum esse; cum non ad nouam hostis pręsentiam, sed ad lanceæ ictum riuus sanguinis processerit è latere Saluatoris, q̃ nobis certum esse potest argumentum, non profluxisse sanguinem ex ea virtute, quæ ad pręsentiam tantùm hostis operatur. Deinde cum uulnus latere excepit Assertor noster iam e uiuis abierat, & tamen ad productionem huius uirturis impressę perneccssaria fuisset etiam uita Saluatoris, ut supra monuimus, uelut ex eo colligi potest, quod numquam prodire sanguis consueuerit ex iam trucidato cadauere, etiam si in illud post mortem grauissimis uulneribus sęuiat superueniens inimicus. Postremò ex impressa uirtute sanguineum Christi fluxum non traxisse originem is fateatur, opus est,

qui

qui D. Ioannis teſtimonium meditabitur; eò ſiquidem intelligimus, ne dum ad ſanguinem Aſſertoris inimicã uim accedere potuiſſe, cũ profluentem ſanguinem Xp̃i omnem naturæ, ac impreſſæ virtutis operationem anteuertentem charus Deo diſcipulus vidit adhunc modum ſcribens, *& continuo exiuit ſanguis, & aqua.*

DISPVTATIO QVARTA.

De natura, & cauſa aquę profluentis ex latere Chriſti.

CAP. I.

Quòd fuerit elementaris aqua, quæ ex latere Aſſertoris effluxit.

ACCEDAMVS modò ad ſecundam huius myſterij partem, quæ tota verſatur circa eius aquę cognitionem, quæ ex latere Chriſti vna cũ ſanguine erupit; licet enim nõnullæ ſuperſint adhuc explicandę difficultates ad ſanguinis proprietatem pertinentes, quia tamen eæ communem habent cum aqua connexionẽ, pariq; paſſu gradiuntur in omnibus, paulò inferius explicandæ erunt. Quocirca in prẽſens prætermittenda non eſt ea diſputatio, in qua de ſtatu, natura, & conditione aquei humoris agitur. Etenim nefandum perfidiæ caput Caluinus Sacram Ioannis hiſtoriam inexpiabili ſcelere peruertens opinatur, non aquam, ſed ſanguinis ſerum fuiſſe id, quod ex latere

Caluini blaſphemia.

Salua-

Saluatoris in Cruce post mortem pendentis effluxit, sic enim, inquit ille, est à natura comparatum, vt dum sanguis coagulatur humor ex eodem sãguine secernatur, qui rubore amisso aquę sit persimilis. At ò miram blasphęmandi, ac mentiendi Caluini licentiam; scilicet ex effluente sanguinis riuo, qui diuinitus nullam sensit conglutinationis compressionem separari potuit phlegmaticus humor? Certè in se ipsum testis stat Caluinus, nefariamq́; illius temeritatem redarguunt ea ipsa verba, quibus se tuetur; si namq́, vbi tantummodò constipatur sanguis, cõsurgit ex sanguinis materia expressus phlegmaticus humor, non tam ignorationis, q̃ malitię scelus istud erit, aquam ex latere decurrentem serum sanguinis appellare, cum à sanguine ex latere dominico emanante cõpressio omnis procul abfuerit.

Vgo. In eadem sententia multis ante Caluinũ seculis fuisse magistrum Vgonem Ferrariensis Ecclesię Episcopũ qui assereret, nõ temerè meo iudicio assereret, quãuis ei nulla hęretici erroris nota impingenda sit, cum nec mordicus ei adhęserit opinioni, neq́; per id tempus ea sententia vti detestabilis, & fallax auctoritate Sedis Apostolicę, ad quam hæc statuere pertinet, esset iudicata; in quo de more turpiter lapsus est Caluinus, qui vt Apostolicis constitutionibus se se opponeret, execrandum illud dogma euulgauit, quod tam valida sanctorum Patrum testimonia condemnant. Etenim veram illam aquam fuisse testatur Tertullianus libro. 2. aduersus Marcionem cap. 4. cum inquit.

Tertullianus.

Scilicet in Christo esse decus suum Ecclesia cernens
Huius de latere ligno pendentis in alto

Corpo-

Corporis exanimi ſanguis manauit, & humor
Fœmina ſanguis erat, aqua erat noua dona lauacri
Hæc populi vera eſt viuentis Eccleſia mater
De Chriſti noua carne caro, deq; oſſibus oſſum.

Adfuit pręſenti veritati pluribus in locis Auguſtinus, maximè verò lib. 2. de Symbolo ad Cathecumenos cap. 2. ſic ſcribens. *Percuſſum eſt enim eius latus, vt Euangelium loquitur, & ſtatim manauit ſanguis, & aqua, quæ ſunt Eccleſiæ gemina Sacramenta. Aqua in qua eſt ſponſa purificata; ſanguis, in quo inuenitur eſſe dotata. In iſto ſanguine Sancti Martyres amici ſponſi ſtolas ſuas lauerũt, candidas eas effecerunt, ad nuptias agni inuitati venerunt, à ſponſo cálicem acceperunt, biberunt, eiq; propinarunt*; ſic Auguſtinus, qui lib. etiam 15. de Ciuit. Dei in eandem ſententiam talia prodidit. *Et quod oſtium in latere accepit, profectò illud eſt vulnus, quando latus Crucifixi lancea perforatum eſt. Huc quippè ad illud venientes ingrediuntur, quia indè ſacramenta manarunt, quibus credentes initiantur*; initiantur autem, cum ſalutaris aquę vndis intinguntur fideles. Similia tradit tract. 120. in Ioãnem, & tractatu 4. de Cathaclyſmo cap. 4. Prętera D. Ambroſius idem docet lib. 5. de Sacramentis cap. 1. adhunc modum ſcribens. *Venientes inuenerunt defunctum Dominum Ieſum Chriſtum. Tunc vnus de militibus lancea tetigit latus eius, & aqua fluxit, & ſanguis. Quare aqua? Quare Sanguis? Aqua vt emundaret, Sãguis vt redimeret.* Idem ſenſiſſe B. Hieronymum oſtendunt ea verba, quę ſunt in fine cap. 48. in Iſaiam, quę ſic habent. *Petra erat Chriſtus, cuius latus lancea vulneratum aquis fluxit, & ſanguine, baptiſmum nobis, & martyrium dedicans.* Verùm

Auguſtin.

S. Ambroſ.

ne

ne in præsens ad eiusdem rei confirmationem quarti,& eiusdem celeberrimi Ecclesiæ Doctoris testem grauissimum desideres, magni Gregorij sententiam præterire haud debeo; is enim libr. Antiphonarij affirmatè aquã fuisse dicit sic scribens. *Aperto ergo militis lancea latere Crucifixi Domini exiuit sanguis, & aqua in redemptionem salutis nostræ.* Nec aliter, quam citati patres sensit Damascenus lib. 4. fidei orthodoxæ cap. 10. & libr. 2. parallelo. cap. 14 & omnes ad extremum doctores, quot quot legi possunt, quemadmodum videre est in Leone Papa epist. 4. cap. 6. & epist. 9. ad Theodosium Imperatorem aduersus prauos Euthichetis errores; Chrysostomo homi. 94. in Ioannem, & hom. 24. in cap. 20. epist. ad Cor., Tertulliano lib. de Baptismate aduersus Quintillam cap. 16., Bernardo epis. 126., Cypriano lib. de passione Christi; Ephiphanio tom. 2. libr. 2. contra hæreses cap. 78. circa medium; Gregorio Nysseno in Ioannem cap. 19. Isidoro lib. de Natiuitate, & Passione Domini ad Florentinam sororem cap. 47., D. Thoma, & Bonaeuentura, alijsq; quamplurimis, quorum testimonia clara sunt, & ad idem illustrandum aptissima.

Greg. Magnus.

Verùm dicet Caluinus citatas Sanctorum Patrum sententias id nequaquam conuincere, qđ probare contendimus, quandoquidem ex illis duntaxat habetur, perfossum Mediatoris latus aquam profudisse; At non ea fuit elementaris, & vera, sed phlegmatica solùm, & aquæ persimillima. Inepta sanè responsio, & eius certè digna, qui confingendis tantùm mendacijs studet; quis enim absonam, & impropriam esse interpretationem istam non agnoscit, quæ id liquoris, quem Patres

aquam

aquam appellant, nominis proprietate neglecta non aquam, ſed aquæ ſimilem fuiſſe dicit; Deinde aqua lateris, vt viritim Patrum fides docet viua, propria, & illuſtris figura fuit eius aquæ, qua in ſacro baptiſmatis fonte originalis culpa abluitur, at hæc naturalis duntaxat eſſe potéſt.

Quare omninò dicendum eſt Admixtam ſanguini lateris aquam eiuſdem planè ſpeciei, & ſubſtantialis perfectionis fuiſſe, ac eſſe ſolet aqua naturalis, quæ inter prima quatuor corpora tertium ſibi dignitatis locum depoſcit. Hanc ſententiam Innocentius Pont. III. in litteris, ac decretis, quæ extant ad Vgonem reſpondens ad eam difficultatem, quæ ſibi ab eodem propoſita fuerat, certis hiſce rationibus confirmauit. Nã ſicuti vel hinc maximè Aſſertorem noſtrum humanæ mortalitatis circumſeptum ſpolijs, habuiſſe vitalem ſpiritum comprobamus, quòd is, dum mortalitatem compleuit, dicitur ſpiritum vitalem emiſiſſe; ita ſimiliter eũ terrenis artubus cõpoſitum fuiſſe meritò ſuadebimus, propterea quòd ex corpore Chriſti ſanguis, & aqua eruperint; atqui verus fuit Saluatoris noſtri ſpiritus, vera caro, & verus ſanguis; pari igitur ratione vera eſſe omnino debuit elementaris aqua. Præterea nihil à prima veritate magis alienum eſt, quam error, & fallacia; at vix poſſet à fallacia ſaluari Mediator noſter, qui non modò veritatis fons, & origo, ſed ipſamet veritatis natura eſt, ſi in ſanguinis excremento, quod ſerum Caluinus appellat, ſpeciem aquæ fidelibus conſpiciẽdam exhibuiſſet. Immò Diuinus ipſe Ioannes Euangeliſta, qui ad fidem procedentis liquoris commendandam

Innocẽtius Pont. III.

memoriæ, ac litteris prodidit, aquam ex latere percuſſo exiuiſſe, à veritate, quam profitetur, non mediocriter aberraſſet; ſi non aqua, ſed phlegmatico humore conſtaſſet liquida illa ſubſtantia. Deindè explorati nihil, nihilq; certi nobis relinqueretur ex ſacris litteris decerptum ad deteſtabiles Armenorum corrigendos errores; quibus mos erat nullam in calice aquam cum vino miſcendi in ſacratiſſimo Altaris myſterio, quorſum enim mos hic aquam vino admiſcendi apud Eccleſiam inualuit; ſi non aqua, ſed phlegmaticus humor proceſſit è latere Saluatoris? Poſteà hanc ſententiam expreſsè reddit ſacer Ioannis contextus, cuius hæc ſunt verba; *Et continuò exiuit ſanguis, & aqua*; at iuxta S. Auguſtini decretum, & varias de modo ſacram paginam interpretandi regulas, intelligenda ſunt in propria, ac ſtricta ſignificatione diuini eloquij verba, vbi id commodè fieri poteſt, cum videlicet nullis ſcripturæ verba prę mũtur incommodis: quemadmodum in re hac noſtra accidit. Poſtremò ad veritatem huius aquę determinandam accedit Summi Pontificis certa, & omninò indubitata definitio; ſiquidem Innocentius lib. 3. decretaliũ in cap. quadam, de celebratione Miſſarum t. 41. cap. 8. quam conſtanter iſtud ab omnibus Chriſti fidelibus credendum ſit, his verbis teſtatus eſt dicens. *Reſtat igitur, vt qualiſcunq; fuerit illa aqua, ſiuè naturalis, ſiuè miraculoſa, ſiuè de nouo diuina virtute creata, ſiuè de componentibus ex parte aliqua reſoluta, proculdubio vera fuit, cum naturaliter poſſit, & compoſitum in componentia, & mixtum in elementa reſolui.*

Armenorũ error.

Innoc. III.

Obiectio.

Verúm in aliquibus difficultatum tricis adhuc verſari

ſari videtur quod docuimus; auctore ſiquidem D. Cypriano libello de duplici martyrio bilioſum humorem cum fuiſſe, qui de latere fluxit hac ratione probari pōt. Nam ſingulas humani corporis partes phlegmaticus humor fouet, atq; irrigat, cum in illis omnibus ſpargatur; at hic pondere naturali adfluendum inclinat; debuit igitur ex transfoſſo Chriſti latere proficiſci tunc maximè cum ex patēti vulnere ſanguis manauit, quo cùm mutuam habet phlegma cōnexionem, neq; enim dari poteſt ſanguis, cui tamquam fidus comes humor iſte phlegmaticus non adſit: veluti ex manifeſto S. Cypriani hæc habentis teſtimonio cognoſcere licet. *Adeſt enim*, inquit ille, *humor quidam naturalis, quem (vt arbitror) medici phlegma vocant, ſparſus, & ipſe per vniuerſum corpus, huius vſum nunquàm ſentimus euidentius, quam in ſenſu guſtus, niſi enim hic admixtus ſit inter linguam, & palatum nullum erit palati iudicium, & tamen hæc ſic mixta ſunt in homine, vt non ſit ſanguis abſq; ſpiritu, & phlegmate, & pariter ad tuendam vitam conferrunt omnia.* Sed hæc, quæ impedimenta videntur, nullæ tricæ ſunt, neq; catholico dogmati aduerſantur; nam quamuis concedamus aliquid humoris illius exigui per omnia humani corporis membra eſſe à natura diſtributum, & licet demus pariter eodem temporis ſpatio, quo è latere ſanguis proceſſit, fuiſſe ei copulatum bilioſum humorem, adhuc tamen veritas, & litteralis verborum S. Ioannis Apoſtoli ſenſus optimè ſaluatur, cum humor ille non excludat manantem ex latere Chriſti elementaris aquæ ſubſtantiam, non ſolum quia ſi quid huiuſmodi phlegmatici humoris erat, is mixtus cum aqua fuit, verùm *Solutio.*

etiam quia tenuis huiuſcemodi liquor non ita facilè oculis diſcerni potuit; & tamen teſte Euangeliſta vberres riui fuerunt aquę, & ſanguinis, quos ictus cuſpidis elicuit, ceu poſtmodum demonſtrabitur. Id verò, q̃ de coloris ſimilitudine inter phlegma, & elementarem aquam exiſtente aſseritur, nec veritati, nec experientię conſentit, flauus ſiquidem colore, ſapore verò haud palato iucundus humor ille eſt, vt complures, qui periculum fecerunt, teſtantur medici, at longe alius eſt aquei liquoris color, & ſapor. Adijci poteſt, (quod bona venia tanti Martyris, cuius gloriam, & doctrinã alioqui ſuſpicimus, & admiramur, pace dictum ſit) hanc phlegmatis per omnia membra diffuſionem, eiuſdemq; humoris arctam cum ſanguine coniunctionem cum medicorum, & philoſophorum decretis, quibus hæc apprimè tenendi onus incumbit, haud ita facilè congruere; præcipuè ſi de optimè conſtitutis corporibus, quale dominicum ſuper cętera fuit, ſermo inſtituatur.

CAP. II.

Opinio eorum, qui in humanis corporibus vitam viuentibus veram aquam eſſe arbitrati ſunt.

CÆterùm, quô res tota planiùs intelligatur, nonnullę adhuc inſtituendę ſunt quęſtiones iucundæ quidem cognitu, ſed haud ita faciles explicatu; hactenus igitur de natura, & conditione aquei humoris controuerſum eſt, nunc de eiuſdem liquoris origine, & productione diſputandum erit; an nimirum lateris dominici aqua naturę viribus, an potius ſuper-

natu-

naturalis influxus ope comproducta, atq; in facerrimo Assertoris pectore miraculosè congenita sit.

Andreas Laurentius

Andreas Laurentius vir doctus, & medicæ facultatis apprimè tenax historię anatomicæ lib. 9. de organis vitalibus cap. 19. q. 5. veram in viuentibus aquam reperiri docet; quamuis non in quolibet corporis membro, sed in certo quodam, ac determinato, in corde videlicet, eam detineri velit; arbitratur enim in mirifico corporis humani opificio artificem, ac parentem Deum tenuem membranam posuisse, qua cor hominis præcipuum vitę mortalis fundamentum circumseptum, atq; inuolutum tenetur, quæq; vulgari nomine pericardion vocetur; is verò proximè, & intimè cordis substantiam tactu non afficit, sed ab illo modico interuallo distat, quantum videlicet perpetua cordis ęstuantis motio exigit, ne inter palpitandum, ex tactu membranæ cor incurrat offendiculum, quo ab opere ducendi spiritus vitales impediatur, ex quo certum homini imineret exitium. Quare spatium illud, quod interiacet inter cordis substantiam, & ipsum cordis inuolucrum, [quoniã omni conatu vacuitatem natura refugit] idem molitor corporis Deus aquæ receptaculum esse voluit, cuius virtute salubri attactu ab externis iniurijs securè degit cor hauriens vitales succos ex eodem pericardij humore, qui, etsi sero, & vrinæ persimilis videatur, eum tamen veram esse, ac elementarem aquam cogitur asserere, nisi catholicæ definitioni, & certo religionis nostræ dogmati, quod non crediderim, opposita, & contraria tradere vellet. Etenim citata quæstione disputans Laurentius aduersus eos, qui humorem illum in

Pericardij natura, & sedes.

mortuis

mortuis tantùm corporibus generari autumant, illa D. Ioannis verba, *& continuò exiuit sanguis, & aqua*, accipienda, atq; intelligenda esse contendit de eo humore, qui in Assertoris pericardio diuersabatur, at ille, vt iam vidimus, perfectæ, ac substantialis aquæ naturam obtinebat. Laurentij verba sunt, cum in pericardio aquam sitam esse probaret, *& in sacris scripturis dum miles Christi Saluatoris nostri aperuit latus exiuit illicò sanguis, & aqua.* In eandem sententiam concessit Benedictus Ariæmontanus in suis elucidationibus in illud Ioannis, & qui vidit, ad hunc modum scribens. *Vidit tandem illum mortuũ, & lãcea perfossum vsq; ad interna præcordia, in quibus aqua continetur*; præcordiorum autem appellatione pericardion intelligere debet, secus nouam, & apud medicos peregrinam aquæ in corporibus existentis sedẽ adinuenisset Ariæmõtanus, qui in omnibus humanę naturæ corporibus siue sanis, siue ægris, siue viuis, siue mortuis aquam haud deesse opinatur, cuius quidem opinationis hæc esse possunt argumenta.

Benedictus Ariamontanus.

Firmamenta huius opinionis.

Cum in omnibus ad vitę commodum spectantibus & in ijs maximè, quæ humanæ saluti propagandæ conducunt, prouida sit natura, haud potuit humoris aquei subsidio cor humanum destituere, secus cor hominis, q; ardentissimo æstu ob perennes, & perpetuos influxus, & motus inflammari solet, omninò adureretur. Posteá hominis cõmodum, & vtilitas istam pericordij aquam sibi deposcebat, etenim, sicuti prima mundi elementa suis quæq; locis disposita, nec pondus, nec ponderi oppositam leuitatem contrahunt, ita cordis humani materies in eo pericardij liquore, tamquàm in connaturali

sede

ſede innatans nullam grauitatis homini moleſtiam infert. Deinde omnibus hominis diſectionem callentibus notiſſima res eſt, cor pericardij aqua irrigari, vti oculis ipſis apertè cerni poteſt. Neq; ad iſtius rei corroborationem Medicorum teſtimonia deſiderantur. Princeps ipſe, ac parens Hippocrates, cuius grauiſsima eſt apud omnes auctoritas libello de corde his verbis è græco in latinum verſis aquam in pericardio eſſe teſtatur. *Adeſt in ipſa tunica humor modicus velut vrina, & videtur cor in viſica diuerſari*; id quod etiam Galenus ſui principis doctrinam affecutus litteris conſignauit lib. de vſu partiũ animalis. Poſtremò fauent eidem opinioni pleriq; philoſophorũ, quibus perſuaſum eſt, ita elementa mixtorum conſtitutionem ingredi, vt perfectam ſubſtãtiæ, & qualitatũ naturam nõ amittant, quorũ ſententia eo libentius videtur acceptanda, quòd in mixtis viuentibus elementorum qualitates vigere experiamur, non poſſunt autem accidentales naturæ, cuiuſmodi ſunt ſimplicium corporum qualitates, deſtructo principio, quibus inſunt, remanere, & nihilominus manere, ac operari frigus, calorem, humiditatem, ac ſiccitatem videmus; ergò elementaris aqua in mixtis corporibus poterit reperiri. *Hippocrates.*

Non conabor hoc loco, aut cum viris medicæ facultatis peritiſsimis congredi, aut ſecretiora anatomiæ artis myſteria curioſius inueſtigare diſputando, num ea omnia, quæ de pericardio cordis arcula traduntur certa ne an dubia ſint potius, cum non ſit iſtud Theologici inſtituti; ſed tantúm in hac quæſtione, (quod mihi ſatis exploratè cognitum eſt) aduerſus Laurentium conabor *Auctoris ſententia.*

bor ostendere humorem in pericardio degentem, quo hominis cor madet, à natura elementaris aquæ differre plurimum, nec commune quidpiam dari illis duobus; q̃ sine dubitatione vlla defendi posse arbitror, si naturalis philosophiæ auctoritati id, quod ei denegare temerarium foret, concedatur, vt inferius patebit. Quocirca fatemur quidem nec cordi membranam, nec membranæ aliquid humoris defuisse, at inficiamur tamen humori in pericardio existenti aquæ naturalis perfectionem concedendam esse.

Confutatio argumentorum.

Nunc quam leuia sint citatæ opinionis rationũ momenta lectori aperiamus. Et certè quod sub initium quæstionis adducebatur, incõgruum esse vel ex eo cernitur, quòd potentiori, ac opportuniori subsidio nimiũ cordis calorem natura temperarit reciproca vicissitudine influxionum, quæ é cerebro in præcordia, & vice versa commeant, quibus instructa hominis intestina à quouis se se maximo æstu defendunt. Præterea esto, ad eum finem productum esse pericardij humorem; non ex hoc tamen illicò sequitur, eum liquorem sibi elementaris aquæ naturam postulare.

Immò eodem humore aqueo haud opus est, vt homines onere grauitatis immunes reddantur, etenim vt ab allata ratione non recedam; sicuti dum elementa in suis naturalibus locis consistunt, nec ad superna, nec inferna loca ferruntur, sed degũt in naturali quiete, ita cor humanum, cuius habitatio in intimis hominum penetrabilibus collocata est, etsi nullo perlueretur aqueo humore, adhuc tamen nullum homini incommodum conciliare posset.

De-

Demonſtratio autem illa ex oculari experientia pericardij petita, tantummodo fateri nos cogit, humorẽ in cordis inuolucrũ fuiſſe ab auctore naturæ inuectũ; at quis hinc ſtatim eum elementarem aquam eſſe tutò poteſt affirmare? cum præcipuè Gulielmus Tolitus præſtantiſſimus medicus, vt eſt apud Burgenſem, non aquam, ſed phlegmaticum humorem pericardij liquorem appellet, & meritò cum neq; colore, neq; guſtu vllam noſtrę aquæ partem imitetur; ſed potiùs in flauum colorem vergat, & triſtes palato ſuccos exhibeat, quemadmodum ſe millies guſtu, viſuq; expertum eſſe aſſerit Tolitus. *Guliel mus Tolitus.*

Quæ reſponſio eo certior ab omnibus haberi debet, quò clarius dignoſcitur in eandem iuiſſe Galenum citato loco, & cæterorum medicorum facilè principem Hippocratem, quorum verba ſi expendantur, eam tãtummodo, quam attulimus, explanationem reddere poſſunt; cum nuſquam apud eos legamus, humorem pericardij aquam elementarem appellari, ſed ab illis duntaxat proditum ſit in cordis tunica aliquid modici humoris non aquam, ſed vrinam referentis conſpici, dũ corpora diſſecantur.

Tandẽ in illo, quod vltimo loco opponebatur, perexiguũ robur eſt ad aſtruẽdũ aquã in pericardio Chriſti naturaliter ſitã fuiſſe, velut enucleatius oſtẽſuri ſumus, dum oſtendemus, philoſophos, quibus ea probatur opinio, longius à veritatis ſemita aberraſſe; neq; enim iudicio meo arduum, aut difficile opus videtur explicatu, quî valeant in compoſitis rebus vigere qualitates elementorum, cum ad elementaris formæ corruptionẽ

nullam corrupti elementi materia habeat corruptionē; & elementorum affectiones diuerſo, varioq; ordine, ac ſtatu in mixtis, ac in elementis reperiantur.

CAP. III.

Num aqua, ſiue quoduis aliud elementum in generatione viuentis corporis certam ſubire cogatur ſuæ ſubſtantialis formæ corruptionem.

SEd quò clarius, ac diſtinctius vltimæ ſuperioris capitis argumentationi ſatisfaciam, perpendendum eſt. An elementa, ex quibus ſubſtantialem humani corporis compoſitionem pendere conſtat, in mixti generatione ſibi aſſeruent totam integram, & inuiolatā ſubſtantiā; an verò alterā ſubſtantiæ partē deperdant. Dicam apertius more ſcholæ. Num elementa ita ſint formaliter in mixtis corporibus, vt in illis, & materia, & forma ſubſtantialis elementi reperiantur, an potius ſola elementi materies mixti compoſitionem operetur, & ſubſtantialis elementi forma intereat. Ad hanc philoſophicam ſubtilitatem tota res ſuperioris quæſtionis reuoluitur, nam ſi conſueta rerum naturalium agendi ratio ea eſt, vt mixtum ſibi efflagitet materiam, & formam elementi, tamquam principaliores ſuę ſubſtantiæ partes, nulla certior, ac tutior via ſupereſt perueniendi ad optatam latentis adhuc veritatis metam, quam ſit Andreę Laurentij opinio; quid enim tam planum, tamquè euidens in tota rerum vniuerſitate eſſe poteſt, quam ſacratam Saluatoris noſtri naturam ad cuſpidis ictum eos liquorum fontes deduxiſſe,

xiſſe, quibus illa cùm in prima corporis ſui cõſtitutione, tùm in eiuſdem incremento, conſtat; At ſi mixtorũ ratio, & natura, perfectam, & integram elementi ſubſtãtiam reijcit, parum profectò viri ſapientis erit opinari, aquam elementarem remanere potuiſſe in nobiliſſima, atq; omnium corporum abſolutiſſima temperatione, qualem fuiſſe Aſſertoris noſtri compoſitionem omnes norunt.

Quinas huius difficultatis ſententias proferre poſsẽ in medium, ſed quia priores quatuor ad illam facilè reuocari poſſunt opinionem, quę elementorum ſubſtantialem, & integram perfectionem in corporibus ſentit remanere, ideò tribus ſilentio pertranſitis ſolum adducam opinionem Auicennæ 1. ſufficientiæ, & Alberti Magni tractatu 6. c. 5. quæ incorruptas elementorũ formas in mixtis remanere ſic aſſerit, vt nullam velit elementa ex mixti generatione perturbationem ſubſtantiarum incurrere; quaſi ea ratione ad mixti conſtitutionem exigantur elementa, vt ſibi perfectas, & integras formas reſeruent, facta duntaxat in ſinguſis elemẽtorum qualitatibus permutatione, dum videlicet aliqui gradus eorum remittuntur, vt puta cum aliquę partes frigoris, & caloris eorum elementorum, quæ in mixtis remanent cum integris, & perfectis ſuis ſubſtãtialibus formis, deperduntur vi eius coniunctionis, quam cum cæteris elementorum qualitatibus obtinent. cap. 10.

Varia autem ab ijs, quibus hæc opinio placet, firmamenta adducuntur, ad quæ diligentius cognoſcenda, & examinanda videat lector philoſophorum hac de re ſententias, & decreta; ego enim, qui hæc obiter,

(quo propositum meum de aquę lateris Christi origine impleam) perstringere cogor, omissis philosophorũ argumentationibus superiorem sententiam comprobantibus arbitror sic omnes substantiales elementorũ formas in mixti constructione deficere, ac corrumpi, vt sola materies certis quibusdam qualitatibus pollens in mixti mole relinquatur. Hanc opinionem, quę mihi omnium maximè probatur, subtiliter, & enucleatè tractant grauissimi scriptores S. Th. li. 1. de generatione super coment. t. 84. Marsilius. q. 22. Herueus Brito, Aegydius, & alij plures.

Elementorũ formas in mixtione corrumpi putat author.

Vera opinio pis argumẽ.

Liceat autem prędictam sententiam, vt eam planè cognoscat, atq; dijudicet lector, non futilibus argumentis ad hunc modum comprobare. Nam inprimis idẽ ipse Aristoteles, qui immeritò à pluribus in contrarias sententias distrahitur primo de generatione t. 84. veritatis huius testis adest locupletissimus; inibi enim explanans, qua ratione mixta dici possint esse in actu, ac rursus quęrens quo pacto eadem dici queant esse potestate; virtute tantùm, & in potentia in mixtis elementa residere subiungit hęc scribens. *Quoniam autem sunt entium illa quidem potentia, hæc autem actu, contingit mixta esse quodammodò, & non esse, actu quidem existente alio generato ex ipsis, potentia autem quid vtriusque eorum, quæ erant, antequam miscerentur, & non deperdita. Videntur enim ea, quæ miscentur priùs ex separatis conuenientia, & possibilia separari rursus. Neq; permanent igitur actu, vt corpus, & album, neq; corrumpuntur, neq; alterum, neque ambo, saluatur enim virtus eorum, ideo &c.* Sentiebat videlicet philosophus, neq; absoluta corruptione deleri.

Aristotelis authoritas.

neq;

neq; integra, & perfecta, sed virtualiter duntaxat elementa conseruari in mixtis, eò q; virtutes eorum, ideſt, qualitates remaneant. Præterea eodem libro t. 86. ait ad veram, & germanam mixtionem duntaxat opus eſſe, vt ea, quæ miſcentur non planè actu, & integra exiſtant, ſed ſufficere, vt ſint in qualitatibus ſuis temperata, ſecus non mixtio, ſed iuxta poſitio ſequeretur, ſicq; non vera, ſed putata ſolùm mixtio foret. Amplius ad idem demonſtrandum inſignis eſt eiuſdem philoſophi locus lib. 2. de partibus animaliũ ſub initiũ cap. 1. in quo triplicem rerum eſſe compoſitionem decernens ſtatuit primo loco eam compoſitionem, quæ ex primoribus totius vniuerſitatis corporibus efficitur, quam docet non tam ex elementis, quam ex elementorũ virtutibus, & qualitatibus conflari; nempe innuens hac loquendi formula ſubſtantialem corporum compoſitionem non ex formis, ſed ex quatuor elementorum affectionibus fieri. Sed audiamus Ariſtotelem hiſce verbis ſententiam ſuam explicantem. *Cum itaq; triplex ſit compoſitio, prima ſtatui poteſt ea, quæ ex primordijs cõficitur ijs, quæ nonnulli elementa appellant, terram dico, aquam, aerem, ignem; ſed melius fortaſſe dici poteſt ex virtutibus confici elementorum, ijsq; nõ omnibus, ſed vt ante expoſitum eſt, humiditas enim, & ſiccitas, & caliditas, & frigiditas materia ſunt corporum compoſitorum.* Hactenus ex Ariſtotele.

Illud quoq; noſtræ concluſionis iudicium ſimul, & argumentum eſſe poteſt, quòd ad vnius mixti nobilioris procreationem non elementa ſolùm, ſed etiam plerumq; minus nobile mixtum præexigatur; atqui forma ignobilioris mixti in noui, ac perfectioris mixti

con-

constitutione corrumpitur; ergò corrumpantur, ac esse desinant omninò necesse est formæ ignobiliores elementorum; cum vtriusq; eadem sit ratio; aliter vt rectè intulit Angelicus Doctor, vel nulla mixtio dari posset, vel certè duo corpora, quorum naturæ sic constitutæ sunt, vt ab eadem sede se se inuicem exturbent; atq; sem per expellant, in eadem materię parte sibi ipsis intimè hærerent, quod substantiæ corporeæ repugnat; sumo enim, (vt hinc deductæ illationis robur dignoscatur,) minimam elementaris aquæ particulam, quæ sit in homine formaliter, si aduersarijs credamus; & Auerroem, atq; Auicennam interpellans ab ijsdem sciscitor, num in illa elementaris aquæ portiuncula, quatuor elementares formas esse velint, an verò solam aquæ elementaris formam; cęteras verò esse arbitrentur in alijs viuētis hominis partibus distributas. Si secūdum concesserint, ijdem etiam concedere tenentur, eam non esse mixtionem, sed solummodò iuxta positionem, & impropriā quandam multiplicis formæ aggregationem; cum ex Aristotelis doctrina ad mixtionem opus sit, vt quę miscenda sunt, in eadem penitus materiæ parte subsistant. At si primum affirmarint, quis nō videt, hinc mutuam subsequi corporum penetrationem naturę viribus planè impossibilem, cum elementorum formæ sint corporea fęce præditæ; immò quis non animaduertit, hinc fieri, vt homo non minus igneus, exempli loco, quam sentiens dici iure meritò possit, etenim sicuti homo ritè sentiens, seu sensitiuus appellatur, etiam si vltima, & perfectissima hominis forma sit rationalis animus, quoniam sentientis partis gradu excellit; ita pa-

pariter igneus, vel aqueus non incongruè diceretur, quandoquidem, vt isti volunt, ignem, & aquam in omnibus suis partibus retinet. Ad hæc cum nullum huius inexistentię elementorum in mixtis non dicam exemplum, aut experimentum, sed nec vestigium in humanis membris aliquando apparuerit, irritum, & vacuũ eorum laborem esse cognoscimus qui in viuẽtibus hominum corporibus aquam statuũt; quorsum enim, aut quo impediente defluentibus è vulnerato corpore cæteris humoribus, aqua, & alia elementa, quę sua grauitate ad ima feruntur, prodire non solent? Prętereà cum quodlibet elementum rectę temperationi corporis aduersetur; fieri nullo modo posset, quin paulò ante constitutum corpus, funditús euerteretur. Accedit postremò (libet enim ea, quę supersunt adhuc argumẽta prętterire) corporis humani constitutionem, qua nihil sublimius, & illustrius in hoc orbe reperiri potest, extortam, ac cum primis quatuor elementis pugnãtem fore; etenim cum humana caro destinatum non sit ab omniũ procreatore Deo domicilium, neq; naturalis elementorum sedes, & tamen in ea inclusa teneantur, dubio procul, si suis substantialibus formis gaudent elementa ad mixti compositionẽ concurrentia, aliam sibi sedẽ aqua, aliã ignis, & cętera deinceps elementa naturali impulsu sibi conquirerent spreto corporis humani habitaculo.

Hinc (vt ad cõtẽplationem eius elemẽtaris aquę, quæ Assertoris latus maduit, reuertamur) si quis ppendat ea, quę hactenus tradita sunt, profectò intelliget, nullo ꝓbabilitatis prętextu eã defendi posse opinionẽ, quę contẽdit in sacerrimo Assertoris pectore, quandiu mortalitati obiect⁹ erat, aq̃ circa cordis inuolucrũ statuẽdã esse.

DI-

DISPVTATIO QVINTA.

Qua ratione in mortuo corpore Saluatoris generata sit aqua.

CAP. I.

Vtrum in extincto Saluatoris corpore virtute naturali procreata fuerit elementaris aqua.

QVonam igitur ex fonte cristallinus aquę riuus suam originem traxit? An fortasse valuit natura in defuncto corpore procreasse humorem, quem in viuo nequaquàm potuit inuenire? Censent non pauci in humanis corporibus, vbi primùm mortales artus vitalis calor destituit, naturalem aquam oriri; quamuis huius originis non eadem sit apud illos ratio. Viega enim apud Laurentium in ijs commentarijs, quos in 5. de locis affectis edidit, aquæ in mortuis corporibus repertæ procreationem adscribendam esse opinatur calori cordis, & earum partium, quæ nõ longiús cordi adhæresçunt; hoc enim calore putat Viega vi quadam natiua ita pingues quasdã corporis partes emolliri, & tabescere, vt eæ protinus in aqueum humorem dissoluantur. At hæc opinio, nulli, qui philosophiæ limina attigerit, probari potest; ex ea quippe conficeretur potiori ratione in viuentibus, quã in mortuis corporibus cõstituendam esse aquam, cuius rei tamen oppositum idem ipse Viega tuetur, ac defendit, siquidem validior, robustiorq; cordis caloris virtus est ad pingue colliquefaciẽdum superstite adhuc corporis

Viegapius.

spiritu,

ſpiritu, quàm ad idem munus debiles tenuiſſimi cuiuſdam caloris reliquiæ ſufficientes ſint exhalato iam ſpiritu.

At opinor, dicet, id nequaquam conſequens eſſe ob eum animæ vigorem, quo inſtructæ ſunt eæ ipſæ corporis partes, quæ in aquam facilè conuerterentur, ni ab humano animo pinguiũ partium conſeruationẽ maximè protegente obex naſceretur aquę generationẽ impediens. Verùm quàm iſtud animo rationali minimè congruat, is agnoſcet, qui meditabitur, fieri nullo modo poſſe, vt rationalis animus eas caloris innati operationes impediat, quæ ſuaptè natura neceſſariæ, omninò impermutabiles, atq; ineuitabiles exiſtunt; ergò cum naturali impulſu cordis calor in vicinas partes operetur, & ea ipſa membra patibilis ſint naturæ, & vtraque etiam vel ad agendum, vel ad patiendum ſufficienter propinqua ſint, ſubſequatur, neceſſe eſt, aquei humoris generatio, maximè cum in vegetantis animæ facultates forma rationalis pro libito dominari nõ poſſit. Poſteà cui vnquam, vel cæteris omnibus facillimè aſſentiẽti fidem facere Viega poterit, tenuiſſimum calorem, qualis ille eſt, qui homine confecto in corde ad breue tẽpus reſidet, tamcitò id moliri poſſe, quod diuturnior, & maximus ignis calor vix operatur interpoſita etiam longiori caloris actione?

Obiectio.

Solutio.

Alij verò hunc pericardij humorem generari autumant ex vaporibus membranarum cordis, virtute frigoris reddentis craſſiores tenues vaporum ſubſtantias; ad eum fermè modum, quo terrei vapores attractiua ſolis virtute in ſuperiores aeris plagas euecti á

Secunda opinio.

frigore constipantur, atq; in liquidam humoris substantiam commutantur; velut fieri etiam experimur in ijs ipsis vaporibus, qui perenni motu excitati ex calidis hominum præcordijs ad cerebrum commeant; quod quia maximi frigoris qualitate præditum est, illo eodem frigore delatos ad se humores condensat, atq; in humorē aquæ persimilem eos trāsformat. Sed quę ab istis prodita sunt; velut falsa reijcienda esse arbitramur; cum nullo modo è membranis cordis vapores excitari queāt, nisi maximus calor in præcordijs repe. iatur; at in extincto corpore omnis planè calor paulatim extinguitur; non igitur vaporum motus cieri potest quod nobis intelligi datur ex ijs ipsis exemplis, quæ ad opinionem allatam illustrandam adducuntur sicut enim, neq; ex terrefactis agris terræ halitus deficiente solis virtute, neq; ex præcordij vapores perdito eorū calore naturali elici possunt; ita in præsens prorsus repugnat membranarū vapores cómoueri; cum excitans calor euanuit, quemadmodum in mortuis corporibus accidere solet: ergò non poterit in illis aqua generari.

Quòd si dixerint, id accidere corporibus, dum vitam mortalem agunt, iam istud erit propositæ quæstionis transilire lineas, quandoquidem de mortuis tantùm corporibus sermo est in præsens; quod prętereá euidenti argumento reijcitur, etenim sicut sine calore dari nō potest vaporū excitatio, ita absq; frigoris acrimonia exciti vaporis condensatio consurgere nequit; sed residente adhuc in præcordijs vitali integro calore, frigus omne longius abscedat omnino necesse est. ergò in viuentibus effórmari non poterit aqua etiam excitatis vaporibus.

Alij

Alij arbitrati ſunt aquam originem trahere ex ſero è quatuor vaſorum tunicis exſudante. Docent enim iſti plurimum ſeroſi humoris in arterijs, ac venis humanæ naturæ reperiri; quod interdum impellente, ac efferueſcente calore è venarum foraminulis erumpens ſe ſe in pericardij concauitatem recipit. At nec iſtud mihi planè ſatisfacit; nã eſto, demus illis, quod docẽt, attamẽ nõ de extinctis cadaueribus, ſed de corporibus ſpiritũ ducentibus id iuré duntaxat affirmari poterit, quãdoquidem omnis exſudãdi operatio tunicis adimitur, vbi primũ mors ſuccedit, dum calorem penitus de medio tollit. Adijcio tandem pro clauſula; quo omnes, & ſingulæ allatæ opiniones refelli poſſunt, neq; præcordiorum vapores, ſiue illi ex viuis, ſiue ex ſpiritu orbatis corporibus oriantur, neq; ſerum in arterijs contentum, cum è tunicis procedit, inveram elementaris aquæ naturam abire poſſe virtute frigoris vaporũ ſubſtantias ad concretionem perducentis; quoniam ſola condenſatio nequaquam tantæ virtutis eſſe poteſt, vt differentem informa, & accidentibus vaporum naturam à natura aquei humoris, in veræ aquæ elementum transferre valeat; certum quippe eſt apud philoſophos omnes, impares eſſe condenſationis vires ad tã differentẽ, longeq; diſtãtem pmutationem moliẽdã; nã ſicut, cũ res aliqua tenuior, ac laxior euadit, ſuam ſecũ ipſa ſpetiem retinet, ita ex aduerſo cum res craſſior, ac concretior redditur, in alias tranſire ſpecies minimè poteſt, veluti exemplorum appoſitione mihi comprobare facillimum foret, niſi tritum, ac vulgare eſſet omnium philoſophorum dogma. Differt autem valdè à re noſtra ſimile il-

Tertia opinio.

Condẽſatio ſpecies verũ nonvariat.

lud à sole petitum; quoniam vapores excitati à sole participes sunt veræ, ac essentialis aquæ, quauis in accidentibus non nihil discriminis appareat, ex quo fieri ritè potest, vt sola liquatione, aut concretione accedẽte in liquidam aquam reuertantur; at verò vapores ex præcordijs insurgentes, cum dissimilem admodum ab aqua naturam obtineant, nullum ad elementarem aquam transitum habere posse videntur.

Danielis Mallonij opinio.

Daniel Mallonius super commentarijs in Alphonsum Palæotũ de sacra sindone editis, ex inaudita quadam magnitudine doloris, quo Saluatoris cor angebatur, aquam elementarem ortam esse autumat; docens præ doloris grauitate tot fuisse excitatos humores, vt hi facilè per resolutionem in elementa immediatè cõuerti potuerint; horribili autem dolore affectum fuisse cor Saluatoris probat Mallonius ex reuelationibus B. Brigitæ lib. 1. c. 10., & li. 4. c. 70., quibus in locis cor dominicum vi doloris sciissum esse, & Deipara Virgo, & patiens ipse Iesus de se testatus est. Ex hac etiam opinione addit Mallonius mirè veritatem naturalis corporis Christi comprobari, si aquam ex humoribus naturæ Saluatoris resolutam esse admittamus.

B. Brigitæ.

Sed fortasse non vidit Mallonius hinc sequi aquam in quolibet alio corpore hoc modo potuisse effici, si quando grauissimis doloribus homo afficeretur, quod tamen accidere non solet; immò nulla ratio fuisset, cur in tantam admirationem raptus esset Ioannes Euangelista, cum naturalem aquam fluere vidit ex latere dominico; si tam facili, ac naturali via aquæ generatio in humanis corporibus metu, ac dolore agitatis effici posset.

set. Deinde quis sapiens ita subitò, vt Daniel arbitratur, daret vnquam, ex distinctis, atq; diuersissimis omninò liquoribus elementarem aquam progenerari potuisse? quę vix in corruptis corporibus non nisi post longos, ac varios alterationis motus peragi aliquandò solet. Nec facilè induci possum, vt credam, temperatissimos corporis Christi humores in aquam abire potuisse, vt latius infrà cõtra Tostatũ disputabo. Ad extremum veritas corporis Christi aliundè nulla secuta humorum resolutione ostendi, atq; contra Hæreticos facilè probari potest, vti in sequentibus demonstrabitur;

Porrò ex his omnibus fit, vt in Christi pericardio, neq; quandiú vitam agebat, neq; eo temporis spatio, quo sacros Corporis Christi artus absens animus in sepulcro reliquit, elementaris aqua fuerit.

CAP. II.

Num lateris aqua ex nonnullis corporis Christi resolutis partibus oriretur.

PLacuit alijs opinari emergentem ex vulnere pectoris aquam, non tam pericardij, quàm aliarũ corporis Christi partium fuisse aquam productam videlicet vi corruptionis, cui obnoxium fuit corpus Saluatoris per ea tempora, quibus in terræ sinu iacuit mortuum. Repetunt autem huiusce corruptionis causam ab ijs ipsis principijs, à quibus tota corruptelæ ratio in humana corpora proficiscitur; quæ non alia est, quam terrena corporis nostri cõpositio, ad quam constituendam substantiæ, corporalesq; naturæ concurrunt, quæ vti sua sorte corruptioni obiectæ sunt, quandiù homi-

Aliorum sententia, qua Tostato probabilis visa est.

nis

nis vita manet, ita post humanam mortem ad corruptionem quàm citissimè dilabuntur. Cum igitur neminem lateat ad corporalem corporis Christi generationem quatuor interceſſiſſe elementa, quibus tamquàm intrinſecis principijs corporea Christi natura conſurgebat; omneſq; pariter ſciant naturam Christi corporalem ſuo in robore incorruptam, & immarceſcibilem prorſus tandiú extitiſſe, quamdiú Christi animus vitæ auctor corpori prefuit, ita omnes ſcire tenentur, partes corporis Christi pati cepiſſe reſolutionem aliquam, ſeú, vt clarius dicatur, corruptionem, vbi mortis interuentu, euolauit animus Saluatoris. Etenim cęleſtes globi ſolitis influxionibus eam protinus immutarunt corporis Christi virtutem, qua presēte corruptio impediebatur, hincq; factum eſt, vt compacta prius in corpore domini elementa ſeſe ab inuicem ſeiungere, & ad priſtinam ſeſe naturam reducere incęperint; nēpe elementa, quę, vt ſuperiús diſputatum eſt, in corpore domini virtute inerant, initium fecerunt redeundi ad naturalem ſuæ ſubſtantię ſtatum, ſicq; non nullæ tenerrimæ carnis Xpi partes veram elementaris aquæ naturam ſortitæ ſunt; quæ ad ictum lateris properans vna cum ſanguine profluxit.

Prefati ad monitio. Monent tamen hi Doctores, quibus probabilis viſa eſt hæc opinio, non quouis temporis articulo poſtquam è viuis abſceſſerat Christus elemētarem aquam potuiſſe in corpore dominico generari, (ſiquidem neq; ſub ipſum iam iam expletæ vitæ tempus, neq; etiam paulò poſt progenerari potuit aqueus liquor cęleſtium orbiū virtute corpus Christi ad corruptionem impellente,)

ſed

ſed certum quoddam temporis ſpatium neceſſariũ fuiſſe, vt ex reſoluẽdis partibus aqua reſultaret, quod euidenti ſatis ratione demonſtrare ſe poſſe arbitrati ſunt. Etenim cęleſtium corporum operatio, cuius virtute ſubſtãtiales corporis Chriſti partes in elemẽtarem aquam trãsferrebantur, nec momẽtaneo, nec indiſſecabili temporis articulo, ſed ſucceſſionibus menſurabãtur; at quæ huiuſmodi ſunt protinus effici non poſſunt, igitur ea alteratio, & trãſmutatio, ex qua aqueus liquor ſuam effectionem habuit, ſtatim poſt mortem peragi nequiuit in corpore Aſſertoris.

Ex quo colligi etiam poteſt, nihil elementaris aquę fuiſſe é latere dominico emanaturum; ſi fortaſſis à militeAſſertoris lateri vulnus fuiſſet inflictum ſtatim, ac obdormierat Chriſtus. Verùm quia ab obitu Chriſti, vſq; ad lateris vulnus, tres fermè horæ fluxerunt, idcircò reſoluta ex minutiſsimis corporis Chriſti partibus per totum id tempus aqua decurrit è latere.

Argumentationibus opinio Toſtati probatur.

Poteſt autem nonnullis argumentationibus huic opinioni fides aſtrui. Nam corpus dominicum ex quatuor primis ſubſtantijs compoſitum erat; compacta aũt ea ratione corpora poſt mortem in eaſdem priores elementorum naturas reuoluuntur, vt auctor eſt Ariſt. lib 2 de generatione, & corruptione non vno in loco.

Amplius ad indagandam lateris aquæ generationem nulla alia congruentior ratio præſenti ratione aſſignari poteſt, quorſum igitur ab hac opinione recedendum?

Deinde ex reſolutis partibus effectam eſſe elementarem aquam lateri coginur, ſi paſſionum, ac tormentorum

rum Christi finem perpendamus. Etenim sicut dominus, nō vt sibi, sed quō nobis opem ferret opportunam, mori præoptauit, vt ab ęternę mortis tyrannide homines vindicaret; itá pariter aliquæ saltem dominici corporis partes resolutioni, & corruptioni addictæ esse debuerunt, quō putredinem, & humanæ naturæ corruptionem procul à nobis esse propulsādam hoc exemplo cōmonstraret, vti nobis accidet, cum redintegratis recenter humanæ mortalitatis nostræ partibus rediuiui
Innoc. Pap. infinitam diuini vultus maiestatem inruebimur. Ad extremū probabilem reddunt hanc Tostati opinionem ea Innocentij verba, quæ libr. 3. decretalium t. 41. de celebratione Missarum cōsignata sunt; his enim innuere videtur Pontifex, aquam è dominico latere procedentem ex resolutis corporis Christi partibus originem traxisse; velut ista testantur. *Proculdubio fuit aqua vera, cum naturaliter posſit, & compositum in componentia, et elementum in elementa resolui.*

Etsi Episcopus Abulensis referat hanc opinionem, eiq; paradox. 2. cap. 30. tamquam probabili sententię subscribat; Nos tamen cōmuni Sāctorū Patrū, & totius Ecclesiæ assensu persuasi longè aliud lateris aquæ opificium fuisse credimus, pro certo existimantes nullum putrefactioni, aut corruptioni locum in sacrato corpore Christi fuisse; ad quod persuadēdum satis, superq; manifestū videtur illud psalmographi vaticiniū, quod,
Psalm. 15. de morte Assertoris loquens, psal. 15. protulit dicens, *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*; hoc est nō patieris Christum sanctitatis fontem aliquam sui corporis corruptionem subire, quemadmodum explicat

Beatus

Beatus Petrus actorum 2. Vbi *Propheta*, inquit, *cum eſſet, & ſciret; quia iureiurando iuraſſet illi Deus de fructu lombi eius ſedire ſuper ſedem eius, prouidens locutus eſt de reſurrectione Chriſti, quia nec derelictus eſt in inferno, nec caro eius vidit corruptionem.* Actorū 2.

Quòd ſi quis occurrat dicens prædicta Prophetæ, & S. Petri teſtimonia de abſoluta corruptione, quam poſt vitæ curriculum humana cadauera incurrere ſolent, non verò de hac exigua partium corporis Chriſti reſolutione accipienda eſſe, ei obijcienda eſt Diui Damaſceni ſententia, qui lib. 3. fidei ortodoxæ citatum teſtimonium non de omnimoda ſolùm, ſed de minima etiã quauis corruptione (vti ea eſt, de qua nunc agitur) iuxta litteralem ſenſum interpretatur ſic inquiens. *At rurſus corruptionis vox perfectam corporis in elementa, ex quibus compoſitum eſt, diſſolutionem, & extinctionem ſignificat, quæ quidem etiam à pleriſq; interitus appellatur, quod quidẽ corruptionis genus domini corpus haud quaquàm expertum eſt, quemadmodum ait Dauid propheta. Quoniã non derelinques animam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem,* & mox de corruptione ſimiliter loquens ſubdit, *at ſecundò corruptionis ſignificatu* (de quo nos loquimur) *incorruptibile hoc eſt interitus expers domini corpus confitemur, quemadmodum pij patres tradiderunt.* Sic Damaſcenus, qui nomine corporis non totum duntaxat Mediatoris noſtri ſuppoſitum, ſed quamlibet etiã corporis Chriſti partem; hoc eſt non corpus collectiuè, vt aiunt, ſed etiam diſtributiuè ſumptum ſignificauit, velut ſeriem eius capitis ponderans clarè intelliget. Obiectio. Reſponſio. S. Damaſcenus lib. fidei ortho doxæ 3. ca. 28.

Poſſunt autem huius corporis Chriſti incorruptibi-

Immarcescibilitatis corporis Christi probabiles aliquot rationes.

litatis nonnullæ congruentes rationes adduci. Principiò, sicuti præpotenti Deo id curæ fuit, vt extincti corporis dominici nullum os vim factionis pateretur; voluit enim illud planè integrum, & innocuum conseruare, velut ex Euangelico Ioannis contextu colligitur, ita ne Christi carnem putredo, aut corruptio aliqua inficeret, prospicere omninò debuit; cum maximè talem ab omni tabidi humoris impuritate præseruationem diuina Saluatoris nostri maiestas sibi vindicaret; quippe quæ ad eum dignitatis gradum super cæteras creaturas euecta est, quē vix capere potest humanæ intelligentiæ facultas. Ad hæc, diuinæ iustitiæ opus erat, vt corpus Christi, quod nec dum soluto mortis debito infiniti opprobrij, & omnibus cuiuslibet conuicij, & iniuriæ telis fuit obnoxium, prostrata iam morte omnibus diuinę munificentiæ donis, maximis honoribus, ac insigni immarcescibilitatis gloria præ cęteris fulgeret.

Posteà Saluator noster aliquod diuinitatis suæ argumētum, quo Dei filius cognosci posset à creaturis, ex peremptis humanæ naturæ suæ membris erutum Iudæis indicare quodammodo tenebatur; atque hoc perbellè clarum, & illustre omnibus oblatum est secum ipsis reputantibus, fuisse Dominicum corpus ab omni cuiuslibet peregrinæ alterationis, aut putredinis tabe immune, cum cætera humanæ mortalitatis membra adeò absolutam minimę putrefactionis qualitatem fugere nequeant. Quid? Deipara Virgo, quæ sinu, gremioq; suo sanctissimi Assertoris nostri corpus fouit, nullam, vt piè, religiosèq; communis Patrum, & fidelium vox attestatur, sensit deficientis, ac marcescentis naturæ labem,

bē,& audiēdi erutij,qui auctori, & datori immarceſcibilitatis Mariæ putredinē aliquā nō verētur adſcribere? Profectò ſi extinctam matris ſuæ naturā ſic moderatus eſt Deus, vt nulla alienis corporibus virtus infeſta, matri ſuę aliquod inferret detrimentum; quis importunę corruptionis impetus ad ſacros vſq; Saluatoris artus penetrare potuit? Prętereà cum per eā partium reſolutionem nihil Chriſtus,aut mereretur,aut prodeſſet mortalibus; cuius dūtaxat rei cauſa tot ab eo ſuſcepti labores fuêre; inanis, & ſuperuacua hęc tenerrimę etiā carnis putredo, aut reſolutio fuiſſet.

Sed ad Toſtati cōtemplandam opinionem propiùs accedamus; atq; ſe ipſam penitus deſtruere oſtēdamus ex attenta eorum,quę hactenus dicta ſunt,meditatione; ait igitur tribus fermè horis,(tot enim ab obitu Chriſti, vſq; ad lateris vulnus dinumeratę ſunt)totam elementaris aquę copiā,quę profluxit,ex reſolutis naturę Chriſti partibus fuiſſe progenitā;atqui vel ex hoc ipſo idem Toſtatus dicere tenetur, multo abundātionem liquorem futurum fuiſſe,ſi quatuor,vel quinq; horarum defluxiſſent interualla, antequam lanceę ictu pectus domini patuiſſet; hincq; ſtatim conuincitur dominicum corpus,vel omninò, vel maiori ex parte per tridui ſpatium,quo ſpiritu vitali caruit,in aquam fuiſſe reducendum vi influxionis orbium cęleſtium, qui perpetuò in extinctum Chriſti cadauer neceſſario motu operabantur; quod quis vel irreligioſus poterit ſuſpicari? cum nec alia hominum extincta corpora,quę ad corruptionem incitatiſſimo curſu ferruntur, ſimili reſolutionis ſpetie populſari ſoleant; quis enim ex peremptis cadaueribus

Toſtati opinio vrgetur.

aliquos limpidissimę, aquę riuos aut vidisse, aut cognouisse memoriæ prodidit vnquam; quamuis articulatim disectum, & minutim per arterias, venasq; incisum fuerit corpus? Ad extremum ea elementaris aquę generatio iuxta Tostati sententiam planè necessaria fuerat, vt potè ab effectore necessariò operante & incępta, & propagata; ergo cum ęquali motione circa omnes corporis domini partes idem agens detineretur, idem pariter in reliquis Christi mẽbris debuerat operari, quod in latere effecerat; & tamẽ neq; ex manibus, neq; ex pedibus terebratis clauis ferreis nulla minima elementaris aquæ pars prodijt, quãuis paterent corporis Christi vulnera, vti post depositionem cadaueris Christi è ligno crucis contigit, quin immo neq; ex incisis flagellorum sęuitia costis Christi aquei humoris quicpiam apparuit; ergo in aliã longè diuersã causam aquę lateris productricem conijciendum erit totum istud lateris aquę opificium.

CAP. III.

Argumentorum nexus dissoluuntur.

PRæcipuè cum ea ipsa argumenta, quæ nobis ipsi oppositimus, per facilem explicatum habeãt. De primo nonnullorum iudicium fuit, corpus Assertoris, etiamsi quatuor elementis constaret, haud tamen corruptionis sordibus potuisse inquinari virtute eius vnionis, quam theologi hypostaticam appellant; siquidem illa perdurante, (duratura autem erat in perpetuas ęternitates) nulla tabe corpus mediatoris potuisset vnquàm labefactari. Mea tamen sententia est, (si vsitatum diuinę prouidentię rebus prospiciendi morem cõsideremus

ſideremus)id nequaquam ab ineffabili vnione,qua Verbum carni Saluatoris copulabatur in perſonæ vnitatẽ, aſſequi potuiſſe dominicum corpus; etenim ſicut diuinus ille Verbi cum humana natura nexus nullius operationis potuit eſſe principium, vt concordi ſententia docent omnes fermè theologi; ita ſimiliter ad propulſandam lõgius è corpore Chriſti corruptionem nullius virtutis fuit. Quare ſicuti diuinus humanæ Chriſti naturę nexus formaliter, & ex ſe conſideratus potis nequaquã erat prohibere,ne mors Chriſto inferretur, ſic non valuit inhibere,ne putredo mortis effectus Aſſertoris partes immutaret.

Toſtatus in ſecunda opinione,quam de productione aquæ lateris recitat,& ſequitur libẽtius, ſentit exanimẽ Vindicis noſtri naturã putreſcere quidem potuiſſe;non tamen id accidiſſe, propterea quòd cęleſtium orbiũ influxiones nullam in mortua Chriſti mẽbra exercere operationem potuerunt,quandoquidẽ omnes huiuſcemodi cęlorum influxus caſsi, & irriti penitus reddebãtur à virtute, ſeu qualitate quadam dominicis artubus impreſſa,qua vigente illęſa,atq; planè immaculata cõſeruabantur Chriſti domini membra. Verùm haud ſcio, qua ductus ratione Epiſcopus Abulenſis ad repellẽdas cælorum iniurias huiuſcemodi affectum fuiſſe qualitate corpus Chriſti arbitratus ſit, quam nec res ipſa exigit, nec patrum,aut theologorum auctoritas tuetur; & res ipſa quidem nulla opus fuiſſe impreſſa qualitate declarat,quoniam fidem humanam excedit opinari,Aſſertoris corpus non irriguiſſe frigore, dũ in ſubterraneis locis commorabatur,aut ardenti ſolis,& ignis æſtu idem

Toſtati reſponſio.

Toſtati ſententia oppugnatur.

corpus

corpus non potuisse incalescere, si ad solem, aut ignem propiùs fuisset admotum; & tamen, si virtus illa corpori dominico adfuisset nullo modo ista concedenda forent iuxta allatam à Tostato opinionem, quæ nulla fide digna est, cum non minus cœli iniurias, quam ictum cuspidis pati potuerit Saluatoris corpus.

Nullam verò eidem Tostato suffragari auctoritatẽ, vel hinc patere potest, quod nullus aut Patrũ, aut Theologorum huiusce meminerit qualitatis membris Christi superadditæ; immò si res pro dignitate perpendatur, non potuit in mortuo Assertoris corpore produci talis virtus, ne eam impatibilitatis, & incorruptibilitatis dotem mortua membra adipiscerentur, quam scimus Assertoris corpori duntaxat conuenientem fuisse post perfectam humanæ vitæ ad sempiternam gloriam à mortuis reparationem; aliter prius diuinis, & admirabilibus donis, quibus rediuiuum corpus insigniri debuerat, nec dum excitata è mortuis caro Christi potita fuisset, quod erat statutum diuinæ prouidentiæ ordinẽ anteuertere, vbi minimè opus est. Adijce præterea superuacaneam esse huius impressæ virtutis productionem; Nam si, vt disertissimis verbis docet, atq; declarat S. Augustinus mortalitas Adæ, si diuinis præceptis optemperasset non modò non peruenisset ad mortem, sed nullis corruptelæ iniurijs fuisset obnoxia; siq; quod non minorem habet diuinæ virtutis splendorem, nec vestimenta, nec calceamenta Israelitici populi per præ rupta montium, ac per vastas orbis terrarum solitudines pererrantis quadraginta annorum spatio obtrita sunt. Immò neq; duo illa clara sanctitatis, & integri-

Israelitarũ calceamenta spatio 40. annorũ non attrita in deserto.

tatis

catis lumina. Henoch, & Elias tot annorum millibus morte, corruptioneue aliqua defecerunt abſque vlla ſpiritualis, aut corporalis qualitatis ope, quæ vel Adæ, vel Hebræorum veſtibus, vel Sanctorum Prophetarum corporibus fuerit indita, qua ratione poterit quis in mortuo Chriſti corpore nouam effingere qualitatem, quæ illud ab omni contagione illæſum conſeruauit. Sed ſi fortè quę iuuat legere, quid tradat Beatus Auguſtinus de Adamo, atq; illis alijs, ex quibus intentum noſtrum patere poſſe arbitramur, adeat librum primum de peccatorum meritis, & remiſſione ad Marcellinum cap. 2. & 3. *S. Auguſt.*

Et interim tranſeamus modò ad eam argumenti ſolutionem quæ verior cenſenda eſt. Arbitramur enim ſpectata corporis Chriſti natura, quæ terrenis, & caducis ſpolijs veſtiebatur, fuiſſe corpus à corruptione abſorbendum, attamen credimus ſingulari virtute diuina illud fuiſſe præſeruatum, propterea quòd corruptricẽ cælorum operationem, quæ naturæ impulſu ad inferendam dominico corpori tabem ordinabatur, ſolito incurſu Deus minimè proſequeretur, ne ea membra, quæ Dei præſentiam ſentiebant, corruptionis ſordibus contaminarentur.

Ad ſecundum. Licet communibus philoſophiæ inſtitutis inhærendo idonea videatur Toſtati opinio ad explicandam aquæ lateris effectionem, quia tamen ex ſublimioribus aqua illa manarat principijs, idcirco ad habendam huiuſce myſterij notitiam philoſophica ſubtilitate opus non eſt; quę ad fictionem magis, quam ad veritatem accedit.

Ad

Ad tertium. Nihil autem à fine passionis Christi magis erat alienum, quam aliqua corporis tabes, quæ non diuinę tantùm Saluatoris dignitati, verùm etiam saluti, vtilitatiq; nostræ derogasset. Quare verum quidem fuit ad humanam captiuitatem redimendam, Dominũ succubuisse morti; at hinc tamen inferre non licèt, eũdem Saluatorem etiam corruptioni, vt nos ab eodem naturæ incommodo præseruaret, fuisse obnoxium. Etenim mors Christi nõ modò varijs meritis cumulabatur, verùm etiam illam tunc temporis non ex naturali necessitate, sed libero voluntatis arbitrio pertulit. E contra autem corruptio corporis Christi, neq; ad meritum aliquid prodesse poterat, neq; tàm libera, quàm necessaria hominibus videri potuisset, ex quo, [licet temerè,] collegissent infideles Christo dño defuisse Diuinitatẽ, velut angelica claritate enucleatius expresit S. Th. 3. p.q. 51. a. 3. in resp. ad primũ his verbis. *Christus cũ non esset subiectus peccato, neq; morti erat obnoxius, neq; incinerationi, volũtariè tamen mortem sustinuit propter nostram salutem secũdum rationes supradictas* (quæ videlicet q. 50. a. 1. habẽtur) *si autem corpus eius fuisset putrefactum, vel resolutum magis hoc fuisset in detrimentum salutis humanæ, dum non crederetur in eo esse virtus diuina. Vndè in persona eius in ps. 29. dicitur, quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendero in corruptionem.* Hactenus, ex S. Th. Adde postremò eodem Saluatoris interitu absolutam humanæ naturæ immarcescibilitatem obtẽtam fuisse, cum mors Christi infiniti meriti, & valoris esset, quo absque corporis sui corruptione pro mortalium putredine in viuam carnem reparanda Deo cumulatissimè satisfecit.

Cur corpus dominicũ corruptioni non fuerit obnoxium.

S. Thomas

Ad

Ad extremum. Innocentij Papæ auctoritas minimè nobis aduerſatur, quæ de eo, quod fieri potuit, non autē de eo, quod re ipſa contigit, militat, ſi attentius perpendatur; ſiquidem abſolutè loquendo in cineres, & aquā redigi potuit corpus dominicum, quippe ℘ mixtū erat, ac proinde etiam diſſolutioni obnoxium; vt ſolius naturæ virtutem ponderans Ariſtoteles de alijs hominum corporibus docuit. An verò reipſa iſtud ex partiū reſolutione contigerit, colligi non poteſt ex verbis Innocentij hunc ad modum loquentis. *Reſtat igitur, vt qualiſcunq; fuerit illa aqua, ſiuè naturalis, ſiuè miraculoſa; ſiuè de nouo diuina virtute creata, ſiuè de componentibus ex parte aliqua reſoluta, proculdubio vera fuerit.* Ex quo clarè cōuincitur Sūmi Pontificis definitionem ad id duntaxat reſpexiſſe, de quo tunc temporis apud catholicos ſubor ta fuerat dubitatio; Vtrum videlicet vera, & naturalis aqua, an magis phlegmaticus humor eſſet ille liquor, qui ex latere Saluatoris proceſſit. ſtatuit enim id liquoris veram, ac naturalem aquam fuiſſe, à quocunque illa profluxiſſet principio, de quo ſtatuere Summus Pontifex non curauit.

CAP. IV.

Singulari diuinæ virtutis miraculo aquam lateris Chriſti productam fuiſſe.

COgnitis igitur, nec non etiam confutatis ſuperioribus ſententijs, reſtat illud pertractandum, vbi totius diſputationis cardo verſatur; quanā ratione, quoue auctore hęc aqua in latere Domini protinus extiterit. Et quidē ex hactenus diſputatis in prō-

Miraculosè aqua lateris Christi producta est.

ptu est certâ huius productionis aquæ causâ attingere, quæ solùm in diuinam virtutem, & omnipotentiam conijcienda est, qua Deus teste Apostolo vocat in lucẽ ea, quæ non sunt, tamquam ea, quæ sunt. Huius autem vnitatis ratio nõ obscurè elici potest à sufficienti aliarũ causarum enumeratione, quarum nulla aliquam inopificio aquæ efformando virtutem habere potuit, vti iã fusius est comprobatũ. Idem pariter cæ ipsæ rationes, quibus ex resolutione partium fieri aquam haud potuisse, vidimus, apertissimè declarant. Tandem est hęc peruulgata, omnibusq; (præter eos, quos supra redarguimus) tam patribus, quam sacri eloquij interpretibus probata opinio. Hanc enim docet D. Ioannes Chrisost. hom. 94. in Ioannẽ, vbi de duobus sanguinis, & aquæ fontibus loquens innuit, diuino factum esse consilio, vt aqua scaturiret. *Exiuit*, inquit ille, *sanguis, & aqua. Non casu, & simpliciter hi fontes scaturierunt* (sed virtute Dei, vt arbitror subintelligendum) *quoniam ex ambobus Ecclesia constituta est*. Diuus præterea Damascenus adest opinioni nostræ illis verbis, quæ lib. 2. pararell. c. 14. habentur. Nam aquę productionem ex latere Christi cõferens productioni primæ Matris omnium mortaliũ, Euam dico, quam ex latere dormientis Adæ efformauit Deus, hæc ipsa tradit. *Christus de latere Ecclesiam cõdidit; quemadmodum antiquitus Euam de latere procrearat. Vnde & Paulus dicebat, ex carne eius, & ossibus eius sumus, latus videlicet subindicans. Quemadmodum enim tunc Deus costam supresit, & fœminam effinxit, sic nobis sanguinem, & aquam ex ipsius latere dedit, & Ecclesiam formauit.* at vti nullus non suspicit in illo priori opere miraculũ,

S. Ioannes Chrisost.

D. Damascenus.

ita

ita etiam omnes in hoc posteriori diuinam demirari tenentur omnipotentiam; quandoquidem, iuxta S. Damasceni placitum, diuinæ virtutis opus vtrumq; fuit. Præterea huic sententiæ fidem adiungit, quod legitur apud Rupertum Abbatem lib. 2. in Genesim c. 37. vbi locum hunc scripturæ pertractans, non alias inferiores causas, sed Deum ipsum aquæ lateris effectorem facit ad hunc modum scribens. *Cæterùm in Christo, & in Ecclesia Sacramentum magnum hoc est, quia sic admisit in se Christus soporem mortis susceptæ pro voluntate Patris obedientia, & tulit Deus de latere eius sanguinem, & aquam, de latere inquam eius dormientis, id est, iam mortui sanguinem, & aquam per lanceæ vulnus eduxit.* Sed illustrissimum huiusce rei est S. Cypriani testimonium, quo miraculosam aquæ substantiam lib. de duplici martyrio appellat, dū inquit. *Erat, & illud præter naturæ cursum, quod è latere exanimati corporis sanguis, & aqua profluxit.* Hucq; tendunt omnia illa sanctorum Patrum testimonia, quibus affirmant non planè vacare mysterio, quod è latere exanimati corporis sanguis, & aqua distillarint; quemadmodum mihi ipsi facilè persuadeo de mente S. nostri Patris Ambrosij in Lucam c. 23. & Euthymij, & Theophylacti in Matthæum. Sed nullo modo præteriri potest, quod in hanc sententiā tradit Angelicus Doctor. 3. p. q. 66. ar. 4. ad 3. Sic enim scribit. *Aqua fluens de latere Christi pendentis in Cruce non fuit humor phlegmaticus, vt quidam dixerunt, in tali enim humore non posset fieri baptismus, sicut nec in sanguine animalis, aut in vino, aut quocunq; liquore alicuius plantæ: fuit autem aqua pura miraculosè egrediens è corpore mortuo, sicut & sanguis.* Nec aliud

Rupertus.

S. Cyprianus.

S. Thomas

S. Thomas in Ioannē. sentit lectione 5. in Ioannem, cum scribit. *Fluxus aquæ inficiari non potest, quin miraculosus existat, cum aqua exiēs purissima sit.* Credidit, & simul etiam hanc veritatem apertè docuit Titelmanus in Ioannem, ea ipsa verba explanans, de quibus loquimur. *Statimq;* (verba sunt Titelmani) *aperto latere sanguis, & aqua diuinæ virtutis miraculo ex corpore illo exangui, & prorsus omni virtute exhausto profluxerunt in mysterium redemptionis, & regenerationis credentium.* Quod prętereà expressit Dionysius Carthusianus in illud Ioannis 19. vbi *communiter*, inquit, *dicitur, quia vera aqua exiuit de latere Christi, non vtiq; naturaliter, sed miraculosè propter mysticas rationes.* Quibus omnibus ea facile congruunt, quę super eundem Ioānis locum tradit Lyranus, dum inquit. *Sciendum tamen q̄ ista aqua miraculosè exiuit, quia nō fuit humor phlegmaticus, vt dicunt aliqui, sed aqua pura, ad ostendendum, quod corpus Christi erat ex veris elementis compositum.* Sed quid plura? An non omnibus, quotquot fermè sunt, sacrarū litterarum interpretibus, plana, & indubitata est hęc, quā in pręsens tuemur, sententia: quam adeo lubenti animo amplectuntur, vt etsi de sanguinis miraculo nonnulli dubij extiterint, ij tamen de aquę miraculo nihil huiusmodi veriti sint, quemadmodum docuisse scio Caietanū ex ijs, quę edidit in Ioannem cap. 19. his verbis. *Quidquid sit de sanguine, quoad miraculum, quoniam de corpore nuper mortuo non apparet euidenter esse miraculum, exire sanguinem. Ex eo tamen, quod aqua simul exiuit, insinuatur ēt, quod sanguis miraculosè exiuit.* Adeat lector Franciscum Suarez. 3. p. q. 51. ar. 3. disput. 41. sect. 1. Toletum in cōmentarijs super Ioannem citato loco Franciscum Lucā

Titelman.

Dionysius Carthusianus.

Lyranus.

Caietanus.

Bur-

Burgenſem, Alphonſum Salmeronem tract. de paſſione Chriſti, Sebaſtianum Barradium in concordia, & hiſtoria quatuor Euangeliorum to. 4., Ioannem Maldonatum, & tandem, vt ſemel finiam, cęteros omnes ſacrę paginę ſtudioſos, quos omnes opinionis noſtræ propugnatores eſſe comperiet.

CAP. V.

Num genita, an procreata ſit à Deo lateris Chriſti aqua.

SEd quęret hoc loco quiſpiam, Vtrum generatio, an creatio potius ſit appellanda operatio ea, qua diuina virtus aquam produxit? Etenim cũ vtraq., generatio videlicet, & creatio, æquè Deo familiaris ſit; vt aperiamus, opus eſt, quanam potiſſimũ, ex his duabus, ratione vſus ſit Deus ad collocandam in latere Saluatoris aquam. conſurgit enim aperta dubitandi occaſio, cum nonnulla momenta rationum generationem, quædam verò alia creationem inducere, atque aſtruere videantur. Et pro generatione quidem citatum ſuperiori capite S. Damaſceni teſtimoniũ pugnat, ſi in propria, & ſtricta ſignificatione accipiatur. ſcribit enim, Deum eadem diuinæ virtutis arte efformaſſe aquam ex Saluatoris mortui latere, ac ex ſoporati protoparentis noſtri Adæ coſta effinxit, atq; efformauit coniugem illius Euã: atqui ædificatio mulieris ex Adamo non creatio, ſed generatio fuit; pariter ergo ex corporea Chriſti ſubſtantia progenitam, non verò creatam fuiſſe lateris aquam affirmandum erit. Amplius hãc de generatione lateris aquæ ſententiam valdè commendat S. Auguſtin. lib. 2. de Symbolo ad cathecumenos ſic ſcribẽs. *Et quomodo*

Rationes pro generatione militantes.

S. Auguſt. de ſymbolo ad cathecumenos cap. 6.

modo Eua facta est de latere Adæ dormientis; ita Ecclesia formaretur ex latere Christi in Cruce pendentis. Percussum est enim eius latus, vt Euangelium loquitur, & statim manauit sanguis, & aqua, quæ sunt Ecclesiæ gemina Sacramenta. Ex quibus id, quod volumus, intelligi datur, cum sentiat, atq; vltrò fateatur Augustinus, eodem modo, eademq; ratione productam esse ex Assertoris latere elementarẽ aquam, ac ex Adamo alto sapore correpto Eua efformata est, quam procul dubio operationem iure merito omnes generationem appellant. Deinde, auctoribus D. Anselmo, & Athanasio, Deus tunc aliquid creare dicitur, cum in hanc lucem edit ea, quæ nullo modo extiterunt, sine vllius rei aut ope, aut opera, seu, vt Magister sententiarum loquitur, tunc Deus creans est, cum de nihilo aliquid operatur; in re autem nostra, neq; ex nihilo, neq; non adhibito rei cuislibet creatæ auxilio aquæ effectionem molitus est Deus, quippe qui ex latere, & intimis Christi præcordijs non sine membrorum ope aquam eduxit. Ad extremum, eduxit Deus, vt omnes fermè Patres loquuntur, liquorem aqueum è sacrato Christi pectore, at eductio generationi, non autẽ creationi adscribenda est, auctore Aristotele, & cæteris omnibus philosophis; sic enim cum mundialem hanc machinam produxit Deus, non eam eduxisse, aut ex præsuppositio aliquo subiecto efformasse, sed duntaxat creasse ex nihilo dicitur.

Quid sit creare.

Quid pro creatione pugnet.

Ex aduersò tamen aquæ ex latere emanantis productionem non generationi, sed creationi deferendã esse, ea, quæ proximo capite sumus executi, persuadẽt; siquidem aduersus Tostatum probauimus, lateris aquam ex

nulla

nulla partiũ corporis Christi materia traxisse principium; propterea quod nullas, aut corruptio, aut resolutio vires exerere potuerit in sacratum illud Iesu Christi suppositum, quod tamen sustineri haud posset, si genita, non autem creata fuisset à Deo lateris Christi aqua; nam cum generatio sit *mutatio totius in totum, nullo sensibili remanente, vt subiecto eodem*, vti eam definit Aristoteles, dubio procul mutationi, atq; corruptioni obnoxium extitisset Mediatoris corpus, saltem ratione earum partium, quæ per generationem cecidissent, cum eæ videlicet propriam, ac naturalem formam deperdẽtes, in aquam transferrentur; vulgatum quandoquidẽ est apud philosophos omnes, nullius rei generationem cõtingere posse, nisi rei alterius corruptio consequatur; *cum generatio vnius sit corruptio alterius*, vt Aristoteles loquitur; ex quo clarè conuincitur, eum, qui genitam ex membris Christi fatetur esse lateris aquam, teneri cohærẽter asseuerare, corruptionem pariter aliquam nõ subterfugisse Saluatoris corpus; ergo superest tantũ, vt dicamus, dominici lateris aquam non generationis, sed creationis via ortam fuisse.

Præsens difficultas duplici assertione satis expediri, ac tolli posse mihi videtur. Prior assertio huiusmodi est. *Quæstionis enodatio.* Aquæ productio, spectata tantúm corporis Christi materia, nullo pacto generatio esse potuit, vti conuincitur ea ratione, quam ex incorruptione, & omnimoda immarcescibilitate corporis Christi petiuimus. fieri siquidem minimè poterat, vt saluata membrorum corporis Christi absoluta integritate, ex eodem corpore elementaris aqua progigneretur, cuius generationem ineuitabili

bili serie corporis Christi corruptio comitatur. Posterior assertio est. Quamuis credibile, & vero simillimũ sit, creatam fuisse lateris aquam, potuit ea nihilominus citrà corporis dominici defectum, & corruptionẽ generari.

Quadripartita creationis distinctio.

In cuius assertionis illustrationem lectorem præmonere oportet, pluribus quidem, sed præcipuè quatuor modis apud sanctos Patres vsurpari creationem; quandoq; enim pro generatione, & natiuitate accipitur, vti monet S. Augustinus de fide, & symbolo, & D. Hieronymus in illud Apostoli, *renouamini spiritu*; nonnunquàm verò sumitur pro eo, quod est facere, seu condere aliquid, quod anteà non fuerit, quocunq; modo id fieri contingat; siuè nimirùm id, quod prius fuerat, in alium naturæ statum transferatur, fiatq; non absolutè, sed tantummodò secundum quid, siue potius illud, q; diù extiterat, restauretur, atq; renouetur: quo in sensu creationis vocabulũ vsurpauit S. Hieronymus ad Ephesios 2. in illud *creat in bonis operibus*; vbi creationis nomine, nõ strictè creatio, sed renouatio, & reformatio spiritualis intelligitur. Sæpè etiam idem sonat creare, ac condere, seu ordinare, ac disponere, vti adnotauit D. Basilius in eo sermone, quem habuit ad probandum, Deo tamquàm auctori peccata tribuenda non esse, pertractans illud Isaiæ. *Ego faciens bonum, & creans malum*, cuius diuinæ sententiæ germanus sensus est. Ego Deus, qui non solùm bona molior, verùm etiam malum ipsum ad bonum dulci, ac suaui prouidentiæ ordine dispono, ac destino. Ad extremum creatio pressius, & strictius sumitur pro rei productione ex nihilo, itaut

S. August. & Hieron.

S. Hieron.

S. Basilius.

par-

particula,ex,neget,atq; excludat quamlibet materiam, ſeu quemlibet terminum,qui ad rem,quæ creari dicitur, conſtituendam,& peragendam quauis ratione cõcurrat,in quo ſenſu, & intellectu accipienda eſt creatio, de qua ſancti Anſelmus,& Athanaſius locuti ſunt,quibus cum Magiſtro S. Thomas, & omnis Theologorũ ſchola aſſentiuntur. In præſens ergò de vltima dũtaxat creationis ſignificatione verba facimus, cum in poſteriori aſſertione creatam à præpotenti Deo aquam fuiſſe protulimus;potuit ſiquidẽ infinita ſua vi, ac poteſtate Deus tantam materiæ partem ex nihilo producere,quãta ad aquæ lateris productionem exigeretur. Verúm ad huc tamen progenitam fuiſſe lateris aquam probabiliter etiam dicere poſſumus;quandoquidem rectè hominum fides admittere poteſt, Deum ex aſcititia aliqua alia materia lateris aquã progeneraſſe, atq; in intimis Chriſti præcordijs collocaſſe; probabiliſſimũ namq; videtur,Deum in exordio naſcentis mundi creaſſe tantum materiæ,ex qua cętera,quotquot ſunt,corpora cõflantur, quantum videlicet perſpicaciſſima mentis ſuæ acie intuebatur ſatis futurum his omnibus operibus peragendis,quæ animo ſuo condere decreuerat. Nam licet ea Ariſtotelis hac de re opinio execranda, atq; deteſtabilis ſit, qua totam hanc rerum vniuerſitatem omni materia etiam poſſibili conſtare arbitratus eſt,(quippe quæ non parum diuinæ virtuti, atq; omnipotentiæ derogat,infinitam Dei poteſtatem,quæ nullis terminis circumſcribi poteſt,in anguſtum coercens) aliorum tamen ſententia,quæ nouam,& nouam ſemper in infinitum materiam Deum per creationem excitare poſſe nõ

Quomodo aquæ lateris creata dicatur.

Qua ratione genita dici poſſit.

Falſa Ariſtotelis opinio de materia vniuerſitatis.

inficiatur, ac præterea concedit naturę auctorem sub ipsum creationis initium sufficientem rebus omnibus efficiendis materiam produxisse, nullis urgeri potest incommodis; Et hæ duæ viæ sunt maximè rationi consonæ, quibus nouam aquæ lateris materiam corpori dominico superadditam fuisse possumus opinari.

Argumentorum solutio

Ea igitur opinio, quam priores in capite quæstionis positæ rationes inuehere contendunt, repellenda est, cũ ex ea cõcludatur manifesta corporis Christi corruptio, tali, ac tanto diuinę maiestatis indigna domicilio; præcipuè, cum inefficaces sint eæ argumentationes, quæ progenitam ex membris Christi aquam fuisse videntur ostendere. Non enim in primis D. Damasceni verba eum sensum reddunt, quasi significent, ad eum plane modum aquam ex latere Christi efformatam esse, ac ex Adami costa Euam idem Deus efformauit; sed germanus illorum verborum sensus est; non minus ex latere Christi aquam exiuisse, quam ex latere protoparentis mulier sumpta est; quandoquidem nõ in omnibus, res, quæ inuicem conferruntur, conueniant, necesse est, sed in eo duntaxat, ad quod demonstrandum vsurpantur, alioqui non tam similitudo, & imago, quam eadem res ipsa penitus dicenda foret.

Quod idem de mente S. Patris Augustini interpretamur, cum particula illa, *quo modo*, conditionis, & efficientiæ modum, atque rationem non significet, quam in producenda aqua adhibuit Deus, sed tantũ respiciat mysterij substantiam, quę in eo sita est, quòd quemadmodum, prima mulier ex Adami osse formata est, ita gemina Ecclesię Sacramenta, aqua nimirum Baptismi,

& sanguis

& ſanguis Euchariſtiæ ex Mediatoris latere profluxerunt, ſiue hæc duo in propagationis modo conueniant, ſiuè non, erat namq; res iſta à propoſito Sancti Auguſtini tunc aliena.

Quod autem ex definitione Anſelmi, & Athanaſij in tertia argumentatione obijciebatur, haud arguit, aquã non fuiſſe à diuina virtute creatam, cum Aſſertoris latus, & præcordia ad perficiendam aquæ generationem nullius fuerint efficaciæ, cumq; eis, vti opem, aut auxilium præbentibus, Deus nõ vſus ſit, ſed ea ſolummodo loci, & ſedis procreatam aquam recipientis rationem habuerint.

Illud tandem, quod vſitato loquendi more S. Patres vſurpant, Deum è punctura lateris Chriſti aquam eduxiſſe, non vt obiectio innuit, ſed vt patres ipſi interpretantur, ſic intelligendum eſt, vt in effuſionem, non verò in aquę procreationem quadret, & ſecundũ phraſim maximè Sanctis Patribus familiarem idem eſt, atq; dicere; Deum virtute, poteſtateq; ſua effeciſſe, vt aqua è latere dominico efflueret; cæterum cum à philoſophis aliquid educi aſſeritur, non ad rei iam genitæ modum, ſed ad ipſam rei generandæ operationem reſpiciũt, quo fit, vt apud principem philoſophorum Ariſtotelem paſſim reperias pro generatione eductionem vſurpari.

CAP VI.

Num ante cuſpidis ictum, an in eodem ipſo lanceæ ictu procreata fuerit aqua.

SEd quo temporis ſpatio (nam, & hoc fortaſſis quiſpiam à me quęret) hanc in latere Saluatoris aquam

creauit Deus? Habuit ne sui esse initium, antequàm corpus Christi foderetur, an magis in eo ipso lãceę ictu, quo imanem militis ferociam sustinuit. Verùm quia rursus illud temporis spatium, quod ante lateris Christi aperturam fluxit, in duas partes secari potest, in tempus videlicet, quo mortua Saluatoris membra è Sacro Crucis ligno pendebant, & in totam Christi viuentis curriculum, in quæstionem venire potest; An ante excessum Saluatoris ex hac mortali vita, an verò post mortem creata fuerit elementaris aqua. Etenim quãuis ex ijs, quę aduersus Andream Laurentium, & Benedictũ Arię montanum disputauimus, palam sit, nihil elementaris aquę fuisse in corpore Assertoris, quamdiù vitam in terris cum alijs mortalibus agebat, id tamen spectata duntaxat agentium naturalium virtute intelligi debet; quãdoquidem (si illimitatam prępotentis Dei in rebus condendis virtutem perpendentes inuestigare velimus, fieri num potuerit, vt in viuenti Domino naturalis aqua miraculosè reperiretur) oppositum omnino, & aliud allatæ quęstionis iudicium esse debet, cum suspicari, ne dũ credere nefas sit, Deum ea potestate, qua miracula operatur, elementarem aquam corpori etiam absolutissimo adijcere haud potuisse. Cúm igitur, vti latè varijs sanctorum patrum testimonijs patuit, lateris aquę procreatio diuinę duntaxat omnipotentię sit adscribenda, meritò institutę quęstioni locus relinquitur, quo patefiat, quonam temporis articulo effecta fuerit. Et licet sit res ista tã obscura, & recondita, vt quid tutò affirmari possit, nullus mortalium euidenti satis humana ratione perscrutari valeat, solus enim hoc scire potest,

teſt, ac docere, qui fecit; Attamen, niſi fortaſſis penitus abhorreat lectoris animus de ea difficultate, de qua nihil certi, & explorati haberi poteſt, quid alius ſentiat, audire; opinarer in poſtremo vitæ Chriſti decurſu lateris aquam minime creatam fuiſſe; non quòd tunc tẽporis fieri, produciue non potuerit, ſed potius, quia tunc fieri non oportuerit; quorſum enim ſuperſtite adhuc Chriſto, Deum aquæ lateris effectorem fingimus? qui ſicut opportunus, atq; paratiſſimus eſt opifex eorum, quæ humano vſui deſeruire poſſunt, & quę immaculatæ ſponſæ Eccleſię profutura ſunt, ſic eą, quæ nec mortalium vtilitas exigit, nec diuinum S. Matris Eccleſiæ myſterium depoſcit; haud conſueuit operari; atqui viuenti adhuc Domino nullus erat elementaris aquæ in pectore Chriſti vſus, cum neq; inde manare, neq; alicuius eſſe ſymbolum Sacramenti poſſet, vt perſpicuè colligi videtur, ex ijs, quæ tradunt Patres, quorum communis aſſenſus eſt, tantummodò in dormiente, hoc eſt in mortuo Saluatore clarum Eccleſiaſticę inſtitutionis, & humanę reparationis hierogliphicum exprimi, nam ſicut eũ Adam correptus alto ſomno, ſuauiq; Eſtaſi ligatis quodammodo ſenſibus teneretur, coſtæ detractionem, ex qua Eua viuentium mater formata eſt, minimè ſenſit, ita ad eum fermè modum ex perempti Saluatoris latere nullo dolore, nullaq; intercedente ſenſus moleſtia ſanguis, & aqua fluxerunt, quibus maximè conſtituitur, & ſuſtinetur Eccleſia; ſiquidem in ſanguine ſacra Synaxis indicabatur, qua fidelis populus ad vitam alitur æternam, & in aqua ſalutifera baptiſmi vnda innuebatur, qua non modò peccati maculæ deleri cõ-

Auctoris cogitatio.

ſue-

fuerunt, sed etiam vnusquisque ad vitam spiritualem regeneratur. Porrò hac eadem coniectura ductus secũdo loco assererem, neq; illis tribus circiter horis, quę ab obitu Christi vsq; ad ictum pectoris numerabantur, in latere dominico procreatam aquam fuisse, cum prædefinitum à Deo tempus, quo ex fluxione sanguinis, & aquæ apertum acquisitæ humanæ redemptionis signũ edi oportebat, nec dum adfuisset. Quid igitur supereſt, nisi, vt dicamus, id temporis, quo latus domini lanceæ ictu apertum fuit, ex nihilo excitatam fuisse aquę illius substantiam, quæ recto itinere se se ex eo loco eduxit, qui per lanceam patebat, vti exprimunt illa Diui Ioãnis verba, *& continuò*, hoc est, nulla interposita temporis mora, *exiuit sanguis, & aqua*; potest enim aduerbium illud, *continuò*, non ad exitum, & fluxionem tantùm aquæ, sed etiam ad productionem aquei liquoris referri, itaut sensus sit; vnus militum lancea latus domini trã sfodit, & statim aqua diuina tũc virtute producta processit. Nam licet communiter verbum illud, *continuò*, de subita aquę trãsfusione plures interpretẽtur, & meritò, quem tamen sensum hactenus nos explanauimus, nulli damnant, aut refellunt Patres.

Aqua latere Christi quo tempore producta

CAP. VII.

De sede, ac domicilio aquæ manantis ex latere Christi.

ILlud etiam rursus quærat alter, quam in pectore domini sedem obtinuerit aqua, quæ in ipso lãceæ ictu procreata est. Nam licet ex capite superiori habeatur, elementarem aquam statim atq; esse cæpit fluxisse, nec diutius in corpore Saluatoris perstitisse, haud tamẽ

hinc

Hinc conſequens eſt, aquæ denegandum eſſe ſpeciale domicilium, in quo, cum creata eſt, ad momentaneum ſaltem tempus reſederit, & in quo primam ſuæ conditionis gratiam à Deo ſortita ſit.

Quod autē in hac re negotium faceſſere poſſe videtur, plurima ſunt ſacrati corporis Chriſti membra, quę in ea lateris parte, quæ ictu cuſpidis petita fuit, miro naturæ artificio aptè, congruenterq; diſpoſita, atq; concinnata ſunt; Nam in primis non extrinſeca tantùm pellis, ſed etiam caro, venæ, arteriæ, pulmones, pericardion, atq; tandem cor Saluatoris transfixum eſt; inter hæc autem ſauciata Chriſti membra iacebat diuini pectoris concauitas, quę ad magnam aquę copiam recipiendam idonea ſatis, atq; capax erat; at quodnam ex his determinatum Saluatoris membrum ante alia creati liquoris ſubſtantiam receperit, dubium ſanè eſt, maximè cum iſtud à diuino prępotentis Dei pendeat arbitrio, qui ęquè in extrema parte lateris Chriſti, ac in infima eum creaſſe liquorem potuit. Sed his minimè impedientibus, atq; relictis etiam ijs coniecturis, quibus fortaſsè adduci poſſet alius, vt arbitraretur in ipſa carnis ſuperficie aquam à Deo creatam fuiſſe, eo quòd ſtatim ac patuit latus, fontes ſanguinis, & aquæ profluxerint; quid ipſe ſentiā breuiter lectori indicabo. opinor enim circa ipſam cordis ſubſtantiam fabricatam à Deo fuiſſe decurrentem ex aperto Saluatoris latere aquam. Ad id aūt exiſtimandum ea ratione ducor; quòd vnum, & eundem locum ſortita ſint ſanguis, & aqua, vti indicabat concors ille vtriuſque fluendi modus, quo ſimul, eodemq; tempore ſanguis, & aqua decurrebant; atqui

Difficultas.

Opinio noſtra.

ſan-

sanguis ex intima cordis sede profectus est, cum è vesti gio ad lăceę ictum foras prodijt, vt grauissimus est au-
S. Cypria- nus. ctor S. Cyprianus libro de duplici martyrio, dũ inquit. *Erat, et illud præter naturæ cursum, quod ex latere exanimati corporis sanguis, & aqua profluit, vt absolueretur triplex testimonium; totum effudit spiritum, vt nos respiraremus; quidquid erat humoris aquei reliquum expressit, vt nos abluerem ur, quidquid resederat in corde sanguinis, emisit, vt nos confirmaremur;* at nullus esse debet, qui vereatur in eodé ipso loco, ex quo aqua primum fluendi cępit habere principium, aqueum humorem conditum fuisse; cum decursus aquę, & creatio eiusdem se inuicem cõsequãtur. Veram pręterea esse hanc nostram de aquę domicilio sententiam illud magno indicio est, quod ei suffragentur carmina, quę in breuiario, iuxta antiquum dominicanę familiæ psalendi ritum leguntur. Etenim in eo die festo, quem religiosè colunt ad honorem plagę lateris Christi die octauo post sacratissimã corporis Christi solemnitatem feria sexta; hęc sacra cantio, ex qua opinio nostra confirmari potest, habetur hisce carminibus expressa.

DVlcis hasta latus Dei
Te repleuit sanguine
Dulcis mucro per cor Dei
Voluitur in flumine
Sic saluantur omnes rei
Secreto Dei munere &c.

Ex quibus, ni fallor, satis apertè cognoscitur, è Salnatoris corde ictu cuspidis sauciato fluminis vndam profluxisse. Neq; prętereà premere possum silentio ea pariter car-

carmina, quæ in hanc ſententiam lætis vocibus canuntur in officio, quod ad recolendam plagarum Chriſti memoriam piè inſtitutum eſt; hæc autem ſic habent;

SI cor habes maculatum
Inſpice vulnus tam latum
Cordis eius: illinc fluit
Vnda, quæ ſordes abluit &c.

Quorum ea verba, quæ in fine leguntur, primum aquei liquoris fontem cor dominicum fuiſſe teſtantur. Et poſtremo eiuſdem officij lectione nona, ad Saluatoris cor vſque ictum lanceæ penetraſſe, ex quo fontes ſanguinis, & aquæ ſibi adinuenit, hunc in modum aſſeritur. *Ideo quoq; aperiri ſibi latus voluit, vt ad intima vſq; ſua nobis faceret ingreſſum. Dum enim apertum fuit latus, vſque ad cor domini penetrauit acceſſus. Accedat ergo homo ad cor altum, & exaltetur in eo Deus; ſed quis illuc aſcendet? quit in eo requieſcet? innocens manibus, & mundo corde. Non differat autem peccator, ſi promptus ſtatim nõ pateat acceſſus, lugeat ad ianuam, vnde ſanguis fluit, & aqua manat, fores apertæ ſunt, facilè penetrabit vſque ad cor domini lugentium clamor. ſi pergit ad ianuam peccator lugere, aſpergetur pretioſo ſanguine de fonte lateris ſuper peccatores effluente, lauabitur purpureo cruore, & exardeſcet in vero ſanguine de intimis viſceribus emanante. Aqua ſapientiæ Saluatoris potabitur, & rore cæli maculæ eius abluentur. Impinguabit eum imber ſerotinus, vt fructum adferat in tempore ſuo, & tandem introducatur in thalamum ſponſæ. Non formidemus ergo fratres amantiſsimi, non expaueſcamus ingredi tabernaculum domini, apertæ ſunt fores ſanctuarij: paratæ ſunt nuptiæ agni, cella vinaria aperta eſt, iam introiuit ſponſa, ſequamur*

illam in fragrantia odorum suorũ; & audiemus sonos iucunditatis, gustabimus vinum lætitiæ. Hactenus ibi. ego.n.ex multis, quæ persimilem habent sententiam, hæc pauca cursim recẽsere volui, vt his tanquàm testimonijs quibusdam præsens negotium è tenebris erutum corroboraretur, quandoquidem certis rationibus persuaderi nequit.

CAP. VIII.

Num aquæ decursus sit diuino miraculo adscribendus.

QVô explicatior, & absolutior sit Euangelicæ historiæ intelligẽtia de hac aqua lateris Christi, enodanda insuper quæstio est; An exitus aquę profluentis ex latere Christi naturalis, an miraculosus fuerit; Nam licet, diuinam, & naturalis rei creatæ vires excedentem fuisse aquæ huius elementaris productionem, verissimum sit, vti à nobis supra latè fuit explicatum; attamen quia non eadem ratio est creationis, seu primæ productionis aquæ, & fluxionis eiusdem; inquirendum supereſt hoc loco; an ita diuinæ, & supernaturalis virtutis opus fuerit exitus aquæ ex latere Christi, vti diuina fuit eiusdem liquoris procreatio, occasionẽ enim exhibent dubitandi ea, quæ multis verbis antèà prosecuti sumus, cum inquireretur, diuina ne, an humana virtute potius factum sit, vt perfossum Saluatoris latus sanguinem profunderet, statuimus enim iuxtà Sanctorum Patrum mentem, sanguinis fluxum non vacasse miraculo; At illa eadem, quæ sanguinem miraculosè profluxisse persuadent, de scaturitione etiã aquei humoris

Dubitationis causa.

humoris militant; quis enim in prodeunte ſanguine miraculum meritò ſuſpicere, & illud in aqua ex mortuis membris pariter effluente inficiari poteſt? cum illud naturale, hoc autem præter naturam magis appareat. Immo ſi ea, quę de miraculoſa hac aquei humoris productione S. Patres, ac Doctores Scholaſtici ſcribunt, meditemur, non aliud ſignificant, nec aliud clamare videtur, quam miraculoſam fuiſſe aquę lateris emiſſionem. Audi quid citatis anteà locis de iſto aquę fluxu prodiderit Angelicus Doctor his verbis, *fuit autem aqua pura miraculosè egrediens*, & rurſus. *fluxus aquæ inficiari non poteſt, quin miraculoſus exiſtat*. Sed non modò Angelicus Doctor, ſed Diuus etiam Cyprianus eandem in ſanguine, & aqua virtutem miraculoſam agnoſcit inquiens, *Præter naturæ curſum è latere exanimati corporis ſanguis, & aqua fluxerunt*. Verùm quid iuuat aliorum Patrum teſtimonia expendere, cum omnium eorum, qui de hoc lateris myſterio verba fecerunt, ſimilis ſit, & omnino eadem de prodeunte aqua opinio?

Ex oppoſita autem ſententia, in aquæ fluxu nullum interceſſiſſe miraculum illud planè certum facere videtur, quod fluuido, ac inſita grauitate labèti humori nihil cõmodius, & congruentius eſſe poſſit, quam vt ſeſe effundat, atq; per aperta, & potentia loca decurrat, aqua autem lateris Chriſti hac fluitandi propenſione minimè caruit, quippequę perfectam elemẽtaris humoris naturã obtinebat, ergò temerè miraculoſam Dei operationem in hoc aliqui requirunt, in quo potius agnoſcendum foret miraculum, ſi ſuo aqua curſu caruiſſet; neq; enim citrà ſpecialem Dei operam fieri poterat, vt

adactum à milite cuspidis ferrum, quo transfixa sunt Christi prȩcordia, aquam in ijsdem prȩcordijs, hoc est, circa cor existentem non eliceret, cum ea sit elemẽtaris humoris natura, vt nullo negotio erumpat ex ijs sedibus, quæ vti minimè naturales ad aquam retinendam, sic ad effusionem procliues sunt, & ad motum aquę nõ inhibendum aptissimę; huiusmodi autem cor Saluatoris fuit, ex quo ampla, & lata via vsq; ad externam carnis superficiem patebat, per quam iter facere aqueus humor poterat.

Duo in aqua lateris fluxu perpendenda.

Non est hoc loco in præteritis relinquendum, quõ disceptationis huius enodatio á nobis subijciatur, in aquę fluxu duo esse consideranda, vnum quod circa absolutum, & vt vocant, fluxum simpliciter dictum versatur; Alterum, quod ad fluendi rationem attinet. Priori modo expendere; num cursus aquæ lateris fuerit miraculosus, idem est, atq; scrutari, num fluxus, & motus, quo decurrit elementaris aqua vires naturæ supergrederetur; quo in sensu mea quidem sententia, nullas patitur difficultates præsens quęstio; etenim quis adeò rudis est, qui nesciat fluxum aquæ maximè proprium, & naturalem esse extra sphæram; quocirca siue spiritus vitalis adsit, siue ab humano corpore receserit, quælibet aqua in humanis membris existens, ni impediatur, dubio procul ex se paratissima est ad erumpendum. At si in secundo sensu quæstio agitetur, totũ dubium ad hoc reuoluitur, vt explicemus, an ratio modus, & forma, quibus ex mortuo Christi latere aqua exiuit, non naturalẽ virtutem, sed diuinam redoleant, Quibus breuiter animaduersis.

Reor

Reor equidem modum, quem inter ſcaturiendum è latere Chriſti aqua ſeruauit, diuino nequaquam miraculo caruiſſe, quam miraculoſæ operationis rationem ex duplici capite colligere mihi videor; nimirum ex primo loco, vnde manare cæpit, & ex ſingulari aquæ huius effuſione. Nam in primis cum inter cordis ſubſtantiam, & vltimam lateris Chriſti ſuperficiem, ex qua tãdem in terram decurrit aqua, eſſet interiectum pectoris Chriſti interuallum, nequiuit aqueus liquor è corde deciſus naturali poteſtate vſq; ad lateris ſuperficiem commeare, ni prius in ſubiacentem pectoris concauitatem cecidiſſet, ſiquidem corporibus grauitate pollentibus naturale eſt ad ima quæq; loca ferri; atqui lateris Chriſti aquam huiuſmodi innatum habuiſſe grauitatis pondus inficiari nemo poteſt, qui ſecumipſe reputarit eam aquam elementarem, ac proinde etiam ſuis proprietatibus conſtantem fuiſſe. Immo cum ſuſpenſum in erecto Crucis ligno iaceret Chriſti cadauer, naturali motu aqua in pectoris cõcauitatem cadere omnino debuerat, quod tamen non accidiſſe perſpicuè, & affirmatè tradit D. Ioannes, illis verbis, & *continuò exiuit ſanguis, & aqua.* Si namq; ſtatim, ac rransfoſſum patuit Saluatoris latus, erupit aqua, euidenti conſecutione colligitur, in pectoris ſpatium non cecidiſſe aquam; cum ex eadem concauitate non ita facile ſe ſe promere valuiſſet.

Sententia auctoris miraculoſum aquæ fluxũ arbitrãtis.

Cur miraculoſus aquæ fluxus.

Illud etiam planè opus diuinum fuit intueri, [quod ad ſecundam miraculi rationem attinet] diuerſos ſanguinis, & aquę fontes vnà profluere, & alterum ab altero, neq; colorem, neq; ſubſtantiam mutuari, quod tamen euenire ſolet his liquoribus, qui ſimul per eandem

planè

planè viam gradiuntur. Præterea cum clarissimus lateris aquæ riuus ex sauciatis, rubroq; sanguinis colore imbutis membris scateret, cogimur opinari, fortiorem naturali agente causam ad fluxum peragendum concurrisse, quæ patrocinium susciperet, ne cristallinus aquæ fons alieno colore fingeretur. Ad quæ respexisse arbitror Sanctos Patres, Thomam Aquinatē, & Cyprianum, cum miraculosam fuisse lateris aquæ fluxionem, memorię prodiderunt.

Discrimen inter aquæ, & sanguinis fluxū.

Hinc patet ad extremum, sumpto aquæ lateris decursu in eo sensu, quem priori loco statuimus, manifestum esse discrimen inter sanguinis, & aquæ decursum, nā ille, quoniam extincto corporis Christi calore concrescere debuerat, miraculosē duntaxat fluere potuit, cum concretio, atq; coagulum fluxioni opponantur; hęc verò, quoniam nulli obnoxia fuit concretioni, propterea solius natutæ viribus se se ad fluxum concitare potuit, ēt si in extincto Assertoris cadauere illa reperiretur. Quod dictum nulla ratione Patribus aduersatur, ij enim procreationem fluentis aquæ intelligunt, cum miraculosū aquæ fluxum appellant; siquidē cum in humanis aqua nequeat esse corporibus, decurrentem ex latere Assertoris aquam miraculosam dixerunt, non tam aquæ fluxum, quam aquę creationem intelligentes, aut certe eo in sensu, quem nos hactenus explicauimus, miraculosū aquę fluxum dixerunt.

CAP. XI.

Num aquæ fluxus sanguinis decursum anteceſſerit.

NOn attinet hoc loco admonere lectorem, hanc quā breuiter tractare, & breuius etiā expedire aggredimur

dimur, quæſtionem, nullam cum ſæpius repetito Sancti Ioannis teſtimonio habere oppoſitionem; Etenim quamuis indubitatum Euangelicæ hiſtoriæ decretum ſit, non modò ſanguinis, ſed etiam aquæ ſubſtantiam ex latere dominico profluxiſſe; attamen quo ordine dimanarint hi duo liquores, in quæſtionem vocare tutò poſſumus; quandoquidem ſatis Euangelicæ veritati tributur, ſi aquam, & ſanguinem ex latere Chriſti dimanaſſe aſſeramus, quemadmodum pluribus infra oſtendendum erit.

Priorem autem fuiſſe aquæ fluxionem hunc in modum licet argumentari. Quo remotior ſedes eſt ſiuè aquæ, ſiue ſanguinis, eo tardior & in emergendo eadem in ſede detentus liquor; atqui aquæ locus pericardion fuit: ſanguinis autem cor, aqua igitur erumpere prius debuerat, quam eandem dimanandi facultatem ſanguis obtinere poſſet; ſiquidem externæ cuti propior eſt pericardion, cor autem remotius eſſe vel ex eo comprobatur, quod pericardio tamquam inuoluero cor ipſum ambiatur. Deinde ea ipſa loquendi formula, qua multi Sanctorum Patrum vtuntur, idem non obſcurè indicat. Etenim diuus Hieronymus in epiſtola 83. quam miſit ad Oceanum, ordinem Sacramentorum, quæ de percuſſo Chriſti latere fluxerunt, recenſens, primo loco baptiſma, non martyrium ſtatuit his verbis. *Latus Chriſti percutitur lancea, baptiſmi, atq; martyrij Sacramenta fundantur*; atqui baptiſmus in aqua lateris, martyrium verò in ſanguine præfiguratur, ergo primas ſibi in exitu partes vindicauit aqua. Vti etiam atteſtari videtur Ruffinus in expoſitione Symboli dum inquit,

Quibus rationibus argumentis aquã prius effluxiſſe.

S. Hieronymus.

Ruffinus.

inquit, *Potest etiã intelligi, quod duplicem gratiam baptismi figurauerit, vnam, quæ datur per aquæ baptismum, aliam, quæ per martyrium profusione sanguinis*; ergò baptismalis gratia, quam ex saluberrimis vndis haurimus, gratiam martyrij, quę in sanguine innuitur, anteuertit. Huc spectant præterea, quæ habet Tertullianus libro de baptismate aduersus Quintillam cap. 16. *Est quidem nobis etiam secundum lauacrum, vnum, & ipsum sanguinis scilicet, de quo dominus habeo inquit tingi, cum iam tinctus fuisset. Venerat enim per aquam, & sanguinem, sicut Ioannes scripsit, vt aqua tingeretur, sanguine glorificaretur. Proindè, vt nos faceret aqua vocatos, sanguine electos, hos duos baptismos de vulnere perfossi lateris emisit.* Ex quibus illud elici potest, Saluatorem nostrũ duos hosce aquæ, & sanguinis liquores emisisse è latere, vt per aquam fidelis populi vocationem, per sanguinem verò electionem significaret; sed vocatio diuinę prædestinationis ordine electionem præit, ergo arbitrandũ est à Christo Domino eũ morem obseruatum esse in emittendo fontes istos, quem idem ipse dominus velut digito nobis innuere voluit, vt omnibus videlicet certæ ad vitam æternam semitæ ratio mortalibus, vel ex hoc vno sanguinis, & aquæ mysterio palam esset. Deinde illud etiam addi potest quod doctè admodum, & diserte tractat Sanctus Ambrosius lib. 5. de Sacramentis cap. 1. vbi effusionis sanguinis, & aquę seriem expendens sic scribit. *Venientes inuenerunt defunctum Dominum Iesum Christum. Tunc vnus de militibus lancea tetigit latus eius, & aqua fluxit, & sanguis. Quare aqua? Quare sanguis? Aqua, vt emũdaret, Sanguis, vt redimeret.* At nullus redimi

Tertullianus.

S. Ambros.

potest,

poteſt, qui non ſit in ipſo redemptionis actu ab omni peccatorum contagione mundatus, æquum igitur fuit, vt prius emundationis, quam redemptionis lauacrum præcederet. Tandem, ne in ſimilibus Patrum teſtimonijs recenſendis longius diuagetur oratio, finem faciam aptiſſimo Sancti Ioannis Damaſceni teſtimonio, quod ſic habet lib. 4. de fide orthodoxa capit. 10. *Idcirco pro ſua indulgentia, & miſericordia ad ſeruos ſuos ſe ſe dimittens, atq; inſtar noſtri affectus paſſione ſua nos à corruptione vindicauit. Ac nobis ex ſancto, & immaculato ſuo latere veniæ fontem emiſit, aquam nempe ad regenerationem peccati, & corruptionis ablutionem, ſanguinem autem in potum ſempiternum vitam afferentem.* Hæc Damaſcenus; cuius ipſe verbis adhærens talem conficio argumẽtationem. Ita verum, ac proprium baptiſmalis fontis Symbolũ fuit è latere Saluatoris ſcatens aqua, ac expreſſa fuit Sacramenti Euchariſtiæ imago ex eodem pectore erumpens ſanguis; atqui fons baptiſmi ſacer eſt ianua omnium Eccleſiaſticæ rei Sacramentorum; prius igitur ẽt ad effuſionem aditum adinuenire debuit ſibi elementaris aqua, quám ſanguis è latere fluens. Et hæc ſunt, quę fortaſſis in eam ſentẽtiam trahere poſsẽt lectorem, vt opinaretur priorem ad fluendum ſanguine fuiſſe aquam. *S. Damaſcenus.*

Verúm qua ratione ea nos non cogant, nec ad aſſenſum ſuperioris concluſionis inducant, facilè eſt animaduertere, ſi in mentem reuocauerimus ea, quæ de ſede, ac domicilio creati diuina virtute liquoris aquei ſcripſimus, vbi in ipſa cordis ſede, ex qua ſanguis exiuit, efformatam fuiſſe aquam dictum eſt, quamuis for- *Oppoſita opinio vera ſolùm eſſe poteſt.*

tè non nihil spatij inter sanguinem, & aquam iaceret. Adderem prætereà eodem tempore, quo diro lanceæ ictu non modò prægrandis illa vena, quam medici cauam appellant, sed etiam cordis vena Asiagos dicta; fractæ, atq; dilaceratæ sunt, ambas venas eodem temporis articulo clausos in se humores eructasse; ex quo fit, vt non ante effundi potuerit elemẽtaris aqua, quàm sanguis etiam simul profunderetur.

Quare, si aliæ mihi solutiones non occurrerent aduersus ea argumenta, quæ ex Sanctorum Patrum testimonijs petuntur, satis, superq; meo iudicio ea infirmarentur oppositis solummodò rationibus ex diuerso, & contrario Sanctorum Patrum loquendi more erutis; nam si propterea præcurrisse aquam putandũ est, quoniam Hieronymus, Tertullianus, & plures alij Patres priori loco aquam fluxisse meminerunt, fortiori, atq; potiori ratione oppositũ de sanguine fas erit argumentari; quandoquidem S. Cyprianus libr. de Sina, & Sion, Augustin. tract. 120 in Ioannem, & libr. 2. de Symbolo ad Cathecumenos, Athanasius de Passione, & Cruce Domini, Greg. Magnus libr. Antiphonarij, & alij non pauci Patres, & quod in re præsenti caput est, Diuus ipse Ioãnes huius rei testis, primas in exitu partes sanguini accẽsent. Et hoc generatim dictum sit, deinceps speciatim vniuscuiusq; argumenti robur expendamus.

Etenim citatis locis S. Hieronym. & Ruffinus haud soliciti fuerunt de ordine, quo aqua, & sanguis fluxerũt, sed dũtaxat adnotauêre Symbolum, & figuram, quam dimanantes è latere Christi sanguis, & aqua gerebant; hincq; primo loco de aqua lateris ratiocinati sunt, non

quòd

quòd primas ei influendo cenſerent eſſe adſcribẽdas, ſed magis, quia inſtituto ſermoni prius de aqua, quàm de ſanguine loqui congruens fuerat, veluti iudices eſſe poterunt ij, qui citata Sancti Hieronymi, & Ruffini loca adierint.

Tertulliani autem teſtimonium ea ipſa eiuſdem verba, quæ ibidem ſubnectuntur, explicant manifeſtè; etenim poſteaquam dixerat, hos duos baptiſmos de vulnere perfoſſi lateris emiſit, ſtatim ſubiecit; *quia qui in ſanguinem eius crederent aqua lauarentur, qui aqua lauaſſent etiam ſanguinem potarent*; ex quibus colligi poteſt, eum ſanguini locum, quem in ſuperioribus verbis aquę conceſſerat, mox nulla habita prioris exitus ratione, eundem ſanguini tribuiſſe. Quod verò de vocatione & electione additur, oppugnat magis, quam tuetur cauſam, in cuius fauorem ea argumentatio excogitata eſt. Nam ſi diuinæ prædeſtinationis arcanum meditemur, nemo ignorat electionem, vti finem à Deo volitum, ordine naturæ præcedere vocationem, & ea omnia, quibus rationalis creatura ad electionem glorię capeſcendam diſponitur; neq; enim exempli loco vocat Deus Paulum, vt eum eligat, ſed magis, quia elegit illũ, ideò diuinæ gratiæ beneficijs ad deſtinatam gloriam vocat, etenim is, qui ſuis quæq; ordinibus tantùm diſpoſita ſectatur, priús in finem, quam in ea, quæ in finem conducunt, tendere conſueuit, electio autem finis, vocatio autem eorum, quæ ſunt ad finem, rationem habet in diuina prædeſtinatione; ex quo vis argumenti labefactatur, vt propterea nullius ſit roboris ad probandum aquam priori loco ante ſanguinem apparuiſſe.

Electionis, & vocationis ordo.

Ad D. Ambrosij testimonium respondendum est illud idem, quod de Sancti Hieronymi, & Ruffini testimonijs diximus. Nec etiam admiserim illud, quod in corroborationem adducũt, cum eius rei oppositum verius sit. Non enim ij, quibus redemptionis beneficium confertur, à sordibus peccatorum iam antea emundati, & candidati existimandi sunt, sed potius virtute diuinæ redemptionis ab omni inquinamento purgantur, velut in Christi meritis id deprehendere facillimũ est, quibus nequaquam fidelium mentes è tyrannico cacodęmonis iugo liberantur, quia sanctę, ac Deo ipsi gratę sint; sed potius quia ex redemptione ipsa Christi sanctitatis, & gratię dona consequuntur.

Diui aũt Damasceni sententiæ aliam eiusdem Sancti Patris sententiã obijcimus, quę exstat lib. 2. parall. c. 14. vbi de proposita difficultate loquens, sic habet. *Christus de latere Ecclesiam condidit; quemadmodum antiquitus Euam de latere procreauerat. Vnde, & Paulus dicebat; ex carne eius sumus, latus videlicet subindicans. Quemadmodum enim tũc Deus costam suppresit, ac fœminam effinxit, sic nobis sanguinem, & aquam ex ipsius latere dedit, & Ecclesiam formauit, & quemadmodum tunc costam in sopore accepit, Adam videlicet dormiente; ita nunc quoq; post mortem, sanguinem, & aquam dedit*; scilicet quod alibi prępo-suerat, hoc loco postposuit Damascenus, vt patet.

Tandem de vltimo argumento meum iudicium est, baptismalem fontem primum quidem esse humanæ regenerationis Sacramentum, quo in immortalem, spiritualemq; vitam introducimur; verùm quia lustralis aspersio sanguinis Christi meritis, & valori tantummodò inni-

innititur, ex quo nouos Deo procreandi filios virtutem haurit, propterea primas in omni operatione sibi partes deposcit sanguis. Postremò, aqua é latere profiliẽs baptismi quidem Symbolum fuit, vti sanguis Eucharestię signum, at hę tamen signi, & Symboli rationes penes liquorum substantiam, & qualitates, non autem penes fluendi ordinem, considerandę sunt.

CAP. X.

An sanguis aqua prior fuerit ad fluendum.

VLterius inquirendum est; an sanguis prius patentem sibi viam offenderit, ex qua posset decurrere, quàm similem aditum aqueus humor nactus fuerit. Gabriel Biel postquam paulò altiùs varias sanguinis Christi effusiones recensuit, ad hanc quęstionem, ità respondet lectione 53. in canonem. *Sextò, ex lateris apertione, vt dicit Ioannes continuò exiuit sanguis, & aqua; primò scilicet sanguis, quo toto diffuso, secuta fuit aqua in testimonium totius sanguinis effusi.* Hactenus Biel. *Gabrielis opinio.*

Alphonsus Salmeron de Passione Domini trac. 48. eandem Gabrielis Biel opinionem affecutus, *post sanguinem*, inquit, *fluxit aqua ad significandum, quòd Christus totum sanguinem profuderat, quo nos ad bibendum de aqua vitæ æternæ inuitaret.* Verùm quia rem hanc totam diligentius, & enucleatius explicat Simon de Cassia ipsũ audiamus super 4. Euangelijs de Passione Domini Saluatoris libr. 13. non longiùs à fine ad hunc modum ratiocinantem. *Aqua non cum sanguine mixta indistincta profluit. Neq. siquidem potuisset ab aspicientibus comprehendi, si mixta cum sanguine defluxisset. Sed illicò aperto* *Alphonsus Salmeron.* *Simon de Cassia.*

latere

latere exiuit sanguis in mensura determinata soli Deo cognita, sed non nobis. An fortè totus sanguis effluxit ex illo diuino corpore in signum totius amoris effusi, post quem humor aqueus est egressus; sed si quo modo fuerit, aqua cũ sanguine non defluxit mixta, sed dispertita vena, vt diuisa vena sanguis ab aquæ vena, eadem hora simul ex eodem foramine effluxisset. Sed prius sanguis, deindè aqua distinctè distillauit. Quo alto, miroq; mysterio factum est, vt prius egrederetur ex eodem corpore redimens pretium, deindè aqua, vt redempta signaretur multitudo populorum. Consentit etiam Nonnus Poeta Græcus, cuius verba sunt, vt latinus interpres vertit. *Et geminis liquoribus ex percusso latere, primum quidem sanguis effusus est, deinde verò diuina aqua*; Quorum omnium votis probabiliter subscribendum esse arbitratus est Franciscus Suarez 3.p.q.51. art. 3. sect.1. disput.41. & plures alij Doctores Ecclesiastici.

Poeta. Nonnus

Suarez.

Potest autem præsens opinio his explicari, atq; confirmari rationibus. Nulla planior via humanis mẽtibus occurrere potest explicandi sanguinis, & aquæ fluxiones, quam sit præsens sententia, quãdoquidem vnita cũ sanguine aqua decurrere haud potuit, ni diuino factũ istud esset miraculo, quod tamen non est ita facilè concedendum, vbi humana ratio prębet documentum. Amplius hanc sententiam expressè reddunt D. Ioannis verba illa c.19., *& continuò exiuit sanguis, & aqua.* Præterea sanguis Christi non modò fuit opportunum præuaricationis Adę remedium, sed etiam infinitũ pretiũ, à quo virtutem peccata relaxandi omnia Sãctę Matris Ecclesię Sacramenta mutuãtur, ergo ęquum, ne dicam,

Huius opinionis firmamenta.

opus

opus planè neceſſariũ fuit, vt ſanguis ante aquam prodiret, quippequę cum originalem labem abſtergendi ab effuſo ſanguine erat habitura. Quod etiam ex Diui Hieronymi teſtimonio argumentari licet, nam ea epiſtola, quam miſit ad Oceanum ponderans non modò iſtud Euangelij dictum, *et continuò exiuit ſanguis, & aqua*, verùm etiam illud eiuſdem D. Ioannis 3., *niſi quis renatus fuerit, ex aqua, & ſpiritu ſancto*; hęc habet. *Qui ab aquis cœperat, finiuit in aquis*; at ab aquis orſus eſt Dominus, cum Iordanis vnda tinctus eſt à Ioanne Baptiſta; & cum prætereà in Cana Galilęa nuptiali menſæ præſens primum diuinæ virtutis ſuę edidit miraculum aquas in dulciſſimos generoſi vini liquores transferẽs: ergò finem miraculis paſsionis ſuæ poſuit in aquis, cum videlicet extincto vitali habitu cadentem ex vulnerato pectore fontem emiſit. Ad hæc, aquæ, & ſanguinis ſubſtãtia clarè potuit diſcerni oculis, quod non videtur cõtingere potuiſſe, niſi inter geminos liquores ſucceſsio temporis concedatur, quo diſtinctè, ac ſeparatim aqua à ſanguinis ſubſtantia profluęret. Poſtremò cognitum eſt, omnibusq; vel leuiter exercitatis in ſacro eloquio planè perſpectum, aqua, fidelem populum non ſemel ſignificari iuxta illud. *Aquæ, quas vidiſti, vbi meretrix ſedet, populi ſunt, & gentes, & linguæ* Apocalypſis 17.; atqui vocationem, ſeu gentium electionem, & ſanctificationem effuſo Saluatoris ſanguini adſcribendam eſſe nullus eſt qui neſciat, ſiquidem *iuſtificati ſumus in ſanguine eius* ad Hebr. 9., & rurſus *ſanguis Chriſti emundauit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis* ad Rom. 5., ergò prius ordine naturæ reddi debuit redemptionis, & ſanctitatis

S. Hieron.

Primum à Chriſto editum miraculum.

Apocal. 17.

Ad Heb. 9.

Ad Rom. 5.

ctitatis humanæ pretium, quàm in populum Dei fidelé reciperemur, quod accuratè fuit obseruatum, si effusum sanguinem mox lateris aqua subsecuta est.

Rationibus respondetur.

Verùm omnes hasce rationes infirmas esse opinor; & vt à prima incipiam, non satis clara est, ac ad apertam huius mysterij notitiam sufficiens allata opinio; qua multo congruentior supereſt adhuc proferenda sentẽtia, quæ vti vera, sic ad intelligendum facillima est, veluti in subsequenti capite demonstrabitur; neq; à statim subijcienda à nobis opinione reuocare nos debet miraculum in eiusdem defensione necessariò admittendum, præcipué cum elementaris hæc ex latere emanãs aqua diuinis vndiq; mysterijs fulgeat, & prodigiosum quoddam diuinæ maiestatis opus sit.

Quæ autem superius allata sunt, dum quærebam, an aquæ decursus fluxionem sanguinis anteceſſerit, satis ostendunt, quo modo meam opinionem non vrgeat D. Ioannis auctoritas, maximè cum eiusdem Apostoli, & Euangelistæ verbis innixi plures Patrum, priorem in decurrendo è latere Christi locum non sanguini, sed aquæ concedant. Quare discretas dũtaxat e latere Saluatoris profluxisse substantias locus ille D. Ioannis indicat; cæterum firmi nihil ex eo elici potest, siquidem iure merito citra vllam historicæ veritatis iniuriam, si vno, eodemq; temporis articulo fluuidi sanguinis, & aquæ liquores decurrissent, iurè inquam dicere, atque scriptis consignare potuisset D. Ioannes illa Sacri codicis verba. *& continuò exiuit sanguis, & aqua*; Immò, si, vt ille loquitur, continuò non modo sanguis, verùm etiam aqua profluxit, haud prius scaturire debuit san-

guis

guis, ſed ſimul; ſecus non continuò, ſed paulò poſt, contra Euangelium, aqua exiuiſſet.

De tertia ratione illud conſtanter cenſendum eſt, quamlibet vel minimam Chriſti liberè operãtis actionem ad noxas hominum abolendas valorem habuiſſe infinitum, in quo perinde, ac in ſanguine diuina Sacramentorum efficacia altis defixa radicibus tenetur. Quocirca licet ſingulari quodam priuilegio meritum in effuſum à Chriſto ſanguinem conijciatur (& iuſtiſſimis quidem de cauſis, vt ſuo loco ſumus oſtenſuri) attamẽ re ipſa meritum non ſolius ſanguinis ex latere Chriſti profluentis peculiare fuit, ſed omnibus & ſingulis ſanguinis Ieſu guttis conueniebat; Hinc cum Aſſertor noſter non modò guttas, ſed quoddam veluti ſanguinis profluuium, nec dum accepto lateris vulnere, effudiſſet, non eſt, cur ad tribuendam aquæ lateris virtutem facinora remittendi, in exitu priorem fuiſſe ſanguinem aſſeramus; iam enim virtus iſta celeſtis ab effuſa ante lateris vulnus ſanguinis copia peti poterat, vti reipſa virtus baptiſmi petebatur, cuius hieroglyphicum duntaxat aqua lateris erat. Immò ſi Epiſcopum Abulenſem audiamus, cum humana redemptio meritis Chriſti patientis innitatur, ex quo virtutem ſuam trahunt omnia Eccleſiæ Sacramenta; fit, vt fruſtra ad meritum conſtituendum è latere erumpens ſanguis aquæ fluxionem anteceſſerit, cum ſanguis, qui è Chriſti iam mortui latere cecidit, nullius meriti fuerit ad noſtram mortalitatem reparandam; vulgatum ſiquidem eſt apud Theologos omnes, inter cęteras meriti conditiones viatoris ſtatum, & ſuperſtitem in hoc noſtro inferiori mundo

Nihil meruit Chriſtus in effuſione ſanguinis ex latere emanantis iuxta Toſtati opinionem.

Quid ad meritum exigatur.

vitam maximè expostulari; at Christus, cum iam è viuis euolasset, extra oẽm meriti statum erat constitutus.

Ad illud D. Hieronymi, quod opinioni nostræ opponebatur, responderi potest, Christum finiuisse in aquis, quoniam inter vltimos liquores, quos ex mortalibus suis membris effudit, aqua fuit, ea videlicet, quam ex latere suo post mortem emittere voluit, quam vltimam meritò dixeris, non quòd sanguine posterior, sed potius quia post emissam è latere dominico aquam, nullum alium humorem Christum nouimus effudisse.

Quid verò de quinta argumentatione sentiendum sit, sequens caput clarius explicabit; interim tamen puto nulla successione temporis interiecta conspici, atq; clarissimè videri vtrumq; liquorem potuisse.

Ad extremum, quæ de vltima argumentatione desiderantur, peti possunt ex ijs, quæ in tertiæ argumentationis solutione subiecimus; non enim, iuxtà quorũdam opinionem, tàm meritis cumulabatur scatens è latere sanguis, quam certũ erat quoddam signum meritorum Christi.

CAP. XI.

Mixti ne, an potius in permixti defluxerint sanguinis, & aquæ liquores.

QVoniam igitur ex ijs, quæ hactenus explicata sunt, sanguinem, & aquam eodem temporis spatio, simulq; profluxisse, & facilè est argumentari, & non difficilè colligi etiam potest ex testimonio Caietani, quod in commentarijs super hoc loco habetur; vti anteà docuerat S. Bernar. serm. 2. in octauam

Caietanus in Ioannẽ.

S. Bernar.

Paschæ

Paſchæ explanans ea verba Ioann. 5. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra, ſpiritus, aqua, & ſanguis.* Vbi, *Hic eſt enim*, inquit, *qui ſanguinem proprium dedit in redemptionem, & aquam ſimul produxit de latere in ablutionem*; Reſtat hoc loco perquirendum, an permixta, & confuſa cum ſanguine aqua, & rurſus vice verſa admixtus aquæ ſanguis emanarint; vtro ſiquidem modo fluxus acciderit difficultatem aliquam habere poteſt ex ijs, quæ ſum adducturus. Etenim D. Cyprian. lib. de Montibus Sina, & Sion confuſas inuicem ſanguinis, & aquę ſubſtantias erupiſſe his verbis dixit. *Percuſſus in latere lancea ſanguis, & aqua mixtus profuſus fluebat, vnde ſibi Eccleſiam Sanctam fabricauit.* Nec ſanè eorum, quæ docet S. Cyprianus omninò aliena videntur, quæ paulò enucleatius, & elegantius tractat D. Bernardus ſerm. 41. cuius verba haud dubiè lectori non iniucunda futura hic adſcribam. *Inſpice*, inquit Bernardus, *lateris aperturam, quia nec illa caret roſa, quamuis ipſa ſub rubea ſit propter mixturam aquæ, quia ſicut narrat Euangeliſta, cum vnus militum lancea latus eius perforaſſet, exiuit ſanguis, & aqua; ipſe eſt enim, qui venit per aquam, & non per aquam ſolùm, ſed per aquam, & ſanguinem optimus Ieſus Chriſtus. O ſuauiſſime vniuerſorum domine, & Saluator bone Ieſu, quales tibi condignas gratiarũ referre potero actiones, quià à principio ortus tui, vſque ad mortem diriſſimam, immò, & poſt mortem pro me pretioſiſſimum ſanguinem tuum fudiſti*: Hactenus ex Bernardo, qui, vt verba illa *propter mixturam aquæ*, ſignificant, ſenſit, confuſas & mixtas inter ſe profluxiſſe ſanguinis, & aquę ſubſtantias.

S. Cyprianus.

S. Bernar.

Verùm enimverò, & ſimilius veritati, & multo pro- *Auctoris opinio.*

babilius; immò non tam rationi, quam diuinæ sacri codicis historiæ reor esse congruentius, asserere nullã planè horum liquorum mixturam contigisse, dum fluerẽt, sed potius ita vnamquãq; sanguinis, & aquæ substãtiã distinctè, ac seperatim effluxisse, vt nec concors fluxio comixtionem, nec æqualis amborum lapsus pateretur aquæ, & sanguinis vnionem; sicq; ex eadem pectoris Christi plaga hinc sanguis, & inde aqua eodem tẽporis articulo pari, impermixtoq; passu gradiebantur. Quemadmodum disertissimis, apertissimisq; vocibus testatur S. Cyprianus sermone de passione Christi prope finem, dum inquit. *De latere tuo fons egreditur in vitam æternam prosiliens, & de eadem consubstantiali origine diuersis limitibus aqua, & sanguis emanant ad complementum, perfectionemq; totius iustitiæ, Sacramẽta in perpetuum duratura, & fontis illius vbertas perenni lapsu vniuersam Ecclesiam irrigat, & fœcundat.* Quam S. Cypriani sententiam secutus Franciscus Lucas Burgensis in suis commentarijs super hunc D. Ioannis locum, *quale*, inquit, *igitur fuit spectaculum videre sanguinem, & aquam ex vno, eodẽq; vulnere simul, & distinctè absq; cõmixtione, & confusione mutua scaturientes.*

S. Cyprian.

Franciscus Lucas Burgensis.

Nostræ verò opinioni de impermixta sanguinis, & aquæ fluxione fidem ea omnia conciliant, quæ aduersus alias hac de re opiniones adduximus; immò congruit mirificè cũ sacro Ioannis eloquio, ex quo statim, & continuò, hoc est simul, sanguinem, & aquam è latere Christi, exiuisse intellexim̃us. Neq; confirmandæ opinioni ratio deest, nam vti aquæ, & sanguinis confusio efficere solet, vt clarè in discretas vtriusq; liquoris sub-

ſubſtantias per cõfuſionem haud poſſimus intueri; ſic indiſtincta fluendi ratio, ita clarè humano S. Ioannis viſui obijciebatur, vt ab eo apertum diſcrimen intercedere inter aquam, & ſanguinem dignoſceretur.

Nec quempiam cõmouere debet ea cogitatio, quòd excellenti non niſi diuinæ virtutis miraculo fieri iſtud potuerit; cum decuerit, & congruentiſſimum etiam fuerit hanc lateris Chriſti apertionem pluribus inſigniri miraculis, vt hinc certum diuinitatis Chriſti argumentum colligere poſſet non ſolùm perfida Iudæorum gẽs, ſed etiam dura gentilitas. Prætereà quid cauſæ eſt, vt lector eam opinionem amplecti reformidet miraculi neceſſitate commotus, cum declinare eandem difficultatem non poſſit, neq; etiam miraculi rationem ſubterfugere? etenim cuicunq; recitatæ hactenus ſententiæ aſſenſum dederit, protinus etiam miraculum fateri cogetur, ſi eum ſubeat cogitatio, quod eandem planè ſedem vterq; liquor inhabitaret, ſiq; memoria repetat, eodẽ cuſpidis ictu non modò pericardion, ſed etiam Saluatoris cor tranſuerberatum fuiſſe; & ad extremum, ſi meditetur cauam pericardij venam, in qua fortaſſis diuerſari potuit aqua, & cordis venam à medicis Aſiagos dictam, in qua ſanguis quieſcebat, dilaceratas fuiſſe eodẽ lanceæ ictu; ex quibus neceſſariò conficitur, ni diuina manus alterum liquorem miraculosè retinuiſſet, ſimul, & vnà cum aqueo liquore emanaturum fuiſſe ſanguinem; ſicuti docuit loco proximè citato D. Cyprianus, cuius adductum in cap. quęſt. teſtimonium intelligendum eſt de vnione, ſeu de concordi fluxu, non autem de confuſione aliqua, quam duo illi liquores inuicem ſortiti

Refelluntur oppoſita argumẽta.

titi fuerint; nam quô alterum liquorem in fluxu ab altero non fuisse segregatum ostenderet mixtum eum aqua sanguinem, hoc est simul sanguinem, & aquam è latere Christi effluxisse dixit; velut ipse idem Cyprianus explicauit apertè docens diuersis vtrumq; liquorem limitibus defluxisse. Mixtura autem, de qua meminit D. Bernardus non est ad aquæ, & sanguinis substantias, sed ad lateris aperturam referrenda, neque enim confusos inuicem erupisse liquores tradit, sed dũtaxat lateris vulnus sua rosa haud caruisse, quandoquidem non rubro sanguine solúm, sed etiam cristallino aquarũ riuo, quæ duo mirè colorem roseum præseferunt, latus discriminabatur; quemadmodũ ea ipsa, quę D. Bernardus subnectit, clarè innuunt, quippequæ à modo loquendi, quo scriptura vtitur, non sunt aliena; ex scriptura autem discretio potius, quam sanguinis, & aquę confusio colligitur, vt patet.

De cœteris verò aliorum scriptorum testimonijs in contrarium adductis non curandum, sed liberè fatendũ est, nobis aduersari, sed quid tum? An fortè omnibus omnium Doctorum votis opus est, quô alicui sententiæ fides habeatur?



DI-

DISPVTATIO SEXTA.

De reliquis difficultatibus huius myſterij aquæ, & ſanguinis.

CAP. I.

Quanta fuerit ſanguinis, & aquæ copia.

DOCTORES ij, quorum animis ea inſedit opinio, quæ decurrẽtem è latere Chriſti liquorem aquam fuiſſe arbitrantur naturali proprietate in pericardio Saluatoris conquieſcentem, perexiguam aquæ copiam fuiſſe fateri tenentur. Nam cum in optimè affectis corporib. parciſſimus ſit pericardij liquor; quemadmodum principes medicorum viri tradunt, ex proſciſſo Saluatoris latere tenues aquei humoris guttę delabi potuerunt, cum Saluatoris corpus abſolutiſſimæ eſſet perfectionis, qua nihil ſublimius in tota corporum mole natura vidit vnquam. Verùm manifeſtè decipiuntur; quis enim, tenuem adeò aquæ quantitatem in tam prægrandi ſanguinis effluentis copia conſpicere, atq; clarè demirari potuiſſet? & tamen omnibus è latere deffluens aqua conſpicua fuit, vti ſe eam vidiſſe, atq; ſimul demiratam eſſe D. Ioannes teſtatur.

Alij, quibus perſuaſum eſt ex corporea Chriſti reſolutione natum eſſe lateris humorem, dicerent ſatis copioſam elementarem aquam fuiſſe ijs ipſis principijs ducti, de quibus ſupra mentionem fecimus. At vti futilia ſunt eorum Doctorum principia, ita etiam, quæ ex principijs deducuntur, nulla fide digna ſunt. Quid igi-

tur

tur affirmabimus? Certé in re obſcuriſsima mihi de aqua id meritò videtur aſſerendum, quòd de ſanguine lateris ſcitè protulit Simon de Caſſia ſerm. 13. de Paſſione Domini; Nimirum ſoli Deo determinatam aquæ menſuram, quæ è dominico latere fluxit, cognitam eſſe poſſe. *Sed illicò*, inquit Simon, *aperto latere exiuit ſanguis in menſura determinata ſoli Deo cognita, non nobis.* Quare, niſi alicui mortalium Deus hoc ipſum aperiat, nullus meo quidem iudicio poteſt propoſitæ quæſtionis punctim attingere veritatem, maximé cum nullum certum huiuſce rei argumentum ſiue ex ſcripturis, ſiue ex patribus, ſiue tandem ex momentis rationum erui poſſit.

Simon de Caſſia.

At quia ſæpè numero id, quod certis argumentationibus deprehendi non poteſt, quæri coniecturà ſolet; idcircò quo me coniectura ducat præſenti loco quam breuiſsimè aperiam; & totam hanc difficultatem ad duas aſſertiones reuocabo. Prima eſt huiuſmodi. Nõ tãtummodò ſanguinis, & aquei liquoris guttæ aliquot, ſed certum quoddam vtriuſq; profluuium, quod facilè ſub omnium aſpectum cadere poſſet, ex dominico latere manauit. Hæc aſſertio videtur communi omnium Patrum aſſeueratione confirmata, cum omnes non guttas ſanguinis, & aquæ, ſed fontes, riuos, vndas, (& ſi quæ ſunt alia huius ſignificationis nomina) ex aperto Saluatoris latere erupiſſe docuerint ijs in locis, de quibus hactenus perpetuam orationem habuimus; idem ſubindicant ipſa D. Ioãnis verba, quæ non guttas, ſed aquam & ſanguinem, ideſt certam quandam aquæ, & ſanguinis quantitatem fluxiſſe exprimunt. Hoc etiam conuincit

Prima aſſertio.

ratio,

ratio, nam alioqui D. Ioannes facinoris huius oculatus teſtis cũ à militibus impediretur ne propius gradũ ad crucem admoueret, cumq; longius à Crucis ſtipite eſſet ſemotus, nec aquam à ſanguine, nec ab aqua ſanguinẽ ſecernere obtutu potuiſſet. Tandẽ, hęc noſtra aſſertio certa eſt totius Eccleſiæ, & omniũ rectè ſentiẽtiũ aſsẽſu.

Secũda aſſertio. Tanta fuit vtriusq; humoris copia, quanta ſufficiebat abluendis, atq; irrigandis imis corporis Chriſti, & ligni Crucis partibus. Quæ fuit opinio doctiſſimi Franciſci Lucæ Burgenſis in commentarijs in Ioannem, cuius verba ſunt. *Et ex eo vulnere profluit, exiuit, non diſtillauit tantùm guttatim, ſed confertim, ac copiosè exiliuit tamquam ex plena ſcaturigine ſubito aperta poſt diuturnam obturationem.* Id quod multis ante eum ſeculis D. Bernardus ſub nomine copioſæ redemptionis diuinè meditabatur.

Secunda aſſertio.

Burgenſis.

D Bernardus.

Vbi, *vera enim*, inquit ille Canticorum cap. 22., *copioſa Chriſti redemptio eſt, quia vndam ſanguinis per quinque partes corporis largiter effudit, cum pro redemptione generis humani vna gutta precioſi ſanguinis eius ſufficeret, ſed data eſt copia, vt magnitudine muneris virtus innoteſceret diligentis*; at inter alias ſacrati corporis plagas certum eſt, lateris ictum maximè celebrem, atq; memorabilem fuiſſe; igitur D. Bernardo teſte, copioſam, abundantem, & largam ſanguinis vndam emiſit Chriſtus. Huc etiam referri debent, quæ D. Cyprianus libro de montibus Sina, & Siõ nobis ſcripta reliquit, tradens magnum & vberem aquæ, & ſanguinis fontem ex latere Mediatoris perenni lapſu vniuerſam Eccleſiam irrigantem, & fœcundantẽ egreſſum eſſe; quæ omnia vbertati horũ liquorũ lateris

mirè fauent. Potest insuper copiosa huius aquæ fluxio & Prophetarum, & Psalmographi testimonijs cõprobari. Et prophetæ quidem diuino spiritu pleni, ea quæ futura erant, antequam adimplerẽtur nobis quasi in ænigmate prædicentes, copiosam, atq; vberem futuram fuisse lateris aquam declarauerunt, vti patet apud Ezechielem c. 26. Vbi *effundam*, inquit propheta, *super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*; at, auctore D. Augustino, quid esse potest sanguine lateris perfectius? quid lateris aqua candidius? & quid tandem vulnere isto salubrius? Sed & Isaias c. 55. omnes fideles ad epotandas lateris Christi aquas dulcissimis vocibus inuitat, dum inquit. *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum properate, emite &c.* at quæ dulciores aquæ reperiri queunt ijs, quas in gaudio de latere Saluatoris homo haurire potest? verè enim patens, ac apertum Christi latus fontem dixeris, ex quo perennes cælestis gratiæ riuos hauriunt ij, qui sacro baptismatis charactere insigniuntur. In quam eandem sententiam Regius Vates discedens canit Psal. 45. *fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei*, & rursus alibi, *quæ fluũt impetu de Libano*. Sed quid pluribus opus est? certè frequentissima sunt sacri eloquij hac de re testimonia; Numerorum enim 20. & Exodi 17. vberrimos ex dura silice fontes erupisse legimus; hos autem aquarum fontes præ se tulisse imaginem eius aquæ, quæ de latere lãcea percusso exiuit, nullus est qui nesciat. Accedit tãdem ad confirmationem opinionis nostrę manifestũ B. Brigitę testimonium, quo hæc se à Deipara Virgine accepisse testatur dicens. *Cùm extraheretur lancea de corpore, statim abun-*

Ezechiel.

Isaias.

Prophetæ.

Ex dura silice aqua manauit Numerorũ 20. & Exo. 17

D. Brigitæ lib. 7. reuelationum cap. 15.

abundanter exibat de vulnere illo cum impetu quasi quidam fluuius sanguinis. Nec dubito quin idem pariter de aqua lateris asserendum sit.

Vtra sanguinis, an aquæ substantia vberior fuerit.

Sed rursus quærat lector, vtrane sanguinis, an aquæ fuerit abundantior copia? Respõderi potest, parem, vel ad summùm non admodum inæqualem vtriusq; liquoris quantitatem, & substantiam fuisse; quandoquidem arbitrari possumus tantã à Deo procreatam fuisse aquei humoris copiam, quantam idem Deus in cordis sede nouerat residere sanguinis, vt hinc pari, atque concordi lapsu vterq; liquor se se promere posset ad eũ modum, quem in superioribus exponere hactenus conati sumus.

CAP. II.

Ex quo Saluatoris latere sanguis, & aqua manarint.

VErùm illud non ita facilè est ad certis, firmisque rationibus conuincendum; dextrumne, an sinistrum fuerit latus, quod truci plaga à milite transfixum est. Etenim, quamuis dogma sit certissimũ fidei catholicæ, recessus lateris Christi ad ictũ cuspidis patuisse; nullis tamen adhuc S. Matris Ecclesiæ legibus cautum est, quodnam illud fuerit ex duobus. Quare tutò citrà omnem hæresis labem, & de hoc ambigi, & quæstio in vtramq; partem agitari potest.

Quinam docuerint vulnus dextro Saluatoris lateri hasisse Io. Maior.

Principiò igitur. Christum dominum dextro in latere vulnus accepisse variis Doctorum scholasticorum auctoritatibus hũc in modum suaderi potest. Sic enim habet Ioannes Maior non modò in controuersijs, ac disputationibus ijs, quas circa quatuor Euangelia excitat,

vbi inquit. *Cæterum dextrum latus Christi vnus militum lancea fodit, ac continuò sanguis, & aqua manarunt*; verùm etiam eandem habet sententiam in ijs libris, qui ab eodem in Magistri sententias euulgati sunt. Clarè prætereà testatur Innocentius III. ex dextro Christi latere fontes aquæ, & sanguinis manasse lib. 2. de Sacramento altaris cap. 8., vbi assignans rationem, cur in dextro altaris cornu á Sacerdotibus calix sistatur. *Ponitur*, inquit Pontifex, *calix ad dextrum latus oblatæ quasi sanguinem susceptur us, qui de latere Christi dextro creditur, vel cernitur profluxisse.* Sed & B. Brigita lib. 7. reuelationum idē se à matre Saluatoris accepisse testatur dum inquit. *Venit vnus accurrens cum furia maxima, & infixit lanceam in eius latere dextro tam vehementer, & validè, quod quasi per aliam partem corporis lancea voluerit pertransire.* Eandem opinionem D. Bonauentura in lib. meditationum de acerbis domini passionibus piè admodum tractat, & cōfirmat sic scribens. *Vnus autem Longinus nomine (tunc impius, & superbus, sed post cōuersus et martyr et sanctus porrigens lanceam de longe, eorum preces, & rogamina contēnens latus domini Iesu dextrum vulnere grandi aperuit, & exiuit sanguis, & aqua.* Deinde ad hanc sententiam faciant ea Ruperti Abbatis verba, quæ 3. Regum cap. 6. consignata sunt, vbi, *dominici*, inquit, *corporis de latere dextro iuxta Ezechielem aquæ viuentes, aquæ salubres egressæ sunt, & omnes ad quos peruenit aqua ita salui facti sunt.* Nec prætereire possum aliud S. Augustini testimonium, quod Alphonsus Paleotus libro de sacra sindone ex 15. de Ciuit. Dei colligit in hæc verba. *Et quod ostium in latere dextro accepit, profecto illud est vulnus, quandò latus Christi lan-*

Innocētius. B. Brigita. D. Bonauentura. Rupertus.

lancea vulneratum. Sed lapsus est sine dubio Paleotus, cũ particulam, *dextro*, quæ totum est huiusce probationis negotium Augustini contextus non habeat. Non recedit ab hac eadem opinione Bernardus, cuius verba in sermone 7. in Psal. Qui habitat circa medium sunt huiusmodi. *Et quidem Dominus Iesus post cætera inæstimabilis suæ erga nos beneficia pietatis, etiam dextrum sibi propter me passus est latus fodi, quod videlicet non nisi de dextra mihi propinare vellet, nõ nisi in dextra locum ponere refugij*, Idem sensêrunt Gabriel Biel in tract. de passione Domini, Gregorius Nazianzenus in tragædia de Christo patiente, Ludulphus Saxo de vita Christi par. 2. ca. 64. & Petrus Comestor Scholasticæ historiæ ca. 179. cuius hæc sunt verba. *Sed vnus militum lancea latus eius dextrum perforauit, & continuò exiuit sanguis, & aqua*. Tandem aliqui D Athanasium in eo libro, quem de passione imaginis Christi piè, & doctè composuit, huius opinionis protectorem faciunt; hæc ipsa ex eodem verba adducentes. *Hebræos sequentes Patrum suorum vestigia valido ictu lancea latus dextrum iconæ transfodisse credimus*. Sed re vera mihi non semel eum D. Athanasij librum peruoluenti, illud appositum in citatis verbis vocabulum, *dextrum*, nullibi occurrit.

S. Bern.

Biel.
Nazianzenus.
Ludulphus Comestor.

Verùm non modò Patrum testimonijs, sed etiam grauissimis coniecturis argumentari possumus, dextrum Saluatoris latus lancea fuisse percussum. Inter autẽ probabiles coniecturas ea meo sanè iudicio omnium prę-cipua est, quod passim, vulgò, atq; manifesto Ecclesiæ assensu, hanc opinionem approbari videam, sicuti declarat mos ille vsitatissimus, sacras Saluatoris imagines pin-

Eadem sententia coniecturis probatur.

pingendi, atq; efformandi; quo publicè exprimitur à milite lancea dextrum latus fuisse transfossum. Hinc licet certis omnium Sanctorũ Patrum testimonijs, aut manifestis sacræ scripturæ auctoritatibus confirmata non videatur opinio ista; attamen quia, quæ ad generales Ecclesię ritus, & cõsuetudines spectãt, neq; deprauata, neq; à communi fidelium cętu, ni vera sint, approbata diutius vllo vnquam tempore esse potuerunt, propterea cogimur arbitrari, fuisse hanc cõsuetudinem religiosissimè á primis vsq; nascẽtis Ecclesiæ incunabulis obseruatam, iustissimis rationibus adinuentam, & nobis hęreditario iure à Sanctis Patribus ex hac vita migrantibus relictam certissima traditione. Amplius huc spectant aliqua prophetarum vaticinia, quibus dextrũ Saluatoris latus prosciissum fuisse, velut digito innuere videntur; in primis enim Ezechielis 47. legimus. *Cum egrederetur vir ab oriente. Ecce aquæ redundantes à latere dextro,* (Christi videlicet, vt quorundam interpretatio est pendentis in cruce) Et mox, *aquæ autem descendebant in latus templi dextrum ad meridiem.* Sed quid plura? an nõ in claram huiusce rei figurã demãdarat Israelitis Deus, vitulum Deo in odorem suauitatis cremandum sistẽdũ esse in dextro altaris latere, *& immolabit,* inquit scriptura sacra, *ad latus altaris, quod respicit ad aquilonem*; illud autem cornu dextrum altaris latus erat. Ad extremum latus domini apertum esse duntaxat ex sacra pagina haberi potest, atqui latus absolutè, & simpliciter dictum nobiliorem, dextramq; hominis partem significat; quãdoquidem à nobiliori fit denominatio.

Ezech. 47.

Leuitici 1.

Oppositæ sententiæ.

E diuerso, non dextrum, sed sinistrum latus Christi transfossum

transfoſſum fuiſſe lancea illud imprimis declarat; quod non tam apud profanos, quàm apud ſacros ſcriptores latus pro ſiniſtra, non autem dextra hominis parte videam vſurpari. Virgilius enim lib. 2. Æneidos. *Pſalmographus.*

— *lateriq; argiuum accommodat enſem*; hoc eſt ſiniſtro fœmori accomodat enſem; & pſaltes Sal. 90. de latere ſiniſtro loquens, *cadent*, inquit, *à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis*, quemadmodum etiam docet S. Bernardus, qui hunc ipſum pſalmographi locum explicans in pſalmo qui habitat; meritò latus pro ſiniſtro latere accipiendum eſſe tradit. *S. Bernar.*

Prætereà ex conſtanti fama, concordiq; patrum ſententia conſtat ex eo latere manaſſe aquam, & ſanguinem; ex quo prima omnium mortalium mater formata eſt; magno ſiquidem Paulo teſte, id quod dormienti Adamo accedit, cum ex eius coſta Eua mulier ſumpta eſt, inſignis erat figura S. Matris Eccleſiæ, quæ ex latere Chriſti dormientis efformanda erat, quemadmodū manifeſtis verbis teſtatur ad Epheſ. 5. inquiens, *myſterium hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia*; atqui ab omnibus Eua ex latere ſiniſtro effecta creditur, propterea quòd in latus ſiniſtrum cor vergat, ex quo proficiſcitur fons, & origo amoris, qui feruentiſsimus eſſe ſolet inter virum, & mulierem; ergo à ſimili, haberi poteſt ex ſiniſtro latere Chriſti ſacros aquæ, & ſanguinis fontes erupiſſe. Amplius omnes illi patres, qui ex latere ſiniſtro ſoporati Adæ Euam extructam fuiſſe aſſerunt, conciliant non modicā fidem huic opinioni, quam nos in præſentia conamur aſtruere. Quid? an non ea, quæ ſuperius executi ſumus, cum ex corde, veluti ex fonte lateris ſanguinem decurriſſe: *Ad Epheſ. 5.*

rissse doceremus, siniſtri lateris proſciſſionem indicant? Nam ſi cor Saluatoris cuſpidis ictu ſauciatum eſt, eam indubiè pectoris Chriſti partem petere lancea debuit, in qua naturali propenſione cor reſidet, qualis ſola corporis humani ſiniſtra pars eſſe conſueuit. Ad hęc, vulnus à milite lateri Saluatoris inflictum fuit ad explorandam Ieſu Chriſti mortem, vti plures S. Patres docent, hoc autem experimentum in ſolo Saluatoris ſiniſtro latere peragi potuit, cum in eo duntaxat fons vitæ cor requieſcat. Ad extremum, ſi morem eorum, qui dextra manu alios vulneribus petunt, meditemur, ad ſiniſtram ſolùmodò partem deuolutum eſſe vulnus cogimur aſſerere, quandoquidem naturali motu ad eam tantùm interfectoris ictus diriguntur.

His, et alijs non abſimilibus firmamentis ſiniſtri lateris proſciſſionem inducentibus etſi plures ſacræ paginę interpretes ita aſſentiantur, vt conſtãter aſſeuerent, nõ aliud à ſiniſtro latere fuiſſe latus, quod lanceæ ictu apertum fuit, tamen apud me, eorum doctorum, qui prioris ſententię ſunt patroni, iudicium præponderat, tũ quòd celeberrimæ, ac noſtris etiam temporibus vſitatiſſimæ conſuetudini imagines dominicas conficiendi cõgruere illud videam, tum etiam quia non numero, & multitudine tantummodo ſuperiores hi ſunt, verùm etiam ſanctimonia, ac diuinarum rerum peritia, quali diuinitus excellebant Bonauẽtura, Gregorius Nazianzenus, Brigita, & cum alijs quorum nomina paulò ante retulimus, Summus Eccleſiaſticæ rei Antiſtes Innocentius.

Non auſim tamen poſteriori ſententiæ aſſenſum denegare, cum dubio procul ea ipſa argumenta, quibus fulciturꝛ

citur, probabilem admodum opinionem reddant; vti attentius illa perpendenti clarum erit.

CAP. III.

Quænam fuerit pars pectoris Christi ferro sauciata.

ILlud fortasse alicui accidet admirandum, qua ratione ita adigi potuerit à milite hasta, vt per latus Saluatoris infractis, atq; imminutis ossibus ad cor vsq; pertransiret, quemadmodum D. Ioannes Euangelista testatur; qui vbi de vulnere lateri incusso ea verba protulisset. *Et continuò exiuit sanguis, & aqua, & qui vidit testimonium perhibuit, & verum est testimonium eius. Et ille scit, quia vera dicit, & vt vos credatis,* statim adiecit hæc, quæ ossium illæsionem adstruunt. *Facta sunt enim hæc, vt scriptura impleretur. Os non comminuetis ex eo.* Quare licet solidum sit, ac firmissimum Christianæ religionis decretum, nullam imminutionem passa fuisse Saluatoris nostri ossa; nõ ita tamen facilè est claram huiusce rei demonstrandæ rationem adinuenire; nam cum pergrandis esset magnitudinis hastæ ferrum, quo sacrati corporis intimi recessus apparuerunt, planè obscurum videtur, qua via, quove transitu inter cõcinnatas pectoris Christi costas transire posset magnum, ac graue illud æs, quo hasta constabat, maximè cum (vt oculis ipsi nostris cernere possumus) natura sic pectus humanum concinnè ædificauerit, vt ossibus clementer curuatis, atq; in se velut in circulum fermè conductis non longioribus interuallis, sed simul omnibus inuicem colligatis molita sit pectoris opificium, atq; structuram. Exodi 21.

D. Vicentij opinio.

D. Vicétius sermone vnico de acerba Saluatoris nostri passione in die parasceues habito, ne aduersus id, q. Euangelica Ioannis narratio habet, admittere cogeretur, ossa domini confracta fuisse, in eam deuenit opinionem, vt arbitraretur, non eam pectoris Christi partem, quam communi more pictores notant lanceæ vulneri fuisse obnoxiam, sed potiús inferiorem Saluatoris naturæ partem, eam nimirum, quę tenera, ac molli duntaxat carne vestitur, qualis ea est, quæ inter pectoris, & fœmoris extrema locum tenet; cuius etiam opinionis defensorem fuisse Alexandrum de Ales autumat idem B. Vicentius; quamuis ego hanc assertionem de mente Alexandri diligenti cura sæpius conquisitam haud potuerim hactenus inuenire.

Si verò hinc arguas, temerè, & inscienter facere pictores aliter, ac se vulnus habuit, pictura exprimentes. Respondet D. Vicentius, eos nō temerè, sed piè potius, ac ingeniosè speciem vulnerati in pectore Saluatoris exprimere, quô videlicet huius seculi hominibus, qui pictura mirum in modum capiũtur, atq; in ea velut in exarato mortis Christi libello passionem meditari solent, illuceſceret, Saluatoris nostri cor ingẽti plaga fuisse transfossum, ex qua veniæ, & gratiarum aquas haurimus; immò addi potest, meritò id à pictoribus obseruari, vt hinc notum fieret mortalibus, quam libenti animo, quamq; toto ex corde nobis Vindex salutis nostræ Christus mortiferæ culpæ maculas, & crimina relaxarit. *Quare verò sic depingatur*, verba sunt D. Vincentij, *Dicendum quod pictura est laicorum scriptura, ideo, vt expressius laicis pateret, quod lancea cor Christi penetrauerit, &*

in

in ſignum, quod ex corde dimiſſa eſt nobis culpa per ſuam mortem. Hactenus ille, cuius reſponſio, ſi forte fortuna lectori placuerit, is aſſerere etiam tenebitur, tenellam corporis Chriſti partem, quæ coſtis adiacet, quæq; cõmuni nomine fœmur appellatur, ſub lateris vocabulo D. Ioannem comprehendiſſe; ſecús enim ab allata à D. Vincentio ex Alenſi doctrina recedendum eſt, quãdoquidem expreſſis, ac clariſſimis verbis pectus Chriſti fuiſſe ſauciatum meminit D. Ioannes in euangelica narratione, à qua diſsentire criminoſum, & impium eſt.

At ſatius eſt, id ipſum nudè fateri, quod, & ſacer Ioannis contextus, & piæ Saluatoris imagines exprimũt; nempe adactum fuiſſe cuſpidis ferrum per eam pectoris partem, quæ tranſuerſis oſſibus, ac planis, ideſt coſtis in diuerſum porrectis, conglobatur; Nam cum Saluatoris pectus non ex vno, perpetuoq; oſſe, ſed varijs, & diſcretis oſsibus inuicem leni carnis operculo colligatis conſtaret, vtique potuit aperiri cuſpide ferrea illæſis oſſibus, vt ſcriptura teſtatur; quandoquidem amplam ſatis, & ad haſtæ ferrum recipiendum capacẽ viam inter coſtas aperire ſibi potuit militari ferocia adacta cuſpis, præcipuè in ſacrato Mediatoris noſtri corpore, quod tetris verberum, & flagellorum ſcapulis penè diſsolutum, atq; diſsipatum fuiſſe vidimus alias. Sicq; truci plagæ ceſserunt, atq; loco tantiſper dimotę ſunt coſtæ dominici pectoris nulla ſubſecuta oſſium fractione. Poſset & illud ad huiuſce rei difficultatem enodandam probabiliter affirmari (ex quo integritas, & imminutio oſſium Chriſti probaretur) non totum haſtæ ferrũ ſacratos dominici pectoris artus penetraſ-

se, sed solam duntaxat cuspidis partem (longior enim ea fuerat) quemadmodum fortasis innuere videntur ea B. Brigitę verba. *Et cum extraheretur hasta apparuit cuspis rubra brunici coloris*, ni ex opposito, altius ferream cuspidem in membris Christi resedisse, & communi patrum testimonio, & eiusdem B. Brigitæ attestatione notissimum foret. *Venit enim*, inquit Brigita lib. 7. reuelationum, *vnus accurrens cum furia maxima, & infixit lanceam in eius latere dextro tam vehementer, & validè, quod quasi per aliam partem corporis lancea voluerit pertransire.*

DISPVTATIO SEPTIMA.

De lancea, & milite, qui pectus Christi aperuit.

CAP. I.

De figura lanceæ, ac de eo milite qui cuspidis ictu sanguinẽ, & aquam ex latere Christi elicuit.

HVius propositi capitis enodatio superiori dubitationi prodesse plurimum poterit, quippe quę non parum ex forma, & figura lanceæ pendet; quam in speciem longitudine palmarem, latitudine semipalmarem, ferriq. apice carentem formatam fuisse non semel oculis ipsi nostris contemplati sumus in expresso eiusdem cuspidis typo, quem singulari cura Illustris. Cardinalis Borromæus, cui omnes diuinarum, humanarumq. litterarum cultores maximè debent, curauit effingendum ex ea ipsa lancea, quam Baizetus Turcarum Imperator Constantinopoli Romam ad

Federici Borromæi Card. solertia.

Inno-

Innocentium Octauum Pontificem Romanum dono tranſmiſit, quamq; nunc etiam in baſilica S. Petri honorifico, religioſoq; cultu venerantur Chriſti fideles.

At ſcire opus eſt, quinam fuerit miles, quem in Chriſtum iam mortuum ictu lanceæ ſacrilegas miſiſſe manus prodidit Ioannes Euangeliſta. Pleriſq; viſum eſt, hunc militem fuiſſe Longinum, cuius crudelitatem, antequam Chriſti veſtigia ſequeretur, & mox conuerſionem, vitam, & tandem martyrium hiſce verbis proſequitur Venerabilis Beda in Martyrologio idibus Martij. *In capadocia paſſio S. Longini martyris, de quo in libello martyrij eius narratur, quod aliquando militans ſub centurione Romano in paſsione Domini latus eius cum lancea in Cruce aperuit, & viſo terræmotu, & ſignis, quæ fiebant, credidit in Chriſtum, pœnitentiam agens de operibus priſtinis; poſteà Monachus factus per triginta octo annos Chriſto militauit, multos conuertens ad fidem Dei; ad extremum verò martyrium compleuit in Capadocia ſub Octauio Præſide, quẽ propter infidelitatem ſuam diuino iudicio percuſſum corporea cæcitate poſt martyrium ſuum illuminauit.* Sic Beda; cui conſonant, quæ in Martyrologio Romano die 16. Martij de eodem Longino ſcribit Petrus Caleſinus ad hunc modum. *Cæſareæ in Capadocia paſſio S. Longini martyris, qui Ieſum Chriſtum crucifixum haſta percuſſit, ob ſigna, & prodigia ſubſecuta Chriſtianus factus eſt &c.* Adeſt quoq; huic opinioni Ado Epiſcopus Treuirenſis in Martyrologio, cuius hæc ſunt verba. *Natale B. Longini, quem tradunt illum eſſe, qui lancea latus Ieſu Chriſti pendẽtis in Cruce aperuit.* Nec diſcrepat ab hac eadẽ opinione Mutius Iuſtinopolitanus c. 57., ſacræ hiſtoriæ, dũ ſcribit Longinum

Beda Martyrol.

Petri Caleſini Martyrol.

Mutius Iuſtinopolit.

ginum fuisse eum militem, qui pectus domini transfodit, qui ob miracula conuersus postmodum, & ab Apostolis baptizatus glorioſi certaminis cursum confecit. Vsuardus. Eandem sententiã tuetur, ac defendit Vsuardus die 15. Martij. Cæsaris Baronij Martyrol. Quibus adstipulari videtur Cæsar Baronius in suo Martyrologio die 15. Martij, dum inquit. *Cæsareæ Capadocia passio S. Longini militis, qui latus domini lancea perforasse perhibetur.* S. Bonauenturæ. Id quod clarè confirmatur S. Bonauenturæ testimonio adhunc modum scribentis in meditationibus de acerbis domini passionibus. *Vnus autẽ Longinus nomine (tunc impius, & superbus, sed post conuersus, & martyr, & sanctus) porrigens lanceam de longe eorum preces, & rogamina contemnens latus domini dextrum vulnere grandi aperuit, & exiuit sanguis, & aqua.* Nec desunt etiam qui huius sententiæ patronum S. Isidorum esse arbitrentur eum talia pronunciantem inducentes. *Lancea Longinus latus Saluatoris aperuit, & non tantùm veniam inuenit, sed Episcopatus honorem, et martyrij coronã promeruit.* Verum huiusmodi auctores de loco, in quo hæc ab Isidoro consignata sint, taciti silent, & fortassis non temere, cum mihi talem de Isidori consensu opinionem in illius scriptis nusquàm offendere hactenus licuerit. Potest insuper hæc sententia egregio S. Augustini testimonio illustrari, qui tom. 9. suorum operum in eo tractatu, qui manualè inscribitur c. 23. percussorem dominici lateris Longinum appellat. S. Augustin. Vbi *claui, & lancea clamant mihi, quod verè reconciliatus sum Christo, si eum amauero. Longinus aperuit mihi latus Christi lancea, & ego intraui, & ibi requiesco securus.* Huc spectant etiam, quæ traduntur à multis alijs scriptoribus, qui aliquãdò

de

de vitis Sanctorum Martyrum ſermonem habuerunt, docentes Longinum fuiſſe eum militem, qui latus dominicum tranſuerberauit. Ad extremum his omnibus ſuffragatur Beati Nicodemi Euangelium; in quo hæc leguntur. *Accipiens autem Longinus miles lãceam aperuit latus eius, & exiuit de latere eius ſanguis, & aqua.* *Euangelium B. Nicodemi.*

Alij, quorum non vulgaris eſt auctoritas, præter ea, quæ de Longino hactenus commemorata ſunt, litteris prodidêre inſuper, tunc cum lancea pectus dominicum miles transfodit, egregium facinus, & miraculum contigiſſe, quod quia breuiter, & clarè à B. Vincentio explicatur ſermone vnico de paſſione domini, placet, vt lector illud ab eodem fideliter audiat. *Longinus*, enim inquit, *videre non poterat; an mortuus eſſet Ieſus, quia caligatos habuit oculos, & accepit lanceam ſuam, & inflixit eam in corde Chriſti, & continuò exiuit ſanguis, & aqua miraculosè, & per haſtam decurrens peruenit ad manus militis, & ex contactu viſum accepit &c.* Sic S. Vincentius; in cuius ſententiam totidẽ fermè verbis diſceſſit Ludulphus Saxo par. 2. c. 64. Vbi de Longino loquens. *Qui autem*, inquit, *lanceauit, cum ferè caligaſſent oculi eius præ ſenectute, & caſu, vel potius nutu diuino pectus lanceauit, licet neſciens, & ſanguine Chriſti per lanceam defluente oculos tangeret, continuò clarè vidit, & protinus illuminatus credidit in Chriſtum. Vnde, & militia cedens inſtructus ab Apoſtolis in Cæſareæ Capadocia triginta octo annis monacham vitam duxit, & in omni ſanctitate permanens verbo, & exemplo multos ad Chriſtum conuertit.* Quid? Gregorius ipſe Naziãzenus, ſeu, vt cum Cæſare Baronio alijs viſum eſt, Appolinaris Laodiceus, cuius ea videtur eſſe tragedia, *S. Vincentius.* *Ludulphus Saxo.* *Gregorij Nazianzeni tragedia,*

Longini

Longini cæcitatem hisce carminibus commendauit in tragœdia, quæ Christus patiens inscribitur. Vbi longe ante medium inquit.

Fixit hastam defluentis sanguinis
Tinctam liquore. Et ecce, vt vtraq; e manu
Haurit, oculosq; hoc vngit, hinc, vt scilicet
Detergat oculum nocte, quæ cæca obtegit.

Baptista Mantuanus.

A quo hanc eandem mutuatus opinionem Baptista Mantuanus recens, sed nobilis vates libro festorum hæc de Longino cecinit.

TV cæcus non mente minus, quam corpore, sanctum
Lancea, & admoto pectus mucrone petisti,
Inde cruor confusus aquis hostilia circum
In digitos lapsus tetigit cum lumina morbum
Sustulit. Ista Deus collyria misit, vt atram
Ex animo, ex oculis fugiens Horosia nubem
Secum ageret, vitæq; daret te cernere fontem.

Recens quidam sacræ scripturæ studiosus citat D. Isidorum tanquam huius opinionis auctorem, atq; hisce verbis loquentem inducit. *Longinus latus Saluatoris aperuit, & tactu sanguinis Christi, cum esset altero oculo priuatus, illuminatus est extra, & intus lumine fidei, & per Apostolos baptizatus fuit, & post longum tempus in Eremo Episcopatus honorem, & martyrij coronam inuenit.* Tandé in libello de gestis Beati Longini martyris, qui incerto auctore vagatur, eadem opinio longiori oratione descripta habetur. Quibus omnibus adstipulantur ea, quæ suppresso Longini nomine prodidit Petrus Comestor scholasticæ historiæ cap. 179. dum inquit. *Et qui lanceauit eum, vt tradunt quidam, cum ferè caligassent oculi eius,*

Libellus de gestis Longini martyris.

Petrus Comestor.

eius, & caſu tetigiſſet oculos ſanguis eius, clarè vidit.

Ex quibus duo colligere lector poteſt, Vnum eos omnes, quorum ſententias, & decreta retulimus, communiter opinari, trucem eum militem, qui lancea dominicum pectus transfodit, Longinum fuiſſe appellatum, Alterum, in quo ſolùm à ſuperiori ſententia diſcrepat, non idem planè omnibus ſecundæ opinionis allatæ auctoribus viſum eſſe de eo miraculo, quod de cęca Longini oculorum acie recenſent. Nam aliqui illorum, vt D. Vincentius, & Ludulphus caligatos tantúm Longini oculos fuiſſe litteris prodiderunt. Alij non caligine ſolùm, ſed luminis etiam cæcitate obrutos; alij demum non vtriuſq; oculi collyria, ſeu obtuſam aciem, ſed percuſſum duntaxat alterum cæcitate oculum Longino fuiſſe opinantur.

CAP. II.

Superiori capite allatam opinionem apochryphã eſſe ex Metaphraſte, & alijs antiquis ſcriptoribus conuincitur.

SEd hanc hiſtoriam, de qua diſceptatio eſt, futilem, & apochryphã eſſe ex antiquiſsimis grauiſſimorum ſcriptorum monumentis oſtendi poteſt, vti re ipſa ex Metaphraſte, cuius apud omnes indubitata eſt auctoritas, apertè conuincitur. Nam licet is diligentiſſimus ſit, & rerum ad martyrum geſta pertinentium abſolutiſſimus ſcriptor, tamen de Longino loquens, non alium à Centurione illo, cui, à Præſide corporis Chriſti cuſtodia demandata fuerat, Longinum fuiſſe ſcribit, quem omnium aſſenſu lancea pectus Saluatoris non petiuiſſe conſtat. Ponam hic totidem verbis de

Longino martyre Metaphrastis sententiam, vt ex illa aliarum opinionum falsitas tutius deprehendatur. *Postquàm*, igitur inquit 15. Martij, *sepulturæ mandatum fuit viuificum Christi corpus, Longino Centurioni rursus iussit Pilatus vitæ sepulchrum tueri custodia militari. Et ille quidem fecit, quod erat imperatum, etsi esset eiusdem cum Pilato sententiæ, vt iam dedicimus. Cum autem peractum esset magnum mysterium resurrectionis, & milites miracula, quæ erant maiora, quam vt ea caperet humana cogitatio, principibus Sacerdotum, & presbyteris iudaici cætus annonciassent; hoc illi ignominiam, & dedecus sibi afferri existimantes, & miraculum volentes extinguere, pecunijs persuaserunt militibus, vt calumniarentur Christi resurrectionem. Verùm non sic Longinus, sed mendacij quidem fuit præclarus confutator, verax enim testis veritatis, & qui non sustinuerit calumniari Christum, tamquàm furto subreptum, sed lingua, & mente libera eum verum esse Deum prædicauit, & è mortuis esse excitatum affirmauit. Quo factum est, vt & ipse Pilatus, & Iudæorum synagogæ principes, inuidiam, qua prius mouebantur in Christum, & quem in eum animo concipiebant furorem, eum tunc in Longinum transferrent, ei adeo irascentes, vt quidquid pateretur Longinus, existimarent eum non satis daturum esse pœnarum. Hinc ea res deuenit ad aures Longini, & eorum ira fuit ei significata. Quapropter magis volens cum Christo expelli, quam habitare in tabernaculis Iudæorum cum veste, et cingulo dignitatis ipsam quoq; simul, quam primum exuit militiam, & acceptis duobus militibus, qui habebant eundem zelum pro Christo, & veritate, declinat cum populo congressionem, & cum solo Deo, & secū uersatur. Nec post multum temporis relictis Hierosolymis ve-*

nit in

uit in Capadociam præco ſimul, & Apoſtolus Chriſti admirabilium operum, & quæ ſunt præter opinionem cum duobus illis militibus effecta. Hactenus ex Metaphraſte; qui glorioſi certaminis B. Longini martyris exitum longa & accurata oratione deinceps proſequitur. Ex cuius hiſtoria in primis intelligimus, Longinum, qui martyrij palmam Cæſareæ in Capadocia meruit obtinere, non eum fuiſſe militem, qui in Chriſtum mucrone lanceæ ſæuijt, ſed Centurionem illum, qui animaduerſis prodigijs, quæ ex hac mortali vita euolante Chriſto acciderunt, Chriſti diuinitatem præclaro fidei teſtimonio confeſſus eſt dicens. *Verè filius Dei erat iſte.* Cum Metaphraſte conſentiunt Aloyſius Lipomanus par. 1. hiſtoriæ ſacræ 16. Octobris, & Surius to. 2. 15. Martij, qui omnes inſignitum fuiſſe laureola martyrij præfectũ Centurionem aſſerunt. Ergo Longinus martyr lateris Chriſti percuſſor eſſe non potuit, quãdoquidem ex cõtextu Euangelico conſtat; nõ fuiſſe Centurię præfectũ, ſed militem ſub Centurionis poteſtate degentem qui crudeli plaga transfodit pectus Saluatoris. *Ioan. 19.*

CAP. III.

Auctoris hac de re iudicium.

TOtum difficultatis dubium, ſi pauca quędam cõſtituta fuerint, ex lectoris animo euelli poſſe autumo. Primum eſt. Negari non poteſt, quin dominicę paſſioni adfuerit vir, qui Longinus nomine, aut cognomine dictus, ſacras pro Chriſti gloria ceruices gladio abſcindendas gaudenti, alacriq; animo obtulerit Cæſareæ in Capadocia. Velut omnes anteà citati do-

ctores vnanimo consensu tradunt.

Secundum est. Nulla ratione huic Longino martyri tribuenda est lateris Christi plaga, vti priores illi in medium prolati doctores vulgari quadam fama commoti docere videntur. Hoc peruincũt ea, quæ ex Metaphraste, Lipomano, & Surio adducta sunt, quæq; in illorũ doctorum sententiæ obfirmationem leuiter perstrinximus. Nisi fortasse voluerit quis insciens noui cuiusdã, & secundi Longini martyrium in Ecclesiam inuehere; quod quis audeat? cum neq; istud ex aliqua veterum patrum scriptura, neq; ex certa maiorũ traditione; neq; ex necessario aliquo haberi possit argumento.

Sed audio alios oppositæ opinionis defensores nostram hanc assertionem indignè ferentes exclamare. Quid? Ergo nobis censoribus inueterata m apud omnes de Lõgino opinionẽ corrigere, atq; deserere opus erit? Quid, ergo noua hac opinione nostra tot S. Matris Ecclesiæ martyrologia, tot certa virorum illustrium decreta, atque ipsum etiam B. Nicodemi Euangelium refellenda atque repellenda erunt? absit.

Sed re vera neq; præceps nostrum istud esse de Longini disputatione iudicium, neq; atrocem in alios doctores censuram æquus, & prudens rerum æstimator dijudicabit, qui solo, ac solido veritatis indagandæ studio ductus meditabitur, atque agnoscet in primis opus illud, quod manuale appellatur, non esse D. Augustini, sed alterius doctoris, qui illud, vt & titulus ipse præ se fert, & vt ab alijs ibidem animaduertitur, non ex sacris B. Augustini libris, sed ex alienis scriptoribus collegit. Attendatq. pariter nõ

Manuale opus S. Augustini non est.

Gre-

Gregorij Nazianzeni, ſed Appolinaris Laodicei illud eſſe teſtimonium. Neq; ea D. Iſidori verba, quod ſciam, reperiri ita facilè poſſe. Adijciatq; præterea eos omnes, qui pro prima ſententia pugnare videntur, non curaſſe diligentius inueſtigare, num ea, quæ tunc temporis de Longino milite tradebantur, firmo eſſent canonicæ alicuius ſcripturę firmamento ſubnixa, quo proderetur, militem dominici lateris percuſſorem Longinum Centurionem fuiſſe, qui ſuum pro Chriſti confeſſione ſanguinem effudit. Nam cum per ea tempora hinc apochrypha illa Lõgini vita per omnium ora volitaret, & inde Longinum Chriſti mortis ſpectatorem ſimul, atq; corporis eiuſdem Domini cuſtodem ad ſempiternam beatorum felicitatem ſanguinis profuſione aduolaſſe vnanimi omnium aſſenſu palam eſſet; factum eſt, vt hi ea communi fama perſuaſi, neq; falſam libelli illius narrationem meditantes, litteris conſignarint, militem ſub Centurionis diſciplina conſtitutum, qui latus domini lancea tranſuerberauerat, eum fuiſſe Longinum; qui poſteà admiratus prodigia, quæ tempore paſſionis, & reſurrectionis acciderunt, toto pectore Chriſti fidem ſit amplexatus; cum tamen ex ipſo Euangelicæ narrationis teſtimonio compertiſſimum ſit, eum, qui viſo terrę motu, ſolis defectione, atq; conſideratis reliquis, quæ in Chriſti obitu facta fuerant, miraculis, non fuiſſe militẽ Centurionis poteſtatu ſubiectum; ſed illum ipſum militiæ principem, cui nomen erat Longinus. Quemadmodum locuples teſtis eſt S. Marcus Euangeliſta c. 15. ſuæ hiſtoriæ. Vbi, *videns autem*, inquit, *Centurio, qui ex ad-*

Appolinaris Laodiceus tragedia de Chriſto patiente auctor.

Quę cauſa fuerit erroris.

Marcus c. 15.

aduerso stabat, quia sic exclamans expirasset, ait. *Verè hic homo filius Dei erat.* In quam eandem sententiam hæc prodidit D. Lucas c. 22. *Erat autem fermè hora sexta, & tenebræ factæ sunt in vniuersam terram, vsq; in horam nonam. Et obscuratus est sol & velum templi scissum est medium, & clamans voce magna Iesus ait*; moxq; subdit. *Videns autẽ Centurio quod factum fuerat, glorificauit Deum dicens. Verè hic homo iustus erat.*

Lateris Christi percussor non fuit Longinus.

Hinc haud neglecto debitæ doctoribus reuerentiæ obsequio liceat mihi interpellare eos, qui cum virum, qui motus cęlestibus prodigijs iudaicam exuit prauitatem, sub Centurione militasse autumant; liceat inquam interpellare eos; num ei martyrij palmam, & Longini nomen tribuant; an alteri potius? Quod si respondeant, illum ipsum non verò alium fuisse, veluti Bedæ, Romani martyrologij, Iustinopolitani, & aliorum omnium scripta testantur; ergo consequens erit, subdo ipse, vel iudicibus ipsis oppositа nobis sentientibus, vt Longinus fuerit ille Centurio, cuius felix è mortalitate discessus ab Ecclesia solemni festiuitate colitur; Atqui Centurio transfossionis pectoris Christi reus non fuit, vt omnes fateri tenentur, & clarè docet D. Ioãnes Euangelista dũ inquit. *Vnus militum lancea latus eius aperuit*; igitur affirmare Longinum lateris Christi percussorem extitisse litteris sacris repugnat; quæ non Centurionem, sed Centurioni obtemperantem militem in Christum sæuijsse commemorant.

Porrò ex his lector maturum iudicium ferre potuerit, num scriptorum, an veritatis potior habenda sit ratio; præcipuè cum ij ipsi doctores, de quibus quæ-

stio

ſtio excitatur, nõ ex certa huiuſce rei notitia, ſed ex apocrypha duntaxat libelli cuiuſdam atteſtatione eam de Longino opinionem imbiberint. Quemadmodum Venerabilis Beda aſſerit in hanc ſententiam *Paſſio S. Longini martyris, de quo in libello martyrij eius narratur.* Neq; quẽpiam ea retinere debet cogitatio, quòd noua, & recenter orta videatur noſtra hæc de Longini militis ſententia; cum non eam noſtro ipſi marte finxerimus, ſed certa rei veritate compulſi coacti fuerimus euulgare. In quam opinionẽ etiam inclinaſſe Cęſarem Baronium Eccleſiaſticę eruditionis lumen clariſſimum ea indicant, quę to. 1. Annalium ad annum Chriſti 34. memoriæ prodidit; nam de Centurione loquens. *Prædictum verò* inquit, *Centurionem Longinum nomine appellatum fuiſſe, Chriſtiq; fidem ſecutum, abdicaſſe ſe à militia, ac deniq; ad martyrij palmam aduolaſſe, qui eius res geſtas ſcripſerunt, teſtantur. Ex quibus redarguuntur, qui ex apochryphis quibuſdam ſcriptis tradiderunt Longinum nomine, eundemq; cæcum fuiſſe militem illum, qui lancea latus domini aperuit.* Hęc Baronius, cuius etiam opinionis defenſor, & propugnator fuit Franciſcus Lucas Burgenſis in ſuis commentarijs in Ioannem ſuper commentatione illorum verborum: *Vnus militum*, vbi, *Nequaquam*, inquit, *iſte Longinus eſt appellatus, quamqam ita eum appellet auctor manualis, ſed Centurio ille, de quo Matthæi c. 27.* Abſit igitur, vt vel perexiguam fidem præſtemus ijs, quæ in apochrypho B. Nicodemi Euangelio narrãtur.

Beda martyrol.

Cæſar Baronius to. 1. annalium ad annum Chriſti 34.

Franciſcus Lucas Burgenſis.

Nicodemi Euangelium apochryphum.

Tertium tandem, & vltimum eſt; Quamuis concederemus ei militi, qui pectus dominicum lãcea aperuit, Longini nomen impoſitum fuiſſe ſiue à verbo græco

ἐο λόγχη, quod hastam significat; sic vt à nomine hastæ, qua miles vsus est, Longinus, seu Lonchinus fuerit appellatus, siue talis potius dictus sit à longitudine corporis, vt alijs visum est; attamen certum istud, atq; omninô indubitatum esse debet, militem lateris Christi percussorem, neq; martyrem, neq; cæcum fuisse, velut sententia apud plerosq; decantata perhibetur.

Apocrypha historia de Longino milite origo.

Immò tactam de militis cæcitate narrationem figmentum esse vel ex eo constat, quod ea ex falso, ac peruerso sacræ Ioannis historię intellectu ducitur; siquidem ea verba. *Et qui vidit testimonium perhibuit, & testimonii eius verum est*, quæ de se ipso protulisse Ioannem, & communis Patrum assensus, & sacra Concilia statuerunt, ad militem lateris Christi proscissorem stultè illi deferentes, sic ea exponebant; *Et qui vidit*, hoc est, & qui cum cęcitate oculorum affectus esset, miraculosè lumen recepit, sanguinem, & aquam ex latere dominico profluxisse testatus est; quo sensu nihil magis à catholica veritate alienum excogitari potest. Deinde; quis vel ad leuissima quęq; credenda paratissimus, adeò leuis esset corde tamẽ, vt sibi persuaderet sub Centurione Romano militaris disciplinæ apprimè tenaci militem caligine, & cęcitate affectos oculos habentem potuisse reperiri? Et hęc pauca sufficiant.

DI-

DISPVTATIO OCTAVA.

De prodigioſo ſanguine Chriſti.

CAP. I.

Quibus Sanctorum Patrum, & hiſtoriarum teſtimonijs ſanguinem ex imaginibus Chriſti aliquandò profluxiſſe probetur.

CÆterùm opus erit in præſens ſuperiorũ diſputationum, quas hactenus de multiplici cruoris domini effuſione explicauimus, velut clauſulam, & extremã huius quarti libri partem addere nouã, & omninò neceſſariam quæſtionem de eo ſanguine, qui non modo ex ſacris Mediatoris noſtri imaginibus, verùm etiam ex ineffabili altaris Sacramento mirabiliter emanauit. Propria ſiquidem huiuſce rei pertractãdæ ſedes hæc eſſe videtur, in qua, poſt habitum de cruore Domini ſermonem (vt erat adhuc Saluator mortalis miſeriæ telis obnoxius) recto ordine aliqua perſtringemus de ſanguine eiuſdem Saluatoris, vt erat immortalitatis gloria, & ſplendore donatus; antequam huic materiæ de varijs ſanguinis dominici effuſionibus finis imponatur.

Quô igitur propoſitam de prodigioſo glorioſi corporis Chriſti ſanguine diſputationem exequamur, illud eſt in primis perquirendum; quibus Sanctorũ Patrum teſtimonijs, & certis probatæ hiſtoriæ auctoritatibus conſtare poſſit, ſanguinem, ſiue ex Chriſti imaginibus, ſiue ex ipſo S. Synaxis myſterio effluxiſſe, vt ex

his cognitis indubitatam ijs, quæ sumus pertractaturi, lector fidem adhibere possit.

Verùm cum infinita propemodum, & innumera ex probatissimis scriptorum monumentis huic veritati illustrandæ nobis adeò suppetant testimonia, vt dubio procul opus istud crescceret in infinitum, si vnũ quodq; recensere vellemus, ideo modum, ac terminos quosdam huic rerum multiplicitati ponere decreuimus, ne tanta rerum, & testimoniorum vbertate, & copia illecti longius forte diuagemur. Quare nobiliora duntaxat testimonia quædam adducemus, quæ rem nostram clarius ostendant.

Et in primis, sanè clarissimum est illud D. Athanasij testimoniũ, quod in libello, cui titulus est. *de Passione Domini*, habetur. Is enim de quadã Saluatoris nostri imagine, cuius latus à fero, ac imani Iudæo mucrone transfixum est, historicam narrationem contexens, paulò altius execrandũ Iudaicæ impietatis scelus repetit grauissimis verbis, propositum nostrum clarissimè confirmantibus, quæ apud eundem videat lector. Ego enim prodigiosum superioris æui testimonium prætermittẽs nouum, ac recens miraculum hîc adscribam, quod ætate hac nostra superioribus annis plures oculis suis contemplati sunt, magna sanè admiratione dignum, nec pio lectori celandum, Etenim anno a partu Virginis 1526. 6. Cal. Ianuarij, hæc, quæ nunc litteris consignaturi sumus, oculati testes Thomas, cui cognomen Zacheus erat, Ioannes Antonius Carmenus, Franciscus Cigolinus, Petrus Tulanus, & plures alij iurata attestatione prodiderunt. In domicilio Thomæ Zachei parua tũc tem-

Christi Domini imago sãguinẽ fundit Carnobij anno 1522.

téporis tabella erat ſacris Ieſu Chriſti, Dominę noſtrę, & S. Ioannis Apoſtoli imaginibus nobilitata, quarum quę media in ſede conſpiciebatur, Chriſtum, quę dextro in latere, Virginem, & quæ tandem in ſiniſtro cornu ſita erat, D. Ioannem expreſſa pietatis ſimilitudine referebant. Hęc igitur efformata ad modum verę pietatis Chriſti imago primam circiter noctis vigiliam ſanguineas iterata vice ex oculis, atq́, cicatricibus guttas effluenter effundere cępit, moxq́; nec dū elapſa eiuſdē noctis hora ſexta eadem Saluatoris imago inſtar viuētis corporis moueri, ac à ſe concuti à pleriſq́; viſa eſt, ſcatentibus vndiq́; ſanguineis lachrymis, quas ad terrā properantes linteum excepit. At non hic miraculoſi euē tus finis, & exitus; ſed eo vſque ſanguinis fluxus decurrere non ceſſauit, donec multo cruore conſperſa ex latere imaginis Chriſti diuino opere coſta extraheretur, quæ in eodem linteo recepta modica viuæ carnis humanæ ſubſtantia pariter cruore imbuta conſtabat; quā poſtmodum vna cum linteo ſolemni pompa, & apparatu Eccleſiaſtici ordinis viri ad ſacras D. Victoris ædes tranſtulerunt. Quæ omnia ad nunc etiam viſuntur Canobij in templo, quod illius oppidi gentes è fundamētis excitarunt, quodq́; nomini ſanctæ Pietatis inſcriptum eſt, deſumpta videlicet appellatione ab ea ipſa imagine, quæ verum pietatis ſpeculum erat.

CAP. II.

Quòd ex ſacra Synaxi ſanguis non ſemel effluxerit.

SEd omittamus hæc, & alia huiuſmodi, quæ ex Saluatoris imaginibus erupiſſe ſanguinem ſatis apertè

demonstrant, & excitemus, si placet, non infirmiora testimonia aliorum, qui similes sanguinis effusiones ex sacro altaris sacrificio manasse prodiderunt, quãdoquidem Laurentius Surius, qui hoc studium mirificè coluit, nobis huiusce testimonia veritatis perquirentibus opportunè præsto est in appẽdice ad Naucleri historias. Quo loci mirum hoc portentũ an. salutis nostræ 1556. accidisse scribit. Forté Sachazetiin Panonia apud Iudęũ seruitutem seruiebat mulier Dorothea quædam cognomine Lazezka. Hæc siue certo auri pondere capta, siue largis domini sui pollicitationibus illecta, siue crebris stimulis concitata ad cælestem sacri altaris mensam properat, Sacerdotem Dei ministrum precatur, vt sibi diuinam corporis Christi escam dignetur impertiri. Ille quoniam simulatæ mentis fraudem nullo modo potuit intelligere, exhibuit nefandæ mulieri sacram Synaxim, quam, vt mos est, nõ demandauit in stomaci sinum, sed eam in sudariolo ad facinus perpetrãdum ex industria præparato inuoluẽs, tradidit Iudęo scelus istud summo desiderio expectanti. Hic vbi cælesti pignore potitus, & sui voti compos factus est, tres iudaicæ impietatis sceleratissimos, & ad facinus quodlibet audendum paratissimos homines, ac familiares suos conuocat Michaleum, Sucaum, & Iosephum. Hi omnes pari, ac simili furore perciti sacratum Mediatoris nostri corpus inuadũt ac dentibus frementes vnanimi assensu, ac conatu ferreis cultris, atq; pugionibus in contumeliam illud repetitis ictibus fodiunt, transfigunt, & dilacerant. Sed ò mirum præpotentis Dei iudicium. Vix sacratæ panis species his affectę contumelijs fuerant, cum ingentes sanguinis

Laurentius Surius.

Synaxis sanguinem fundit.

guinis riuos ſtatim effuderunt, quibus magnum vas repletum eſt. Similis etiam anno ſupra milleſimum trecenteſimo ſexageſimo nono flagitij, cum alij, tum nũc etiã ij teſtes eſſe poſſunt, qui Bruxellis degentes ſacram S. Gudolæ ædem inuiſunt pietatis gratia, in ea ſiquidẽ Ciuitate, vt auctor eſt Guiciardinus in deſcriptione germaniæ inferioris, noſtris etiam hiſce diebus publicè ſacra Synaxis oſtẽditur varijs trãſuerberata ictibus, quos ei Abraham Iudęus intulit, eo die, quo tormenta Crucis ſubijt ſalutis noſtrę Vindex Dominus, dignoſcũturq; etiã in hanc diem ſacræ illius panis ſpeties conſperſæ non exiguo cruore, qui tunc profluxit.

Et mirarer equidem vehementer hoc loco tetros huiuſce generis homines per omne ſcelus nequitię ſuę patrocinantes olim repertos fuiſſe, qui adeò perfricatæ frontis eſſent, vt nefarias manus in ſanctum domini inferre haud perhorreſcerent, niſi mihi ne hoc quidem mirandum accideret reputãti infelicis huius ætatis noſtræ temporibus non iudaicæ obſtinationis ſectatores ſed Chriſtianæ religioni aſcriptos homines eadem nefaria ſcelera, & flagitia in Dei maieſtatem edere. Ea eſt nunc deprauatæ naturę ad peſſima quęq; procliuitas, & deteſtabilis quolibet ſe ſe obſtringendi vitio hominum licẽtia. Scimus enim ſuperiori anno à Chriſti natiuitate milleſimo ſexcenteſimo decimo quarto idibus Aprilis Matthiam Minetum, & conſortem eiuſdem facinoris mulierem quandam, vulgò Mengha appellatam, Clarenſes, quod oepidum eſt iuriſdictionis Oſonæ apud Heluetios, clam ſacratiſſimum altaris cibum, quo ſpiritualiter animi noſtri reficiũtur, ad eum

Noſtri ætatis miracula.

locum

locum detuliſſe, in quo rebelles, ac ſuperbi ſpiritus cùm ſtrigibus, ac lamijs ſaltationes, ac choreas ducunt; diuinumq; Saluatoris corpus ſub tegumẽtis ſpecierum latens tenebrarum principi donaſſe, de quo munere Cacodæmon mirum in modum gaudens iuſſit illud turpiter in terrã deijci, atq; pedibus ſui nefandi comitatus proteri, ac conculcari; ex quo protinus factũ fuit, vt non ſine admirabili quadam diuinitus producto ſplendore magna ſanguinis copia ex attritis Sacraméti ſpeciebus manaret. Quemadmodum publico magiſtratus Oſonę ſigillo munitæ litterę & atteſtationes ad me delatæ haud dubiam vnicuiq; fidem facere poſſunt; quarum exemplar latinitate donatum nullum fortaſſis nõ fuerit operæ pretiũ in præſentia apponere, q; ſic habet.

Omnibus præſentes litteras inſpecturis fidem facimus, & atteſtamur nos Ioannes Baptiſta Pellanda Proſcriba, ac totius noſtræ regionis interpres, inter alia, quibus lamiæ, ac ſtriges ſe ſe obſtrinxerũt, ſcelera, quæ ignis ſupplicio apud nos luerunt, iſtud maxime recenſeri. Nempe maleficas quaſdam Euchariſtiæ ſacramẽtum dono Cacodæmoni conceſſiſſe, cuius iuſſu, & imperio protinus in terram proſternebatur, atq; cõterebatur; cumq; eidem pedibus inſultarent ſtriges magnã ſanguinis vim ex ſacra hoſtia elicuerunt, quam emiſſi diuinitus magni luminis ſplendores concomitabãtur, & tandem ex oculis eorum inenarrabili ratione ſe ſe panis ille ſacer ſubtrahebat. Cum autẽ rurſus à nobis interrogarentur quonam ſimulatæ mẽtis prætextu ſacrum Chriſti corpus inſcio Sacerdote aſportare poſſent. Reſponderunt perfacilem illis ſemper fuiſſe diuini

epuli

epuli ocultandi artem. Etenim in ipſo ſacræ refectionis actu poſtquam in primoribus labris, aut ipſo apice linguæ, qui ſacris præerat, corpus Chriſti de more reliquerat; nos ſtatim vel narium emunctionē, vel labiorum purgationem fingentes, ſudariolo, aut ijs velis, quibus capita noſtra obtendebantur, cōmorantem in labijs hoſtiam ita fraudolenter extrahebamus, vt nullus, vel per ſuſpicionem quidem hoc attingere poſſet, ſicq; extractum ex ore Sacramētum, & illis ipſis in tegumētis inuolutum conſeruabamus, donec deſtinatus ad ludos dies illuceſceret. Die autem Iouis noctu à nobis viuificum Chriſti corpus Dæmoni tradebatur. Eo autem iubente varijs pedum calumnijs ita affici conſueuerat, vt ſæpius ſanguinem, & ſplendorem ſimul oculis ipſi noſtris ex ſacra Synaxi prodeuntē viderimus. Sic enim nos Matthias Minetus Clarenſis ditionis, & Dominica miraculum iſtud non ſemel vidiſſe teſtamur in tormentis anno 1614.

CAP. III.

Cur Deus permittat has ſanguinis effuſiones contingere.

NOn eſſe vnum, & eundem ſemper huius miraculoſi ſanguinis finem, vel ex eo conſtat, quod videamus ſimilem diuini liquoris emiſsionem Deo annuente factam eſſe hactenus in varijs diuerſarum rerum euentibus, quos ad idem omninò ſpectare prudenti conſilio opinari non licet; quis enim meritò idē ferre iudicium poterit de ſanguine ex percuſſa imagine Saluatoris dimanante, ac de eo cruore, quem olim velut ſpontè ſua prodijſſe diximus. Latent profectò in his

ima-

imaginum,& corporis Christi miraculis diuersa supremi numinis consilia; quorum nos hic aliqua breuiter, & cursim attingere decreuimus. Nam licet plerumq; arcana diuinę mentis consilia sic mortales lateant, aut diuino cooperta velamine sub eius intellectum duntaxat cadant, qui alto diuinæ prouidētiæ arbitrio ea moderatur; nihilominus tamen aliquandò, & exitus ipse rerum, ea quæ humano consilio inexplicabilia videbantur, apertè declarat; et plerumq; etiam multa diuinæ virtutis opera clara,& conspicua redduntur ijs,qui miraculosi euentus non modò naturam, sed etiam personas,locum, & cætera,quæ quauis ratione ad patratum miraculum spectant, diligentiùs meditantur.Quemadmodum in re præsenti manifestum est;siquidem sanguine maduerunt quandoq;, Saluatoris nostri imagines,ad ostendendam sceleris grauitatem, & turpitudinem, qua impij imaginum percussores coinquinantur. Sæpe numero etiam ad reprimendam eorum temeritatem, qui sacris omnium Sanctorum, maximè verò Saluatoris nostri imaginibus nullum tribuendum esse honorem,quin immò earum vsum penitus de medio tollendum impiè criminantur.Tertio,vt omnes apprimè teneant imagini illatam contumeliam non in ipsa picturæ lineamenta, sed in eum ipsum, cuius præsentia in imagine colitur,referri.Quid?non inane præterea fuerit opinari, hisce prodigijs magnum aliquod exitiũ mortalibus portendi,cuiusmodi sunt grauissima Principum bella; cõmunes alicuius regionis morbi ægritudines,atq; tandẽ lues ipsa; cuius illustre exemplum habemus in incolis Canobij,qui adeò miseranda lue vexati sunt eo anno,

Variamiraculosi sanguinis causa.

qui

qui proximè consecutus est tempus illud, quo Sacra Christi imago riuos sanguinis effudit, vt omnes fermè ea tabe conficerentur. Deinde miracula, de quibus sermo est, à Deo proficiscuntur in claram eius rei confirmationem; quam deridentinfideles, ad quẽ finem spectabat illud Diui Athanasij testimonium, quo vel inuitis Iudaicę colluionis hominibus, vera Saluatoris nostri diuinitas, quam sempiterna obliuione sepeliendam per ludibria oĩ arte, & studio enitebantur, maximè patuit.

Ex quibus facilè comprehendere lector potest hæc omnia explicata hactenus miracula præcipuè ordinari ad stabiliendam, & confirmandam fidei nostræ veritatem, quam, vt euertere, & infirmare possent inimici, ipsum supernæ, ac æternæ maiestatis principem grauissimis contumelijs exceperunt. Nonnumquam etiam ista molitur Deus; vt ijs, qui effrenata peccandi licentia maximè delectantur, metum incutiat, atq; eisdem declaret dignè ad sacrum corporis sui Sacramẽtum, & non nisi sancto confessionis medicamine purgatis peccatorum sordibus, accedendũ esse. Ad quod attinent ea, quæ grauissimi scriptores litteris prodiderunt; docentes sacram escam sanguine madentẽ adeò tenaciter adhęsisse patenæ, vt nulla vi ex ea posset dimoueri; ne in sordidum peccatoris os reciperetur. Amplius, ea est Saluatoris nostri erga pios homines clementia, vt non semel ad permulcẽdos diuina consolatione fractos grauissimis miserijs animos, se se sub sensili specie pulcherrimi infantis præbuerit contuendum in his ipsis cõsecrati corporis, & sanguinis sui speciebus. Et tandẽ, vt cætera omittam, solet idem reparationis humanæ auctor Christus

horum miraculorum virtute, & experimẽto quorundam fideliũ mentes in fide Catholica adhuc debiles ad ardentem mysteriorum religionis nostræ contemplationem excitare, atq; ad assensum alacriter fidei rebus præstandum erigere.

An Dæmoniacæ fraus in his rebus lateat.

Sed, numquid aliqua in his latere potest Cacodæmonis fraudolentia, cuius in fallendis, atq; decipiendis hominum cogitationibus calliditas notissima est? Vti re ipsa dolis decepit quendam Franciscanæ familiæ virũ, qui, cum Sacerdoti rem sacram faciẽti deseruiret, videretq; eum refici sacrato Saluatoris nostri corpore, inæstimabili ardere cæpit desiderio eiusdem escæ degustãdæ sibi nimiũ de proprijs meritis, ac dignitate persuasus. Cui Dæmon Angelum lucis imitatus statim præsto adfuit, eiq;, qua solet celeritate, in spetiem corporis Christi fictam hostiã porrigens non sacram synaxim, sed se ipsum obtulit, quem vt ore contigit, sensit illico miser dolos, versutias, ac inimici damna, quibus per subsequentia tempora miserabiliter perpetuò excruciabatur Dæmoniaca substantia obsessus.

Videndus Gabriel Biel in canonem.

Cęterum, vt motæ difficultati satisfaciam, sicut non puto inficiandum, quin magnę illusionum Dęmonis, ac proprię etiã v niuscuiusq; imbecillis imaginationis vires existant, vt propterea aliquãdò vel à Satana in errorem inducamur, uel certe à propria imaginatione nostra decipiamur, rem aliter, quam illa se habeat, apprehendentes; ita certissimum esse duco in hisce rebus, quę vt plurimum in fidei nostrę testimonium peragi solẽt, fractas admodum, atq; debilitatas esse dęmonis vires, vt non nisi rarò in recensitis, & alijs eius generis effusionibus

nibus ſanguinis, & cæleſtibus miraculis dæmonis virus contegatur. Verùm quia, & aliquandó factum eſt, et deinceps etiam Deo permittente fieri poteſt; vt humani generis hoſti decipiendi, atq; ſenſus noſtros deludendi facultas concedatur, erit ſanè prudentis viri, tunc, cum ea prodigia cernũtur, Deo humiliter ſupplicare, vt certam apparentis rei notitiam aperire dignetur.

Quid obſeruandum ſit in huiuſmodi prodigijs fallacia Dæmonis contegat.

Quare licet ad omnem erroris ſuſpicionem penitus de medio tollendã ea ſpiritus ſancti virtus exigeretur, quam diſcretionem ſpirituum vocant, proderit tamen mirabiliter tunc hominem in rebus, quæ viſuntur, in euentibus, in perſonis, locis, temporibus, atq; cæteris miraculoſi facinoris circunſtantijs totum eſſe mente, ac cogitatione defixum.

DISPVTATIO NONA.

De prodigioſi ſanguinis natura.

CAP. I.

Quibus firmamentis probari poſſit, prodeuntem ex ſacra ſynaxi liquorem sãguinem naturalem eſſe corporis Chriſti.

VTrum verò cruor ille, de quo agimus, veri, ac naturalis ſanguinis Chriſti pars aliqua fuerit nec ne, diligenti inueſtigatione perquirendum eſt; nam eũ pro vero, ac naturali glorioſi corporis Chriſti ſanguine eſſe ab omnibus habendum, hæc minimè captioſa argumenta perſuadere videntur. Principió, ſanguis diuino miraculo ex ſacra

synaxi profluens ad eum maximè finem præordinari solet, quô corporis, & sanguinis domini substantialis presentia,& veritas sub corporeis accidentium inuolucris tegi ostendatur, atq; certissimo eiusdem veritatis experimento comprehendatur, ad quem finem ritè obtinendum solus Christi cruor idoneus,quin immò perneceſſarius est,quandoquidem de eo duntaxat latente oritur hæsitatio, cui non satis pro dignitate esset consultum, si ad obfirmandam sanguinis Christi sub sensibili spetie inuoluti veritatem non certa sanguinis eiusdem præsentia, atq; manifestatione,sed inani, & dubio tãtum veritatis signo Deus ipse vteretur, vti accideret, si externa aliqua concreati sanguinis materia, quæ nullam cum sanguine Christi connexionem, & affinitatem obtinet, apertam veri sanguinis sui cognitionem hæsitanti animo vellet impertiri; qua enim ratione is, qui sanguinem in calice contineri reuocaret in dubium,ea potissimũ de causa ductus, quòd nullum veri sanguinis Christi vestigium sub vini spetiebus appareat,à falsitatis,& dubię fidei metu liberari posset; si non sanguinem Saluatoris,sed alicuius alterius creaturæ sanguinem in calice intueretur; an non certum maioris potius dubitationis, & suspicionis istud esset argumentum? quo certitudo latentis veritatis non ex aperto sanguinis Christi, de quo sollicitudo esset, sed extraneo confícti sanguinis symbolo peteretur; quam enim virtutem apud dubiæ fidei virum sanguis recenter efformatus habere potest ad confirmandum latentis sanguinis Christi præsentiam, cum equé difficile sit, immò reipsa difficilius,viso tauri sanguine, exẽpli loco,

co, hominem inducere ad credẽdum ſanguinem Chriſti ſub vini accidentibus latitare, quam Deo docente idem dogma fateri. Præterea ſoli Deo, & corpori dominico etiam (ratione diuinitatis ſibi in vnitatem ſuppoſiti vnitæ) latriæ cultus debetur; cæterùm enim alijs quibuslibet rebus huiuſmodi honorem exhibere diuina lege vetamur, & nihilominus exiſtentem in calice ſanguinem, de quo loquimur, eodem iuſtæ venerationis obſequio colimus, ac veneramur, vt cunctis ſuffragijs decerni ſolet á Theologis. Quid? nullus ſanæ mentis inter pretioſas Sanctorum reliquias ponere vnquàm auſus eſt eum ſanguinem, qui nulla ratione à Chriſto, vel in Chriſti confeſſionem profuſus ſit, & tamen Principem dignitatis locum inter ſacras Sanctæ Matris Eccleſiæ opes tenuiſſe ſcimus ſanguinem ex altaris myſterio dimanantem, vti inſigne teſtimonium habemus in tractatu de corpore Chriſti apud Guidmundum, ſeu, vt ab alijs appellatur, Sigiſmũdum, cuius hęc verba ſũt. *Satis mihi placet, vt quando aliqua apparentia, vel certè miraculum nouum de tãtis myſterijs accidit, id vnum fieret, quod magnus vir ſine dubitatione credendus dominus Lanfrancus ſe puero in Italia factum eſſe narrauit. Nam cum Presbyter quidam Miſſam celebrans inuentam ſuper Altare veram carnem, & verum in calice ſanguinem ſecundum propriam carnis, & ſanguinis ſpetiem ſumere trepidaret, rem protinus ſuo Epiſcopo conſilium quæſiturus aperui. Epiſcopus autem cum multis coepiſcopis adhoc conuocatis calicem illum cum eadem carne, & ſanguine domini diligenter opertum, & ſigillatum incluſit in medio altaris pro ſummis reliquijs perpetualiter reſeruandum.* Hactenus ille; ex cuius verbis

Guitmundi documẽtum.

verbis liquet sanguinem illum tãquàm naturalem Saluatoris nostri sanguinem summo in honore ab illo Patrum cętu habitum esse. Amplius, prętenti opinioni illud quoq; adest probabilissimum, quod præter confirmationem Catholici dogmatis de vera in accidẽtibus vini sanguinis Christi præsentia, tota huiusce negotij, & facti ratio est potestas facientis; at qualis, & quanta Mediatoris nostri miracula ista patrantis virtus est, & efficacia? qui si, vt Deũs, à nobis apprehendatur, quam nullo penitus negotio veram sanguinis sui naturam humanis oculis contuendam offerre potest? Quòd si verò in eiusdem cognitione persistamus, vt humanæ naturæ spolijs induitur; quis ignorare potest, in Christi vt gloria, immortalitate, spirituali celeritate, ceterisq; donis vires naturæ supergredientibus excellit, in Christi inquam potestate omninò situm esse, vt possit, & quoties, & quibuslibet in locis, & omnibus in rebus, modo, forma, specie, & figura, vti lubet, se se mortalium oculis spectabilem reddere? nam si eo vsq; Beatarum mentium, & Angelorum potestas, & virtus protenduntur, vt intra præscriptos à præpotenti Deo loci limites in assumpto corpore præsentiam suam humanis oculis ostendant miris, ac plerumq; differentibus modis; qua ratione Angelorum effectori similem, & sublimiorem etiam se se manifestandi rationem denegabimus? ergo poterit Mediator Christus, cũ ei, &, vt ei placuerit, singularem sanguinis sui naturam, vel in calice, vel in panis accidentibus, vel alijs in rebus sic palam facere, vt ea sub corporatum hominis aspectum cadat. Et tandem, vt semel finiam, cum Christus Dominus, postquã

é tene-

è tenebroſo hoc, atq; caliginoſo aere recedens ad diuinam Æterni Patris dexteram ſedit, ſe ſe videndũ Apoſtolorum Principi obtulerit, vt in ſacris litteris traditur, cur in his miraculoſis ſanguinis Chriſti effuſionibus diuina virtute patratis confictam, & ſimulatam tãtummodo ſanguinis Chriſti naturam cerni poſſe affirmabimus?

Huius opinionis è Theologorum ſchola comprobator fuit Alexander Alenſis, qui licet iudicij ſui calculũ adijciat humillimè de ſe ipſo ſentiẽs, dũ ſcribit. *In caſu propoſito nihil me ſcire confiteor, vnde nihil definiendo, vel aſſerendo, dico, ſed ſalua ſententia meliori tantum opinando &c.* in eam tamen ſententiã diſceſſit, 4. p. q. 11. membro. 2. ar. 4. t. 3. quęſtiuncula penult. Vbi *videtur igitur*, inquit, *inſipientiæ meæ, quod quando poſt conuerſionem panis in corpus Chriſti, & vini in ſanguinem opere mirabili apparet puer, vel in eleuatione corporis Chriſti, vel alias, ſeu fruſtum carnis, & ſanguinis in calice, quod eſt Chriſtus, vel caro Chriſti, & ſanguis*; Sic Alexander, cuius opinionem amplexatum eſſe Gabrielem Biel in canonem lect. 51. recens quidam noſtrę huius ætatis Theologus docet; ſed haud ſcio, num iure hoc Gabrieli adſcribat, qui dum explicat, quid ipſe iudicij de hac ipſa controuerſia habeat, ad hunc modum loquitur. *Omnes ergo modos illos eſſe poſſibiles infinitæ potentiæ Dei, puto fideli non dubitandum. Nullus enim illorum contradictionem includit, & rationes hinc inde non demonſtrant, & facilè ſoluuntur. Quid autem de facto dicendum ſit, quid ego homuncio dicere poſſum, vbi tanti Doctores diſcrepant; ſed imitandus eſt mihi Doctor irrefragabilis profitendo propriam ignorantiam,* & mox.

Alexandri Alenſis ſententia.

Hinc

Hinc videtur cautius pie dubitare facti huiusmodi modum, quam curiosè, & temerè aliquem prædictorum sine ratione sufficienti, & auctoritate determinare. Hactenus ex Gabriele; cuius verba sanè indicant, vt patet, Gabrielem in Alensis decretum liberè, & constanter non propendisse; hæc tamen duo de præsenti disputatione perquam vero similima ei visa esse. Vnum, diuina potestate, quæ consuetum operandi modum non seruat, fieri posse, vt vera, ac naturalis sanguinis Christi natura in calice ostendatur. Alterum, Gabrieli semper fuisse incompertum, quid re ipsa in prodigiosis hisce euentibus accidat, vsuq; eueniat; ex quibus, ne Alexandri Alensis sententiam præcipiti iudicio damnaret, manifestè profitebatur sibi latius, ac tutius videri ista in dubio relinquere, quam nimia curiositate, ea, quæ sibi non adhuc satis exploratè percepta, & cognita erant, sine vlla dubitatione defendere.

Gabrielis Biel opinio.

CAP. II.

Angelici doctoris, omniumq; fermè theologorum de huiusmodi glorioso sanguine sententia.

Angelici doctoris sententia.

ET hæc quidem illi dubitanter tradiderunt. Secus verò Angelicus Doctor in hac eadem quæstione tutius, ac liberius versatur, apertè docens cum sanguinem, qui non semel apparuit, aut in consecrato calice, aut in sensili panis specie, non spectasse ad corporis Christi perfectionem, neq; ad eiusdem humanæ naturæ complementum; sed potius ideo, inquit S. Th., sanguis Christi in calice apparuit, quia solummodo facta

mu-

mutuatio fuerat ex parte conſpiciẽtis, poteſt ſiquidem Deus ſic perbellè ſanguinis ſimilitudinem in oculo hominis efformare, vt immutatis planè latentis ſanguinis accidentibus, homo ſanguinem intueri ſe arbitretur, nulla ex parte Sacramenti ſubſecuta mutatione. Quod maxime fieri autumat S. Thomas, cum in eodem Sacramento vnus, exempli gratia, panis, aut vini accidẽtia, alius puerum, ſeu ſanguinem, tertius verò, & cæteri omnes aliud quidpiam diuerſum vident, ſiue etiam cũ idẽ homo modò ad breue tempus ſpetiem carnis, & ſanguinis, modò ſola ſanguinis Chriſti accidentia ſpeculatur in calice. Quamquam non inficiatur in calice apparere aliquandò ſanguinem non modò per ſolam oculi, verũ etiam per veram accidentium Sacramenti mutationẽ, qua effici ſolet, vt vini conſecrati figura, color, & ſi quę ſunt alia huius generis accidentia, ita miraculosè ſanguinem exprimant, ac ſi naturalis Chriſti cruor eſſet, quamuis re vera tamen non ſit eius naturæ, vti colligere licet ex S. Th. 3. p. q. 76. ar. 8. in corpore articuli, & in reſponſione ad ſecundam argumẽtationẽ, dũ inquit. *Dicendum, quod in huiuſmodi apparitionibus (ſicut dictum eſt) non videtur propria ſpecies Chriſti; ſed ſpecies miraculosè formata, vel in oculis intuentium, vel etiam in ipſis Sacramẽtalibus dimenſionibus, vt dictum eſt.* Sic S. Thomas, cum quo faciunt alij nõ pauci primarum partium Theologi; in quorum numero eſt Ægydius Romanus propoſitione 23. ad hunc modum ſcribens. *Cum miraculosè apparet in hoſtia imago pueri in ſpetie carnis, prout Chriſtus ibi Sacramentaliter exiſtit, dimenſiones ibi apparentes, dimenſiones corporis Chriſti eſſe non poſſunt*; cuius ſanè teſtimo-

S. Th. 3 p. q. 76. ar. 8.

Ægydius propoſitione 23.

nium, etsi de corpore, & carne Christi duntaxat militet, illud idem nihilominus de sanguine etiam sub vini speciebus apparente accipiendum esse vel ex eo cōstat, quòd de vtroque eadem vis, & ratio sit. Quòd autem docet Aegydius, Ricardi de Media Villa simili opinione confirmari potest, qui 4. sent. dist. 10. ar. 5. q. 2. hanc difficultatem eodem fermè modò dissoluit, qui licet de corpore Christi loquatur, idem dubio procul etiam de sanguine Saluatoris assereret, si de cruore simili modo apparente sermonem instituisset, velut etiā alios deinceps citandos doctores facturos esse mihi omnino polliceor, si ab eisdem sermo de miraculoso sanguine fuisset instituendus; cum eadem momenta rationum vtrobiq; non minus de corpore, quam de sanguine Mediatoris militent. Nec clara Durandi hac de re opinio reticenda est, qui in omnibus fermè adeò Angelici doctoris æmulatus est sententiam, vt eam totidem fermè verbis referat, atq. explicet totam quæstionem his verbis terminans. *Quare fit immutatio tantùm miraculosè circa alia accidentia, figuram, & colorem, ita quod videtur caro, vel puer.* Et ecce, quam clarè Durandus nullā in his euentibus carnis, aut sanguinis Christi veram partem reperiri profiteatur, dum solam mutationem circa panis accidentia concedit. Ad hæc, non possem non attingere hoc loco similem sentētiam Marsilij Inguen, quam q. 7. ar. 3. multis verbis tradit, ni ea vulgata omnibus esset. Hoc ipsum breuiter quidem, sed articulatè, & distinctè declarant ea, quæ videat lector apud Petrum de Palude citato loco q. 4. num. 20. His doctorū placitis subscripsêre non modò Dionysius Carthusianus

Ricardi sententia.

Durandi opinio.

Marsilij Placitum.

nus, verùm etiam fermè omnes alij, quotquot fuerunt Alexandro posteriores. Adijcio tandem pro clausula illud, quod Ioannes de Poliaco apud Turrecrematam 2.p. in cap. inuitat de celebratione missarum, prodidit in hanc sententiam quodlib. 4. ar. 3. qui, dum de sanguine Christi ageret, qui in terris visus est aliquandò, & ideò inquit, *siue fluxit de corpore Christi; siuè nõ, nõ est error in Ecclesia, nisi asseratur, quod de corpore Christi fluxerit, quod, vt puto, non faciunt.* Hæc Poliacus, qui (vt verba illa *non propter se, sed propter Christum,* sicuti, ea pariter, *nisi asseratur, quod de corpore Christi fluxerit,* innuunt) arbitratus est, non modò falsum, sed etiam erroneum esse, asserere sanguinem, qui in Ecclesia etiam nunc reseruatur, quiq; ex imagine fluxit, naturalem Saluatoris nostri liquorem fuisse; quod non ita facilè alij credendum putant, tùm quia nulla sanctæ sedis definitio extat; tùm etiam quia haud ab hoc errore excipiendus videretur Alexander de Ales pietate, doctrina, & morum integritate insignis theologus, qui contrariam opinionem approbasse videtur; & tamen nullus doctorum hucusq; repertus est, qui Alensis opinionem erroneam ausus sit appellare.

Dionysius Carthusianus.
Ioannes de Poliaco.

Sed, quænam esse possunt præsidia huius opinionis omnibus hisce doctoribus probatæ? Multa sanè à pluribus in hanc sententiam confici possent argumenta, quæ ego in præsens non attingam, his paucis duntaxat contentus. Principiò, substantia particeps corporeæ molis loci dimensionibus, ac legibus astringitur, nempe, vt corpus quantitate affectum ita vni loco adsit, vt alterum locum simul, & semel occupare nequeat; ac pro-

Præsidia opinionis.

inde, vt si vno in loco verè conspiciatur, alibi idem corpus videri non possit; igitur cum Mediatoris nostri corpus quantitate constans in cælis commoretur, atq; à beatis spiritibus clarissimè videatur, non poterit sub corporatum mortalis oculi aspectum cadere. Prætereà satis plagarum, atq; contumeliarum accepit Christus, dum mortalem vitam agebat; quorsum ergo opinabimur, Dominum iam diù immortalitate donatum, perpetuaq; tranquilitate, ac pace fruentem, rursus ferro sanguinem è sacra hostia educente transfodiendum? absit quæso istud á pijs fidelium mentibus, cùm Apostolo testte, Christus resurgens à mortuis iam nõ moriatur; neq; mors illi vltra dominetur; at quæ vel à morte immunitas, vel quietis felicitas, vel demum Saluatoris nostri essset consummata beatitas, si è domicilio venarũ corporis Christi ad nunc etiam cruor erumpere cogeretur ob vim illatam vel ab Arahamo Iudęo, vel à strigibus, vel ab ijs, quorum nefanda scelera ante retulimus. Deindè attinet maximè ad dignitatem, atq; insignem glorioſi corporis Christi potestatem, eum locũ, in quo visitur, deserere, ac quàm celerrimè, prout ei libuerit, in alium secedere, & nihilominus constat cruorem ex sacra syna xi erumpentem diu vsq; ad omnimodam sui ipsius corruptionem apud nos in terris remansisse. Tandem nefas est opinari, (quemadmodum monet Angelicus doctor) verum corporis Christi sanguinem per lõgissima spatia temporum asseruari, atq; in calice, aut pixide cõseruari posse; irreligiosum igitur pariter fuerit tutò, atque asseueranter affirmare, naturalem glorioſi corporis Iesu sanguinem posse ex Sacramento altaris emanare;

Et

Et hęc ſunt, quæ ſtrictim à B. Thoma, & alijs excogitata fuêre, tanquàm certa ſuarum opinionum pręſidia.

CAP. III.

Quid cenſendum ſit de hac quæſtione.

FAteor equidem (etiamſi, vt ſcite dixit eloquentiæ parens Cicero, vnicuiq; ſuo iudicio vtendum ſit,) difficillimum eſſe, in præſenti quæſtione inter celeberrimos doctores agitata, certum aliquod, ac firmũ ferri poſſe iudicium, cui diſcrepantes hinc inde doctores benevole ſtare poſſint. Nam ſicuti non me prętexit, paulo duriorem æquis rerum iudicibus Alexandri Alẽſis videri poſſe opinionem; ita non adeò ſum tardi, atq; rudis ingenij, vt optimè non videam, infirma admodũ eſſe cúm aliorum doctorum, tùm ipſius Angelici doctoris, (quod pace ſanctiſſimi, ac doctiſſimi viri dictũ ſit) humanarum rationum firmamenta, quibus arbitrati ſunt, ſe tueri poſſe recitatam de miraculoſo cruore opinionem; ex quo ſequitur, difficile factu eſſe, vt à nobis firma aliqua, ac ſtabilis ratio attingatur, quæ vel propoſitum noſtrum planè conuincat, vel certè diſcrepantibus doctorum animis ſatisfaciat.

Iudicium auctoris de opinione Alexandri de Ales.

Tamen, vt cunq; res iſta accidat, & quãtũ ea, quæ dicturi ſumus, probabilitatis habitura ſint, aliorũ ſit iudiciũ; profecto de opinione Alexandri nobis pronunciandũ videtur, eam longius à veritatis ſemita diuagari; etenim cuius aures audire non refugiunt, ſanguinẽ Chriſti poſt glorioſam à mortuis reſurrectionem non ſemel è naturalibus venarum conceptaculis diſtractum fuiſſe? immò quis non perhorreſcit intelligere deliteſcente

in

in glorioſa Mediatoris natura ſanguine rurſus maduiſſe terram, calices, & lintea, in quibus emanãtem ex ſacra altaris mẽſa à fidelibus, ac religioſis hominibus collectum fuiſſe, patuit. Quid? certum eſt decretum apud omnes Theologicæ Scholæ Doctores, neq; á Deo effici poſſe, neq; à nobis niſi temerè, ac impudẽter credi poſſe id, quod vel in dedecus, vel in contumeliam, vel in aliquod corporis Chriſti opprobrium cadit; at dignitatis gradus, maieſtas, amplitudo, ſplendor, ac reuerentia Sanguinis Chriſti conciderent penitus, ſi ille ſanguis, quem veneratione colunt, honore proſequuntur, atq; ſumma reuerentia obſeruant cæleſtes pariter, atq; humanæ mentes, ſordidis impiorum manibus poſſet contrectari, pedibus diabolici comitatus proteri, atq; in cineres ac ſordes redigi diuturnitate temporis, quandoquidem certo olim experimento compertum eſt, euanaſcere, ſeu, vt verius dicam, contabeſcere id, quod ab Alenſe verus ſanguis Chriſti putatur.

Neq; verò aliquam probabilitatis ſpetiem habet, qđ in allati argumenti confirmationem protulit Alexander, cum inquit, *ad illud quod obijcitur, quod caro, quæ appa ret, quando q̃ computreſcit; dicendum, quod hoc numquam accidit quando ab ipſo domino eſt huiuſmodi apparitio, ſed ſolũmodò quando ſit humana procuratione, vel fortè diabolica operatione.* Sic Alexander de Ales, cuius dictum vel ex eo infirmum eſſe deprehẽditur, quod nulla dæmonis fraus fingi poteſt in ijs ipſis miraculis, quæ communi omnium rectè ſentientium opinione diuino opere producta eſſe cernuntur, cuiuſmodi ea fermè ſunt, quæ ſuperius allata fuêre, & nihilominus eum ipſum ex ſacra

ſynaxi

ſynaxi effuſum ſanguinem putredo, ac tabes conſumpſit, vti hiſtoriarum monumenta teſtantur. Adijcerem prætereà, (ni me tanti viri deterreret auctoritas,) infirmum eſſe illud enucleandę difficultatis effugium, quod ab Alenſe excogitatum eſt, quodq́, ſi non prorſus quis negligenter meditetur, non tam explicat, quam refugit difficultatem; quorſum enim ſanguinem Chriſti, qui iuſtis ceræmonijs, pia fidelium veneratione, ac certis etiam ſacrorum omnium principis ſancionibus cultū præcipientibus miraculoſus, ac diuinus habetur; longo poſt modum temporis æuo cōſumptum reijciemus, contemnemus, atq́; vti diabolicum figmentum deteſtabimur, hoc vno experimēto prudētiores facti, quòd tabe, quæ communis eſt rerum corporatarum, & generalis infirmitas, & miſeria abſumatur? Sed quid moror? videat quęſo lector, quo fidelium pietatem trahat hæc ipſa ratio, quæ, ſi fidem aliquam meretur, ſine dubio in apertum ſalutis diſcrimen eos omnes adduxiſſet, quotquot venerabundi, atq́; in genua prouoluti cęleſtes honores effuſo cruori tribuiſſent; nam ſi ſatanica arte deluſi homines toti in veneratione commentitij ſanguinis fuerunt; protinus ſequitur, eos omnes ſacrilego ſe ſe idolorum cultui addixiſſe, humanis, diuinisq́; legibus poſt habitis, quę eam ſeruitutem perpetuò execrantur, atq́; nobis interdicunt.

Quòd ſi fortaſſis inexpiabili hoc ſcelere pios hominum affectus condemnandos eſſe non cenſeat Alexander, propterea quòd veras ſanguinis Chriſti portiones eas fuiſſe iuſtiſſimis de cauſis arbitrarentur, illud ſaltē, quod nihilominus magnam ſibi inuidiam conciliat,

con-

concedat neceſſe eſt, Deo, qui ſæuiſſimis flagellis, & æternis cruciatibus idolorum cultores vlciſcitur, vel non prohibente, vel permittente per longiſſima temporum ſpatia turpe adeò facinus executioni fuiſſe demandatum; reclamantibus omnibus Theologis, quorum communis, & certa opinio eſt, omni cura æternũ numen præeſſe ijs maximè rebus, quę religionis noſtrę Catholicæ morumque propagationi conducunt, itaut nihil non modò contrarium, ſed nec ẽt minus decorum diutius in fideles populos ſubrepere permittat. Ad extremum quo telo defenſam opinionem ſuam putat Alexander hoc eodem valdè poteſt oppugnari. Ait enim, *ni eſſet verus Sanguis Chriſti videretur fictio quædam, & illuſio, quod minimè conueniret in Sacramento veritatis; ex his videtur, quod ſit corpus, & ſanguis Chriſti, vel de corpore Chriſti.* At hoc ipſum, ſi prudenter ſapimus, cogit nos opinari, ſanguinem in calice apparentem, Chriſti ſanguinem nullo modo eſſe, quandoquidem ea ipſa fictio, quam tantoperè abhorret Alexander, ſiuè verus, ſiuè ficticius Chriſti cruor ille ſit, ità neceſſariò permiſcetur in hiſce portentoſis ſanguinis effuſionibus, vt nullum ſanguinis veſtigium dari poſſit, quod fictio aliqua non conſequatur; in cuius rei gratiam ſciſcitor ex Alexandro, num, cum aliqua ſanguinis copia in calice contenta ob oculos noſtros verſatur, velit eam tunc ſanguinis apparentem copiam expreſſam eſſe è ſacratis naturæ humanæ Chriſti venis, quemadmodum externa ſpecies prę ſe ferre videtur; an potius credat, re ipſa in ipſis latitare venarum Chriſti conceptaculis, quamuis effuſus oculorum aſpectu videatur. Certè cum primum

primum illud opinari dementis ſit, quippè ex eo efficeretur, Chriſti Domini naturam, quæ gloria immortalitatis, & abſoluta perfectione pollet, rurſus mortalitatis incommodis eſſe obnoxiam, venarum dilacerationi ſubiectam, ſuisq; partibus, & ornamentis priuatã; quod fieri nullo modo poteſt; ergo ad ſecũdum recurrat, neceſſe eſt; atqui hoc poſtremum ſine certa, & manifeſta fictione contingere non poteſt, quæ tamen cum veritati ſynaxis non officiat, ideò neq; pariter Sacramenti veritas aliquod detrimentum patietur, etiã ſi cruor, qui ad hanc veritatem obfirmandam fit in propatulo, minimè cenſendus ſit verus ſanguinis Chriſti liquor.

Sine fictione ſanguis Chriſti re ipſa non videtur.

CAP. IV.

Infirma eſſe Alexandri Alenſis de miraculoſo ſanguine firmamenta.

HVnc igitur in modum reiecta Alenſis opinione, iam non aliud ſupereſt, niſi vt contorta in opinionem noſtram tela perfringamus, quod vtiq; facillimum eſt, & licet primum telum ſatis eſſe infirmũ euidens ſit, atq; in promptu ex corroboratione rationis in ſuperioribus allatæ, illud tamen rurſus comminui poteſt, ſi dicamus, nullam planè deceptionem contingere poſſe, quæ fidem Sacramenti diminuat, quandoquidem, vt diuinè philoſophatur Angelicus doctor; *talis ſpecies ſanguinis diuinitus formatur in oculo ad aliquam veritatem figurandam, ad hoc ſcilicet, quod manifeſtetur verè corpus, & ſanguis Chriſti eſſe ſub hoc Sacra-*

3.p.q.76.a.8.

mento, sicut etiam Christus absq; deceptione apparuit discipulis euntibus in Emaus, quod protinus auctoritate B. Augustini confirmans subdit. *Dicit enim Augustinus in libris de quæstionibus Euangelistarum, quod cum fictio nostra refertur ad aliquam significationem, non est mendacium, sed aliqua figura veritatis.* In re autem præsenti, cum apparens cruor fiat in confirmationem latentis sanguinis Domini sub speciebus vini consecratis, iam nullus hic deceptioni locus esse potest. Quare non magni roboris sunt, quæ ibidem adduntur, quoniam vel ex hoc maximè cruoris obtutu fidelium animi excitantur in eam veritatem, vt prompti sint, & ad assensum præstandum alacres, posse similiter eadem virtute, quæ miraculosum sanguinem molitur, vini substantiam in verũ Mediatoris nostri sanguinem verti, seu vt dicitur, transubstantiari; maximè cũ hac ipsa miraculosi cruoris ostensione quodammodo inuitemur ad percipiendã diuinæ, ac Sacramentalis transmutationis rationem, quæ virtute formæ Sacramentalis latenter efficitur.

Lib. 2. cap. vlt. non procul à principio tom. 4. Qua ratione fictio nõ sit mendacium.

Neq; verò illud, quod in secunda argumentatione producebatur, nobis facessit negotiũ, nam licet audiẽda non sit eorum opinio, qui latriæ cultum miraculoso sanguini accensendum esse inficiantur, eo quòd ille sanguis neq; Christi existat, neq; Christus ipse sub visibilibus cruoris speciebus contegatur, (cuius rei oppositũ mox defendemus) quod tamen obijcitur nõ conuincit illud, quod peruincere opinatur Alensis. Siquidem latriæ apparentem sanguinem colimus, ac veneramur, non quòd ille Christus, vel naturæ Christi pars existat, sed potius quia sub illis ipsis sanguinis accidentibus is

de-

deliteſcat, cui honorem latriæ debemus, ad eam videlicet rationem, qua ſenſiles ſpecies vini excoli debent latriæ cultu, non quòd eæ ſanguinis Chriſti partes ſint, ſed potius, quia ſub illis latitare ſciamus cruorem dominicum, cui iure merito honor latriæ debetur.

Ex quibus colligere licet, vt ad tertiũ veniamus, laudabiliter feciſſe illos Chriſtianę iuriſdictionis principes, qui ſummis honoribus repertum olim in calice ſanguinem colendum eſſe, atq; inter ſacras ſanctorũ reliquias reponendum iuſtiſſimè decreuerunt; Nam vel ſanguis ipſe Saluatoris in externa illa cruoris ſpetie tũc occulebatur, vel certè ſemel latuit. Hucq; citatum ex Sigiſmũdo teſtimonium duntaxat ſpectaſſe arbitror, cum dixit, calicem illum cum eadem carne, & ſanguine domini diligenter in medio altaris fuiſſe cõſeruatum; quãdoquidem ſpetie externa duntaxat verus, ac naturalis Domini cruor videbatur, cum re ipſa tantúm miraculosè procreatus ſanguis foret.

Quòd ſi fortaſſe mecum vellet quiſpiam altercari, non eſſe iſtum verum, ac germanum Sigiſmundi teſtimonij ſenſum; haud futurus ſum pertinax in eo, quod non plus apud me, quam Alexandri Alenſis opinio præponderat.

Ad quartam. Non auſim inficiari, quin Deus ea poteſtate, cuius præſidio molitur ea, quæ nobis ſemper accidunt admiranda, mortali oculo ad claram viſionem offerre non poſſit ſanguinem ſuum, quacunq; ratione id eueniat, cum iſtud nullis contradictionis nexibus implicetur; at quod in præſentem quæſtionem vocamus, non eò ſpectat, vt quæramus, quid potenti, & abſoluto

diuinæ virtutis imperio effici posſit; ſed potius, quid re ipſa, ſolita Dei prouidentia in prodigioſis ſanguinis effuſionibus agatur; in quo intellectu, mihi in hanc rem intuenti tutiſſimè videtur aſſerendum, numquam ſpectaſſe mortales oculos, verum Saluatoris noſtri ſanguinem, poſtquàm triumphator cælos penetrauit. Quarè licet in cæleſti, ac omnium nobiliſſimo orbium domicilio gloriosè degens Chriſtus dominus ſe ſe Petro manifeſtè obuiam dederit; haud tamen ea corporis effigies, & figura, quæ aſpicienti Petro coram adfuit, naturalis, & germana erat glorioſi corporis Chriſti ſpecies, & figura, ſed eam potius quandam formati corporis ſpetiem fuiſſe opinamur, quæ Chriſto domino ſimillima eſſet, ad eum videlicet modum, quo Angelici ſpiritus in efformatis virtute ſua naturali corporibus, vt opem, & ſolatium iuſtis hominibus ferant, in terra nō ſemel diuerſati ſunt; ex quibus apertè conſpicitur, quā allatum de angelica præſentia argumentum mirè confligat cum his ipſis opinionis noſtræ oppugnatoribus; Nam ſicuti in corporibus angelorū ad nos diuino cōſilio deſtinatorū angelicā naturam verè non intuemur, quamuis communi prouerbio vidiſſe nos Angelos dicere ſoleamus; ita in re noſtra accidit, cum aut corpus, aut Sanguinem Saluatoris opinamur intueri, ſiquidem naturalis, ac verus Chriſti domini ſanguis in ſpeciebus corporatis oculo mortali incognitus tegitur, & externā duntaxat, aut corporis, aut ſanguinis figurā videmus. Cuius doctrinæ argumentum, & experimentum ſimul eſt, quod apud ſacros Euangelij ſcriptores conſignatū eſſe reperitur, Chriſtum dominum noua externa viatoris,

Nullus verum Saluatoris cruorem vidit poſt gloriosam a mortuis reſurrectionem.

coris, nunc olitoris, nunc alterius viri ſpetie contectũ diſcipulis iter conficientibus, Magdalenæ, cæterisq; Apoſtolis apparuiſſe. Ad extremum ſpeciali quodã priuilegio verum Saluatoris corpus a B. Petro olim viſum eſſe haud grauatè concederem, cum iſtud non ijs prematur incommodis, quibus ſententia cogitur eorum, qui ſanguinem Chriſti manifeſtè fuiſſe in calice conſpectum aſſeuerant; qua de re legenda ſunt, quæ de his incommodis ſuperioribus capitibus prodita ſunt.

Speciali priuilegio B. Petrus corpus Saluatoris vidit.

CAP. V.

Quæ ſit veritas Angelicæ doctrinæ.

SOla igitur ſententia, quã docet, ac ſequitur S. Thomas, eſt à nobis retinenda; Etenim cruorem ex ſacra ſynaxi emergentem non eſſe ex dominicis venis hauſtum, ſed ſolo cęleſti miraculo procreatum, prętter communem omnium rectè ſentientium perſuaſionem, præter concordem tot inſignium theologorum ſententiam, ac tandem præter probabiles in hanc ſententiam rationes ſuperius confectas, hoc ipſum explicat nomen, quo ſolet huiuſmodi ſanguis appellari miraculoſus, hoc eſt diuino miraculo efformatus.

At ſi, de firmamentis, quibus Angelicus doctor in hanc opinionem diſceſſit, meam ſententiam quis efflagitet. Reſpondeo ea non magni roboris eſſe ad aſtruẽdã aſſertionem aduerſus Alexandrum de Ales explicatam, quippe quæ leui admoduni, ac dubio ſunt ſuffulta prędidio, quod nunc in philoſophorum ſcholis vix patronum, & fautorem ſibi reperit; ſiquidem præcipuũ Angelici

Quantum ſit robur rationum Angelici doctoris.

gelici doctoris firmamentum est; non posse simul, & semel corpoream substantiã diuersis in locis esse, quod placuisse, ac à pleris q; doctis viris refellitur hac sola ratione, quòd idẽ corpus varijs in locis constituere diuinæ omnipotentiæ facillimum sit, cum nullã absurditatis, aut implicationis notam incurrant ij, quibus istud defendere cordi est; nam licet peruulgata sit opinio, ac omnium doctorum firmata consensu solitis naturæ legibus, ita loco circumscribi solere corpora, vt diuersa sibi loca vindicare nulla ratione possint; decantata tamen plurium, ac maximorum philosophorum sententia est, istud accidere posse, absoluta Dei potestate, quę sic in creatis rebus dominatur, vt eadem eleuare pro libito possit ad ea etiam, quæ tarditas humana neq; experiri, neq; capere potest. Huius autem absolutæ potestatis vim, ac efficacitatem olim Deus exercuit, (si vera narrantur) cum, vt iusta S. Martino ex hac luce migranti persolueret Mediolani existens Sanctissimus Pater Ambrosius simul etiam cum locum inuisit, in quo mortua B. Martini membra iacebant, vti idem ipse Ambrosius post tertiam fermè horam ab arctiori somno euigilans, quo correptus fuit tunc, cum ad altare sacrificaturus accesserat, testatus est dicens. Scitote dilectissimum in Christi visceribus fratrem meũ Martinum è terris excessisse, meq; eius funeri piam operam impendisse; quemadmodum tradunt liturgiæ ritui Ambrosiano deseruientes. Eadem ratione, vt ad propositum nostrum redeamus, non immerito Alexandri Alensis doctrinæ defensores acerrimi hoc idem in portentosa sanguinis effusione, de qua nunc disputamus,

D. Ambrosius S. Martino iusta persoluit.

Angelici

Angelici doctoris firmamenta euertentes asserere posſent; ex quo princeps ratio manifestè corruit.

Neq; verò huic doctrinæ plaudentes de sublimi, ac diuina corporis Christi gloria, & immortalitate aliquid detrahunt, aut sentienti eiusdem facultati, aut corporeis venis aliquod inferunt detrimentum, cum in calice dominicum adfuisse sanguinem docent, quoniam illis apprimè cognitum, penitusq; perspectum erat, naturã gloriæ, ac immortalitatis splendore prefulgentem, quã his, & omnium præcipua fuit Saluatoris nostri natura, ab omnibus marcescibilis naturæ miserijs fuisse penitus immunem; ergo vberes sanguinis riui ex sacro epulo emanantes videri, atq; conspici potuerunt in calice, non ob illatam vim siue à Iudæis, siue à strigibus, (quandoquidem nullis creaturę opprobrijs sacrosanctum domini corpus nunc lædi potest) sed potius ob diuinæ virtutis miraculum, nulla circa dominicum corpus subsecuta mutatione. Hoc autem quàm facilè in glorioſum corpus quadret is videre poterit, qui in perpendẽda illius natura tantisper immorabitur, quæ sicuti potest per durissima quæq; ac inperuia loca, ea altius penetrando, se se infundere, ac nobis ostendi; ita parimodo delitescentem in venis sanguinem nobis clarissimè intuendam præbere potest, absq; vlla eruptione sanguinis è proprio domicilio, quam tamen secundum argumentum conatur astruere.

Ad tertium. Ita corporis glorioſi naturæ conuenit motu concitatissimo, atq; celerrimo moueri posse, vt interim tamen diuturna, ac longissima mora eidem nõ opponatur; sicq; quòd totum corpus glorioſum alicubi

bi commoretur diutius, haud dignitati eiusdem repugnat, sed mirificè congruit potius; cum ad plenam, atq; consumatam status sui felicitatem pertineat, non modò incitatissimo motu, verùm etiam in diuturna mora absolutum voluntatis suæ exercere posse imperium, quo pro libitu suo, modò abire, modò commorari, aliquandò recedere, sæpius persistere possit. Cum igitur omnes istæ operationes corpori glorioso planè liberæ sint; cur non etiam glorioſum corpus sanguinem suum longo tempore apparentem mortalibus poterit ostendere? Ex quo per se lector videre potest, quám debilis sit hæc argumentandi ratio, quæ celeritati glorioſi corporis innititur, quod non minus potest, si ei libuerit, in eodem diutius loco suam sedem collocare, quàm subitò è locis, in quibus visitur, secedere.

Auctoris opinio. Ad extremum nullam impietatem redolet asserere verum Christi sanguinem posse à nobis alicubi collocatũ per longissima tempora reseruari, cum religiosissimo Reipublicæ Christianæ ritu idem verus Christi sanguis sub specierum vini inuolucris piè custodi posset, si istud grauissima necessitas postularet.

Enimverò ex hactenus disputatis claré duo colligũtur; vnum, in quo totius opinionis nostræ summa cõsistit. Nulli videlicet mortalium vnquàm concessam fuisse facultatem aciem oculorum contorquendi in glorioſum Christi cruorem, quamuis opus istud, neq; diuinæ omnipotentiæ, neq; corporati oculi á Deo eleuati vires supergrediatur,

Alterum est; ad primam assertionem nostram dicta quorundam theologorum reuocanda esse, cum negant abso-

absolutè claram sanguinis, & corporis Christi cognitionem visui humano contingere posse, quatenus videlicet corpus, & sanguis Christi sub Sacramentalibus tegumentis substituuntur; & idem nihilominus astruere non audent de claro humani sensus obtutu, qui in corpus, & sanguinem dominicum figeretur, quatenus non sub Sacramẽti speciebus, sed aliquo alio modo Deo ipsi cognito posset ostendi. Sic enim opinatur Ægydius loco superius adducto, & clarius etiam, inquit, *dictum est, quod siuè hostia appareat in specie carnis, siuè in specie pueri dimensiones ibi apparentes non sunt dimensiones corporis Christi, vt ibi Sacramentaliter existit.* In eandem sententiam habet huiusmodi verba *Ricardus. Vnde si quando apparet ibi species peruli, vel fructum carnis, non credo, q illud sit corpus Christi; & mox,* subdens inquit. *Et si appareret verè ibi corpus Christi, non appareret sub Sacramento,* quod etiã paulo post repetit hisce verbis. *Vnde credo, quod illa apparentia, quæ ibi aliquando visa est, vel describitur in imaginatione, vel in sensu communi videntis, vel si est realiter extra, non credo, quod illæ dimensiones fundentur in dimensionibus speciei panis, quamuis tunc non appareant.* Quibus in locis particulæ illæ, *prout Christus ibi Sacramentaliter existit,* vt loquitur Ægydius, *& si apparet, non apparet sub Sacramento,* vt dixit Ricardus, nobis manifesto sunt argumento, persuasum semper illis doctoribus fuisse, sanguinem Christi, qui quatenus sub Sacramento moratur, & apparet, non est aspectabilis, posse tamen extra Sacramentum à pupilla hominis videri. Etenim germanus illorum verborum intellectus, & sensus est huiusmodi. Nulla pars corporis dominici nec

Qua ratione intelligi debeant doctores cum sub vini speciebus videri posse dominicum sanguinem inficiatur.

Sanguis Christi in Sacramento videri non potest.

visa vnquàm, nec videri potest, quantum ad esse, & existentiam, quam in Sacramento Christus obtinet, cum ea existendi ratio modum existendi rerum spiritualiū imitetur, ad quem contuendum corporeus oculus naturaliter subleuari non potest. Quòd si aliquandò perspecta fuit vera pars corporis Christi (in quo nostræ conclusioni subscribunt, qua diximus absoluta Dei potestate similem visionē ab oculo corporali fieri posse,) ea inquiunt doctores isti, siue corporis, siue sanguinis Christi substantia sit, dum apparet, non videtur, quatenus modum Sacramentalis existentiæ participat, sed solummodò, quatenus sub alia forma nobis offertur. Quod nos hactenus docere duntaxat voluimus; neq; enim ea visio, quæ fieri potest, ita ad species Sacramentales videtur coarctanda, vt sub ijs ipsis videri posse dominicum cruorem velimus, sed potius nostra sententia est, veri sanguinis Christi siue in calice, siue in hostia existentis visionem mortalium aspectui concedi posse, quocunq; modo id accidat.

Sanguis Christi nō est cruor ex imaginibus Saluatoris erumpens.

Verùm quia hucusq; à nobis agitata accipienda sunt de eo sanguine duntaxat, quem profluentem ex sacrosancta synaxi plures conspexerunt, posset quispiam rursus ambigere, num de sanguine ex imaginibus Saluatoris effuso idem, an aliud ferēdum sit iudicium. Sed omnis ambiguitatis ratio tollitur ex ijs ipsis firmamentis, quibus superior quæstio subnixa est; maximè cum eadem fundamenta potiori ratione de cruore ex imaginibus Christi effluente militent, quam de eo sanguine, de quo est iam satis disputatum. Quare sicut omninò certum est, solummodo eam opinionem, quam tradi-

dimus,

dimus, esse defendendam, ita quilibet per se intelligere poterit, sanguinem, quo imagines Christi maduerunt, miraculo diuino duntaxat fuisse procreatum.

CAP. VI.

De natura sanguinis defluentis ex sacro altaris Sacramento.

CVius igitur conditionis, & naturæ particeps est miraculosus sanguis iste? si enim, vti vidimus, ad veram, ac naturalem sanguinis Christi materiam non attinet è sacra synaxi emanans sanguis; quę esse potest illius cruoris substantia? Belluarum ne, an hominum potius sanguis censendus erit? Num à Deo recenter creatus, an verò potius solum modò commentitius, & fictitius sanguis erit? qualem esse eum vidimus, qui colore, figura, cæterisq; alijs accidentibus verum sanguinem præ se ferre videtur, cum nihilominus id, quod sub corporati oculi sensum cadit, nulla vera constet sanguinis materia.

Scio doctorum nonnullos posse arbitrari, eum liquorem, qui rubri coloris speciem sanguini simillimam repræsentat, nihil veri cruoris in se habuisse, pręter quędá accidentia sanguinem exprimentia. Et non ignoro pariter tria ista in illius opinionis confirmationem adduci posse firmamenta. Quorum primum illud est; non sunt temerè coaceruanda diuinæ virtutis miracula, vbi nulla necessitas ea postulat; cum ergo sola fucata sanguinis specie, & veritati Eucharistiæ prospiciat Deus, cuius intuitu ea miracula operatur, & solo sanguinis colore titubantibus etiam animis opportunum robur, & solatium præbere possit; profectò inanis, & irrita foret *Prima opinio.*

veri sanguinis procreatio. Secundum vix conijci potest, quæ censenda, atq; à nobis dijudicanda sit ostensi cruoris natura; etenim cum humana non sit, neq; brutorum sanguinis natura tanto mysterio congruat; videtur idcirco affirmandum, totam illius substantiæ apparentis naturam in sola accidentia conijciendam esse. Tertiũ. Vel apparens sanguis exiguo temporis spatio conseruatur, moxq; ex humanis oculis euanescit, vel certè per longum temporis æuum in terris relinquitur; si primũ admittimus, satis, superq; veri sanguinis procreationem superuacuam esse exitus ipse probat; quorsum enim in re statim euanescente creationis, aut generationis opus à Deo requirimus? At si secundum fateamur, certè ipsa eadem creati sanguinis proprietas suadet, ne verum esse sanguinem credamus; nam cum sanguinis natura ita putredini, & corruptioni obnoxia sit, vt diuino nõ nisi miraculo intacta diutius conseruetur, non decuit Deũ, id quod alto diuinæ prouidentiæ placito diutius futurũ decreuerat, ex ea conflari materia, quæ statim ad interitum, & corruptionem rapitur, nisi continuo, ac speciali Dei priuilegio ab interitu vindicetur.

Opinio authoris. Si in re incompertissima vllus coniecturæ locus relinquitur, præmissa breui distinctione, ego propositę quęstioni satisfacerem hunc in modum. Homines cernere posse miraculosum cruorem bifariam contingit; vel enim momentaneo fermè temporis interuallo huiusmodi sanguinem intuentur, vel certè diutius perspicientibus illis obuius est. Hac igitur distinctione facta, sit prima propositio.

Vera, & propria sanguinis natura non vacat ille liquor,

quor, qui longa temporis interualla emenſus adhuc remanet; cuius quidem aſſertionis vel inde probabilem capere mihi poſſe videor coniectationem, quod huiuſmodi procreatio neceſſaria ſit, cum re ipſa de veritate apparentis cruoris periculum facientibus certiſſimũ ſit, miraculoſum cruorem, nihil diſcrepare à vero, ac naturali ſanguine, quamuis ſollicita, ac diligenti opera rẽ ij omnem intentarint; at in rebus confictè tantúm apparentibus communis omnium theologorũ ſenſus eſt, facillimè innoteſcere poſſe curioſius inueſtiganti rem, quæ viſitur, non veram, ſed cõmentitiam eſſe, veluti in corporibus angelica virtute efformatis cernere liquet, quorum natura ſi adamuſſim perpendatur, minus ſolida, ſed conficta eſſe dignoſcitur. Quod cum ſecus in eo ſanguine, de quo loquimur, plures experti ſint in ijs ipſis euentis, de quibus in ſuperioribus capitibus longa à nobis oratio habita eſt; cogor opinari, dubio procul veram ſanguinis naturam effluentẽ è ſynaxi, & imaginibus Chriſti cruorem á Deo ſortiri. Prætereà, quis ſibi vnquàm perſuadere poterit per ſolam accidentium cõmutationem largiſſimos rubri coloris liquores, qui ex ſacra menſa non ſemel eruperunt, nulla procreata ſubſtantia effluere, atq; calices, vaſa, lintea, & huius generis plura inſtrumenta implere poſſe? Certè capiant, ſi libet, & iſtud credant alij, mihi enim vti captu, ſic creditu ſemper difficillimũ viſum eſt. Amplius ab iſtis percunctarer, quænam eſſe velint ea accidentia, quæ ex ictu pugionis Euchariſtiæ inflicto enaſcuntur; nũ ea putent eſſe ab omni ſubſtantia ſegregata, qualia catholica fide eruditi ſcimus eſſe conſecrati calicis accidẽtia,

Corpus angelica virtute confectum qua via cognoſcatur eſſe commentitium.

quæ

quæ ſine firmamento, cui inhæreant, per ſe mirabiliter exiſtunt; an verò his accidentibus ſpecialem ſubſtantiã adiungant, quæ his affecta ornamentis ſanguineũ fluxum extrinſecus ciere videatur; primum illud ſine dubio non concedent, ne quod in myſterio ſanctę ſynaxis non modò natura humana, ſed etiam Angelici ſpiritus demirantur, ipſi in nullam admirationem adducti parum prudenter admittant ijs in rebus, quæ in infinitũ penè diſtant à dignitate auguſtiſſimi altaris myſterij; ergo ad ſecundũ recurrant neceſſe eſt, cuius rei, ac ſubſtãtiæ, cum ne rudem ipſi cognitionem habere poſſint, (ni fortaſſis diuinare velint) tutius videtur affirmandũ, illud genus liquoris, qui ex ſacro epulo effluxit olim, vera, & naturali ſanguinis ſubſtantia pollere. Huius autem meæ opinionis propugnatorẽ mihi habere videor Caiet., qui D. Th. doctrinam enucleans 3.p.q.76. a. 8. in commentatione eiuſdem articuli docet apertè non accidẽtalẽ dũtaxat, ſed ſubſtãtialem ſpetierum mutationem concedendam eſſe, cum maiores euadunt ſanguinis ſpeties, quam infuſa ante liquoris copia eſſet. *Vnde* inquit Caietanus, *cum tam extenſiuæ dimenſiones immutantur, immutatio non eſt ſolùm accidentalis.* ergo ſubſtantialis putanda erit; at cuiuſnam ſubſtantiæ; niſi eius rei, quæ cunctis manifeſtè apparet; ſola autem in his mutationibus videtur ſanguinis natura. Ex quibus certũ, atq; indubitatum eſt, ſæpè à præpotenti Deo in hiſce miraculoſis facinoribus productam fuiſſe veri ſanguinis ſubſtantiam, qua maximè ibi opus eſt, vbi vberior ſanguinis fluxus è cõſecratis ſpetiebus egreditur; aut vbi maior ſanguinis vbertas conſpicitur, quam eſſet copia vini anteà conſecrati.

Caietanus opinioni noſtræ ſubſcribit.

CAP.

CAP. VII.

Contrariæ opinionis argumenta dissoluuntur.

QVam autem tenui labore frangi, ac comminui possint ea præsidia, quæ stant pro opinione nobis contraria, is facilè dijudicabit, qui statim à nobis dicenda meditabitur. Nam in primis, quod asserunt non esse fingenda sanguineæ procreationis miracula, ad saluandam Sacramenti Eucharistiæ veritatem, cum nulla nos ad id putandum necessitas cogat, iã ex confectis rationũ nostrarum ponderibus liquet esse falsum, quandoquidem sola accidentia ad id præstandum, quod in euentibus istis experimur, non sufficiunt. Præterea cum æquè supremo rerum creatori facilè sit antiquis accidentibus noua superaddere accidentia, ac præexistenti substantiæ recentem adijcere substantiã; nullus iure merito in concedenda vera sanguinis substantia in hisce miraculis esse debet contentiosus, cum nõ minus illud, quam istud diuinum supremi numinis miraculum exigat, & vtrumq; naturæ vires anteuertat.

Secundo etiam loco positum argumentum nos minimè conturbat, cum ille sanguis, neq; hominum, neque belluarum sanguis sit, sed cruor existat à solo Deo mirabiliter effectus, tunc cum sanguinis fluxionem ciere statuit. Ad extremúm, cum valeat nostrum hoc decretum de eo sanguine duntaxat, qui diu adseruatur, iam patere potest, secundum membrum distinctionis positæ in argumento ad rem nostram attinere, cuius robur tamen fallax, & captiosum est, nam qua ipsi facilitate aduersus nos illud excogitarunt, eadem, ac potiori ra-

ri ratione in eosdem reijcitur, cum & ipsa accidentia, vt pote res creata, ad interitum, & corruptionem properent, neq; aliter, quam diuino miraculo diu incorrupta conseruari possint, quarè cum idem, & cõmune prorsus negotium nobis, & illis sit, ad remouendam siue ab accidentibus, siue à substantia effluentis sanguinis corruptionem, nulli non est clarum, ex corruptionis fece, quæ non minus in sanguinis substantiam, quam in accidentia virus suum euomit, tractam argumentationẽ irritam esse. Ergo sicut illi, qui, vt diuturnæ cõseruationi accidentium consulant, numinis præsens auxilium naturam excedens requirere tenentur; sic nos conseruationis sanguineæ substantiæ opus ab eodem numine proficisci arbitramur. Sed deinceps secundam assertionem nostram videamus.

Secunda propositio est. Sanguis, qui breuissimo tẽpore, vel in transcursu solummodò conspicitur, non verus, sed adumbratus sanguis duntaxat putandus est. Hæc assertio his ipsis argumentationibus peruincitur, quibus opposita, ac contraria, & iam à nobis oppugnata sententia subnixa est; quam præterea persuadet ratiocinatio, qua Angelicus doctor in opinione sua aperienda vtitur, cum veram immutationem, quæ apparet, non esse in re, sed solummodò in pupilla videntis concedendam esse scribit, dumq; præterea, eam, si quæ in re exteriori commutatio efficitur, non substantiæ, sed accidentium mutationem esse autumat.

Qua modo Deus sanguinem mutatur.

At quam, siue in vero, siue in ficto sanguine comproducendo, obseruat Deus rationem? Respondeo breuiter, à Deo vel ex ambienti aere, vel alio corpore tunc

cum

cum res exigit, educi veram ſanguinis formam, quæ reſpectu mortalis oculi magis ex vini accidentibus eruta, quam ex alio corpore procreata videtur. Sæpè etiam in ipsamet oculorum pupilla ſanguinis imaginem molitur Deus. Mitto etiam opinari, (quod tamen alijs forſaſſe arridere poſſet) eam ſanguinis ſubſtantiam ex nihilo excitari, atq; procreari à Deo. Sine dubio autem mutatio accidẽtium habet effectorem Deum, aut noua efformantem accidentia, aut præexiſtentia ſic perbellè concinnantem, vt eam formam exactè exprimant, quã Deus ipſe maluerit; ſiue iſtud fiat, ſubtiliores accidentium partes conſtipando, atq; in orbem ſanguini congruentem componendo, ſiuè potius id eueniat craſſiores eorum partes in ampliorem figuram extendendo, ſiue alia quappiam perfectiori ratione nobis adhuc incognita

Ex his, quæ in præſenti diſputatione ſtrictim attigimus, haberi poteſt eius rei cognitio, quæ adhuc non ſatis euidens eſt; cui nam videlicet rei ea accidentia adhæreſcant, quæ prioribus diſſolutis Deo procreante adueniunt, aut illis aſſeruatis recenti progeneratione fiunt. Ægydius arbitratur, ea accidentia, (quæ communi nomine dimenſiones appellat) non ſubſtitui in locum, ac ſedem eorum, quæ corruptione perierunt, ſed potius docet in eas ipſas accidentium dimenſiones ſic permutari, vt accidentia vini, vel panis in ſanguinis accidentia abeant; ſiue in calice ſanguis reperiatur, ſiuè ex ſacra ſynaxi cruor emergat. Verúm quis ſapiens talia cõcedet, quæ paradoxis ſimilia, vel non valdè diſſimilia videntur, præcipuè cum omnium accidentium excellentius,

Cui rei accidentia ſanguinis inhæreant.

Ægydij opinio.

atq; nobilius accidens quantitas, philoſopho teſte ab alternis generationis, & corruptionis motibus procul abſit. Alij faciunt auctorem Ricardum eius ſentẽtiæ, quæ docet, accidentia ſanguinis commorari in corpore Sacramentales ſpeties contegente, At alia eſt, ni fallor, Ricardi de inhęrentia ſpetiei apparentis ſententia, quã hiſce verbis citato anteà loco tradit. *Vnde credo, quod illa apparentia paruuli* (quod idem de ſanguine intelligendum eſt) *quæ ibi aliquandò viſa eſt, vel deſcribitur in imaginatione, vel in ſenſu communi videntis, vel ſi ſunt realiter extra, non credo quod illæ dimenſiones fundentur in dimenſionibus ſpetiei panis, quamuis tunc non appareant;* At quis ex his Ricardi verbis colligere poteſt, ea accidentia ſuã in extraneo corpore Sacramentales ſpecies ambienti ſedem, & radices collocare? ni plus ea fortè apud quoſdam ſignificent, q̃ meritò ſignificare poſſe videantur.

Franciſcus Suarez 3. p. q. 76. ar. 8. ſect. 2.

Opinio Auctoris.

Ego ita opinor. Baſim, ac firmamentum accidentiũ ſanguinis, ijs ipſis accidentibus, quæ in calice, aut in ſynaxi ſuperſunt, aliquandò adſcribendum eſſe; Aliàs ét fundamentum apparentis cruoris extraneum corpus exiſtere poſſe; cuius vtriuſq; rei ratio eſt, quoniam, aut immutatio accidentium fieri contingit in ipſis Sacramentalibus ſpetiebus, aut certè non in ipſis, ſed in alieno corpore ſpetiebus præſenti, vel in oculo videntis. Si autem illud euenire concedamus, res aperta, & clara ſatis eſſe poteſt ex his, quæ hactenus docuimus, nempè non aliam aptiorem ſedem reperiri poſſe, quam ſit quãtitas, & ſi quæ ſunt alia in Sacramenti ſpetiebus, accidentia, nam ſiue noua producantur, ſiue vetera extendantur,

prior

prior ſedes aptiſſima erit, ſi tamen mutatio determinatos extenſionis limites prę exiſtentium accidentiũ non excedat. Quòd ſi ſecundum accidere aſſeramus, res iſta adeò clara, & illuſtris eſſe videtur, vt nulla probatione egeat. Poſſe autem à Deo produci in extraneo corpore ſpetiem ſanguinis, verum ſanguinem repręſentantis eadem probatione ſuaderi debet, qua S. Th. docuit, oculi pupillam ſanguinis imagine, & figura affici poſſe.

CAP. VIII.

An ſaltem vi Sacramenti verus ſanguis Chriſti re ipſa contegatur ſub eo ipſo ſanguine, qui in calice apparet.

IN Principio huius capitis præmonere lectorem oportet, hic agi de eo duntaxat ſanguine, qui ex ſacratis corporis, aut ſanguinis Chriſti accidentibus ex altaris myſterio effluxit; nam de eo, quem læſæ imagines dederunt, verba facere nec huius loci, nec præſentis difficultatis materia eſt. Verùm quia nõ vna eſt profluentis ex ſynaxi ſanguinis facies, cum alius ſit verus, & naturalis ſanguis à Deo progenitus; & alius non verus, ſed tantùm adumbratus; ac rurſus cum adumbratus, aut naturalem cruorẽ domini imitetur virtute imaginis in oculo conſtitutæ, aut præſidio coloris ipſis ſynaxis ſpetiebus inditi; aut tandem ductu figuræ, quo externum corpus afficitur; eſt à nobis hoc loco perquirendum, an in his omnibus ſolummodo, an verò potius in nullo eorum vera ſanguinis Chriſti ſubſtantia tecta deliteſcat.

De hac difficultate quid animo meo occurrat

aliquot propositionibus aperiam. Prima propositio. Si in calice verum sanguinem fieri putemus, destructis, aut certè commutatis vini accidentibus, quæ in calice præfuerunt, nullam veri sanguinis Christi substantiam in efformato recèter sanguine subesse arbitramur. Cuius veritatis certum hoc mihi esse videtur argumentum. Etenim tandiu sub Sacramentalibus tegumentis sanguis Christi perdurat, quandiu species, atq; necessariæ ad spetierum conseruationem integrę qualitates cõseruantur; at cum in noua sanguinis apparentis procreatione non tam vini species, quàm propriæ vini affectiones intereant; sequitur procul dubio, sanguinem Christi anteà in vini spetiebus latitantem à tota illa progenita sanguinis miraculosi materia recessisse. Idem esse debet iudicium de eo sanguine, qui ex sacro epulo nõnumquàm defluxit.

Secunda propositio. In adumbrato sanguine, qui sanguinem Christi verum exprimit, ratione imaginis in oculo videntis productæ, verum, ac naturalem Saluatoris sanguinem reperiri arbitramur. De hac conclusione videda est Angelici doctoris ea ratio, quam tradit 3.p.q.76. ar.8. corpore; quippe qua satis euidenter secunda assertio nostra conuincitur.

Tertia propositio. Neq; aliud opinamur esse dicendum, cum uidere videmur miraculosum cruorem ob solam imaginem corpori sanctæ synaxi propinquo impressam; siquidem in vtroq; euentu, cum nihil mutationis sentiat Sacramentum, in quo sanguis Cnristi occulitur, atq; in ipsomet Sacramento adumbrata sanguinis miraculosi natura cernatur, fit vt verè naturalis Christi

san-

ſanguis latitet, vbi fictitius ſanguis conſpici videtur. Has ego propoſitiones magna ſanè probabilitate nullis reclamantibus horum rerum ſtudioſis certas eſſe puto.

Tota controuerſia eſt inter doctores, cum adumbratus ſanguis viſitur in ſacerrimo altaris myſterio, non ſine aliqua ſpetierum Sacramenti mutatione. Quo in caſu inquit Durandus 4. diſt. 10. q. 4. num. 10. *probabilius eſt, quod facta tali immutatione corpus Chriſti* (ac ſanguis pariter) *nõ remaneat ibi, quia cum Sacramentum ſit ſignum ſenſibile, quando circa accidentia, ſiue ſpeties Sacramenti talis fit mutatio, quod ſecundum naturam non remaneret ſub eis ſubſtantia panis, tunc non manet ſub eis corpus* (& ſanguis) *Chriſti. Cum igitur ſubſtantia panis ſecundum naturam, non poſſit manere ſub accidentibus carnis, vel ſanguinis; non videtur, quod facta tali immutatione circà ſpeties Sacramenti, quod in eis continuè appareat forma carnis, quod tunc non remaneat corpus Chriſti.* Hactenus ex Durando. *Durandi ſententia.*

Aegydius Romanus hunc eundem lapidem euoluens theoremata 23., reſpondet ad quæſtionem hac diſtinctione. Ad miſſa circà Sacramentales ſpecies immutatione, quamuis communibus naturę legibus inſiſtendo corpus aut ſanguis Chriſti verè ſub apparentibus formis eſſe minimè queant, ſingulari tamen diuinæ maieſtatis priuilegio, ac decreto ibidem verus Chriſti cruor latitat. *Aegydij opinio.*

Porrò opinionẽ hanc ſuã de ſpeciali diuinæ mentis priuilegio, neq; aliquo ſcripturæ ſacrę teſtimonio, neq; humana, diuinave ratione, neq; probabili coniectura, ſed ſola adſeueratione confirmat. Petrus de Paludè ex *Paludani opinio.*

oppo-

oppoſito, quô præſentes haſce opiniones velut mendaces declinaret, in aliam opinionem prioribus nihilo probabiliorem incurrit, abſolutè docens ſola Sacramẽti reſeruata quantitate, veram ibidem reperiri carnis, ac ſanguinis Chriſti ſubſtantiam, vt patet 4. ſent. diſt. 10. q. 4. nu. 21., vbi Durandi opinionem redarguit.

Verùm quia eius verba, quæ ibidem habet, non minus de corruptione, quam de refractione qualitatum intelligi poſſunt, velut ea indicant, *puta quod ſpecies à fumo denigrentur &c.* propterea conſulendus eſt, ſi quid fortè in hanc ſententiam apertius tradat, quo præſens doctrina illuſtrari poſſit; permagni ſiquidem intereſt penitus noſce, num author iſte ſub apparentibus ſanguinis dimenſionibus eſſe velit corpus, & ſanguinem dominicum ſola quantitate conſeruata, & corruptis alijs accidentibus; an verò potius cum quantitate non corruptas quidem, ſed, vt à ſcholæ terminis non recedam, alteratas qualitates exigat, itaut ſolius quantitatis conſeruatio, niſi refractæ adſint qualitates, ad Chriſti ſanguinem ſub vini ſpetiebus conſeruandum non ſufficiat; an verò penes puram, ac nudam Sacramenti quantitatẽ tota ſanguinis Chriſti præſentia ſub ſpetiebus calicis penſanda ſit. Ad quod enucleandum ſatis illuſtre argumentum mihi ſuppeditat Paludanus 4. ſententiarum diſt. 12. q. 5. Vbi poſteaquam hanc quæſtionẽ poſuerat. Vtrum ſpetiebus vini poſſit liquor aliquis admiſceri, clariſſimis verbis totam difficultatem explicãtibus, id voluimus, teſtatur.

CAP.

CAP. IX.

Quòd recitatis opinionibus ſubſcribendum non ſit.

ET hęc quidem citati doctores de mota difficultate prodiderunt; quibus ne aſſentiar, non pauca reperio. Et in primis quidem aduerſus Durandi ſententiam illud ſtat; quòd, etſi cum verę carnis, aut veri, & naturalis ſanguinis accidentibus panis ſubſtantia conſiſtere non poſſit, ſi naturæ principia ſpectemus, nulla tamen eſſe videtur, aut repugnantiæ, aut oppoſitionis ratio, quin ſub adumbratæ, ac, vt ita loquar, ſimilitudinariæ carnis accidentibus, veri, ac proprij panis ſubſtantia eſſe non queat, maximè cum ad concinnandam huiuſmodi ſanguinis, aut carnis ſimilitudinẽ priorum accidentium non interueniat tãta permutatio, quæ panis valeat excludere ſubſtantiam, quandoquidẽ fieri optimè poteſt, (veluti re ipſa efficitur) vt conſecrati vini accidentia, ad conſeruandam vini ſubſtantiã alioquî aptiſſima in calice ſiſtãtur, etiam ſi miraculoſa cruoris forma, & ſpecies ſeſe nobis offerat, ad quod opinandum ea me coniectura mouet, quòd in huiuſmodi portentoſis apparitionibus, quæ haud longiori tempore viſuntur, [ſiquidem de his tantùm in præſens quæſtio inſtituta intelligi debet,] mox, ſeu paulò poſt, ea ipſa accidentia rurſus à nobis conſpiciuntur, quæ nedum acta immutatione illa, prius manifeſtè videbantur, quemadmodum legimus B. Gregorij precibus cõtigiſſe; hoc autem, meo ſanè iudicio, opportunum indicium eſt, quo vir prudens animo concipere poſſit, non eas mutationis circa Sacramentales ſpecies ſubſecutæ

Durandi opinionis oppugnatio

vires

vires fuisse, quę penitus præexistentia ad substantiã vini tuendam accidentia corrumperent; secus corrupta accidentia recenter nouo diuinæ virtutis miraculo reparari debuisse affirmandum esset, at immeritò, cum non nisi in summis rerum difficultatibus, in quibus explicandis nulla alia ratio occurrit, Patres, & Theologi censeant esse ad diuina miracula cõfugiendum; ad quæ tamen huius opinionis propugnatores confugere coguntur, cum reparatricem diuini numinis virtutem faciunt corrupti accidentis.

Aegydij sententia refellitur.

Nec infirmiora desunt nobis argumenta aduersus Aegydij sententiam, quæ dubijs admodum fulcris est subnixa; siquidem putat dimensiones panis, & vini dimensiones carnis, & sanguinis induere, atq; suum omnino conditionis, & naturæ statum exuentes, carnis, & sanguinis naturam mutuari, quod tamen vetustioribus theologis, ac philosophis videtur improbandum, non modò quia eiusdem rationis, & naturæ sit vtraq; cùm vini, & panis, tùm etiam carnis, & sanguinis quantitas; at inter eiusdem rationis, & naturæ res nullam cadere posse trãsmutationem commune, ac apud philosophos omnes tritum est sermone prouerbium; sed etiam quia inaudita, ac omnibus fermè melioris notæ philosophis prorsus commentitia est huiusmodi accidentis in accidens commutatio, ad quam nec humanæ fidei, nec intelligentiæ vis, & acumen penetrare valet. Quid? an nõ nouitium est inuentum, & nullis vnquàm scriptorum calculis comprobatum (si excipias in comprehensibile illud sacri altaris mysterium) concedere in alijs rebus, accidentia nullo creatæ substantię fulta præsidio non semel in rerũ vniuersitate reperiri? Neq;

Neq; ſtandum eſt eiuſdem Ægydij iudicio, (quod ad ſecundum opinionis ſuæ membrum attinet) quo nouis dimenſionibus ſingulari Dei priuilegio ſubeſſe Chriſti ſanguinem decernit; nam cum decreti huius diuini nullam, vel ex ſacris litteris, vel ex aliquo Sanctorũ Patrũ teſtimonio, vel ex probabili, aut certo humanæ rationis pondere cognitionem haurire quis poſſit, non eſt de altiſſimis Dei conſilijs, quæ nobis penitus ſunt ignota, ita facilè dijudicandum; ſed potius prudẽtis viri eſt, arcanas diuinorum miraculorum rationes pio ſilentio venerari, vbi nulla diuinæ virtutis fax ex ſacro eloquio excitata illuceſcit. Præterea ſi certo Dei decreto ſancitum eſt, vt eas apparentis ſanguinis dimenſiones ſua præſentia cohoneſtet Chriſtus, profecto ſequitur, toto eo temporis ſpatio, quod ſæpè nimis diuturnum eſt, verum Saluatoris ſanguinem ſub illis accidentibus immobiliter perſiſtere, quod tamen nemini, qui piè, ac prudenter ſapiat, probari poteſt, ob ea incõmoda, quæ hinc ſequi videntur, de quibus in re haud diſſimili ſuperius multa diximus, hic adaptanda.

Nec Paludani placitum tutius, ac firmius eſt. Nam demus illi licet, ad Sacramenti altaris rationem non attinere hæc, aut illa coloris, & figuræ lineamenta, tamẽ ea huiuſmodi ſint neceſſe eſt, quę ſecum panis ſubſtãtiam patiantur, non autem eam deſtruant, quemadmodum reipſa deſtruunt plerumq; cum externus color, ſeu figura adueniens Sacramenti dimenſionibus, talem commutationem aliarum qualitatũ panis excitat, quæ priores fermè oẽs panis qualitates abſorbet; neq; enim, ſi alia qualitatum genera corrumpantur, perduratio

Refellitur Paludanus

eiusdem quantitatis, quæ erat Sacramenti, sufficit, vti arbitratur Paludanus, ad conseruandã sanguinis Christi sub quantitate præsentiam, sed vna cum quantitate eæ insuper naturales, ac congruentes substantiæ panis omnino exiguntur qualitates, quibus nata est sustineri, conseruari, atq; protegi panis substantia; Nam sicuti, exempli loco, aurum, asseruata sibi sola quantitate, sub quibuslibet alijs dispositionibus conseruari nequit, sed ad munus istud certas, atq; stabilitas affectiones sibi à natura deposcit (secus enim quælibet forma quibuslibet fota qualitatibus continuò perdurare posset, ex quo rerum interitus de medio auferetur;) ita speciales, ac eæ duntaxat primariæ qualitates à Deo concessæ substantiæ panis debentur, quæ naturali propensione ad panis conseruationem inclinant; quas si oppositæ, & contrariæ dispositiones consequãtur, quales esse solent, coloris, figuræ saporis, odoratus, carnis, & sanguinis formæ, eæ dubio procul panis substantiam deuastabunt, ad cuius destructionem, vt communis est theologorum assensus, sanguis Christi recedet, qui eatenus solùm sub panis, & vini dimensionibus consistit, quatenus in speciebus Sacramenti eæ vigent affectiones, quibus conseruari posset panis substantia, si suæ naturæ relicta foret.

Hinc vide, quam facilè corruat præcipuum Paludani firmamentum, qui siuè velit quantitatem sic esse in toto supposito, vt ad suppositi destructionem, quantitas pariter destruatur, siue potius autumet, quantitatẽ in ea esse materia, quam philosophi primam appellant, à neutro tamen horum adiuuari potest. Et primũ quidẽ Paludano non suffragatur, nam cum ad destructionẽ, &

cor-

corruptionem qualitatum Sacramenti Euchariſtiæ ſufficienter deſtrueretur panis ſuppoſitum, ſi ibidem foret, eodem pariter interitu quantitas Sacramenti exiſtens in toto panis cõpoſito ad corruptionẽ [ſi poſſet] redigeretur. Neq; ſecundum Paludani cauſam tuetur, quoniã, ſicuti materies prima nec natiuitate noua producitur, nec ſubito corruptionis motu interit, ita quantitas eidem congenita, atq; coęua materiæ nullis obnoxia eſſe poteſt generationis, aut corruptionis motibus; ergo ſi perdurante, vt Paludanus putat, quantitate, vera ſub ſpetiebus Sacramenti nõ deſinit eſſe ſanguinis Chriſti præſentia, quis non videt ſempiternam, & immobilem futuram eſſe ſanguinis Chriſti in ſpetiebus vini præſentiam? quippequæ ſtabili diuinæ mentis decreto quantitatis Sacramenti conſeruationem cõcomitatur, quæ nullo vnquam æuo labefactari poteſt. Deindè, ex hac concludi poſſe videtur, non tantùm ſub vini, & panis accidentibus, ſed ſub alijs etiam ab vtriuſq; natura diuerſiſſimis qualitatibus Chriſti ſanguinem ad modũ Sacramentalis exiſtentię ad futurum; nam ſi, vt communis habet philoſophorum ſententia, in hiſce rebus inferioribus eiuſdem rationis eſt quantitas, ſiq; rurſus ſola quantitas, quandiu conſeruatur, ad retinendam, ac conſeruandam in ſe ſanguinis Chriſti prẹſentiam ſufficit; profectò ſi ad corruptionem accidentium panis, & vini, ſuperſtite adhuc quantitate, aliena ignis, aut argenti accidentia fingamus generari (quandoquidẽ, & natura duce, non ſine noua accidentium generatione fieri poteſt prẹexiſtentium accidentiũ corruptio, & ſuaptè natura ignis, & aurũ operationes poſsũt exercere circa Sa-

cramentales ſpeties,) profectò inquam concedendum eſſet, ſub ea quantitate, quæ ignis, vel auri ſortita eſt qualitates, Chriſti ſanguinem reipſa exiſtere, quod non modò falſum, & perabſurdum, ſed etiam à chriſtiana religione penitus abhorrens eſt; ſiquidem, Chriſto domino auctore, præſentia Sacramentalis ſanguinis ſui non ſub alijs accidentibus eſſe poteſt, quàm ſub panis,& vini accidentibus,quæ tamen ex hypoteſi,Paludano conſentiente,corrumpi,ac deſtrui poſſunt,ſuperſtite adhuc quantitate. Et tandem,ex hac Paludani doctrina elicitur,data ex hypoteſi ſimili reſolutione in accidentibus panis, & vini, qualis dari ſolet in compoſitis, adhuc ſub ſola quantitate tegi veram ſanguinis Chriſti ſubſtantiam,quod abſit,vt prudens quiſpiam ſuſpicetur,cum turpe ſit iſtud,& indecorum.

CAP. X.

Duplici ratione præſentia veri ſanguinis Chriſti in prodigioſis cruoris fluxionibus defenditur.

Auctoris iudicium.

ILlud igitur,quod ad pręſentem quęſtionem attinet, puto in hiſce miraculoſis apparentis tantummodo ſanguinis euentibus numquàm deſiderari verũ Chriſti ſanguinem. Hęc autem vna eſt, & ſola huius opinationis noſtrę cauſa,quòd hę ſanguinis,& carnis,quę viſuntur figurę, non eam habent cum vera panis, & vini ſubſtantia, ſi ibi adeſſet, repugnãtiam, & oppoſitionẽ, quę pellere poſſet neceſſarias ad ſanguinem Chriſti ſub accidentibus vini conſeruandum qualitates. Cum autẽ per totum id temporis ſpatium vera ſanguinis Chriſti pręſentia adſit in ſpetiebus vini,per quod eę reſident affectiones, quę ad vini ſubſtantiam ex ſe conſeruandam

à natura

á natura ordinantur; totoq; apparitionum tempore vi geant in calice præcipuæ vini affectiones, nulla eſt ratio, cur ſub miraculoſi ſanguinis inuolucro, verũ Chriſti ſanguinem adeſſe negemus. Quod quàm commodè fieri poſſit ex his duobus modis, qui ad intentum comprobandum nobis ſuppetunt, dijudicet lector. Prior modus eſt.

Si admittamus, ita in communia tantùm vini accidẽtia eam, quæ cernitur, cadere mutationem, vt nulla circa intrinſecas, ac magis proprias accidentium vini affectiones peragatur corruptio eorum accidentium, quibus vini ſubſtantia ſolet conſeruari. Vel certè, ſi concedamus principales vini affectiones capere aliquid detrimenti, ſed illud haud efficax eſſe ad deturbandam e ſuo naturali ſtatu vini ſubſtantiam, quæ non obſtante hac leui accidentium permutatione facilè poteſt in calice conſeruari; cum multo pauciora ad ſubſtantiæ vini conſeruationem, quam ad eiuſdem ſimplicem productionem exigantur, vt ſexcentis exemplis iſtud periclitari poſſem, niſi paſsim in rebus naturalibus experimenta ipſa loquerentur.

Sed, quænam ſunt iſta vini conſecrati accidentia, quæ permutationem patiuntur? Nempe, figura, & color, quorum mutatione ſic ad viuum diuino opere hominis aſpectui ad veritatem ſanguinis Chriſti efformata miraculoſi ſanguinis ſimilitudo obijci poteſt, vt adamuſsim, & in omnibus vera eſſe videatur sãguinis ſubſtantia. Cætera verò accidentia, cuiuſmodi ſunt quantitas, odor, ſapor, ac temperatio ipſa qualitatum, quæ plurimum vini ſubſtantiæ conſeruationi proſunt, vel

im-

immota, & integra, vel certè leui tantùm permutatione agitata perſeuerent. Si namq; in ijs etiam primarijs vini accidentibus altius radices ſuas vis corruptrix ageret, non ſolùm deprauata, ac corrupta omnia redderentur, verùm etiam continuò noua alterius ſanguinis generatio conſurgeret, cum qua nullam connexionem habere poſſe Saluatoris ſanguinem, iam ſuperius concluſum eſt. Hucq; ſpectare arbitror, quod litteris conſignauit Angelicus doctor 3. par. quæſt. 76. art. 8., cuius ſententia non de abſoluta omnium accidentiũ corruptione, ſed de leui quadam alteratione intelligenda eſt, ſi velit vnumquodq; conſecrati vini accidens non nihil ſubire detrimenti; vel certè ita interpretanda eſt, vt velit, ſolam, & omnimodam accidere coloris, & figuræ in his apparitionibus corruptionem, quæ ex ſe certam ſubſtantiæ vini corruptionem ſecum trahere non poteſt; quandoquidem corruptio facta in accidentibus communibus tantùm haud ſufficiens eſt ad perdendã vini ſubſtantiam, niſi in ea etiam percurrat corruptionis tabes, quæ naturam vini propius tangunt. Non ſum neſcius, poſſe alijs non placere præſentem S. Tho. exponendi rationem; quippequæ verbis eiuſdem difficilè adaptari videatur. At ne in ea incommoda Angelici doctoris opinio incurrat, quibus arcta, & complicata tenetur Paludani ſententia, hac benigna interpretatione ea à nobis explicata eſt. Nam cum diſertis verbis hinc de ſola cotruptione coloris, & figuræ Sacramenti loquatur Angelicus doctor; & indè in re non prorſus diſſimillima per ſolam coloris, & figuræ permutationẽ ſciamus ſub varijs rerum faciebus ſolerti creati artificis induſtria

D. Thomæ opinio explicatur.

induſtria idem ſæpius oſtendi poſſe, (vt teſtantur non modò opera eorum, quorum in conficiendis pannis, ac tapetibus, deſudat induſtria, in quibus oculis ipſi noſtris non ſemel vidimus vi ſolius colorum, & figuræ mutationis, nunc auis, ſæpè hominis alias etiam quadrupedis expreſſas figuras reddi, verùm etiam pateat in ijs, qui ex eadem penitus cera mira, & diuerſiſſima rerum ſimulacra fingere conſueuerunt) propterea in hanc ipſam opinionem deuenimus, quam ſatis idoneam is agnoſcet, qui factori, ac creatori artis humanæ non denegabit illud, quod communibus prouidentiæ diuinæ legibus artifici humano concedit; quiq; etiam beneuolè Angelici doctoris verba ponderabit, quæ allatum à nobis ſenſum reddere poſſe videntur.

Poſterior modus eſt. Si cogitemus, has immutationes contingere poſſe citrá omnem accidentium panis, & vini corruptionem, ſic vt eæ efficiantur per nouam coloris, & figuræ adumbrati ſanguinis productionem, quæ prioribus Sacramenti accidentibus ſuperaddatur; ea ratione, qua communi arte pictores tabellam, in qua hominis ſimilitudo varijs depicta coloribus cernitur, nouis rurſus delinientes coloribus, eam contemplantibus obijciunt ſimilitudine leonis, aut equi.

Quòd ſi fortaſsis Marſilio non aſſentiatur Aegydius, ea impulſus ratione, quòd noua iſta accidentium additio effici non poſſit in ijs maximè rebus, quę ſolido ſubſtantiæ creatæ firmamento vacant, vti ſunt omnia cõſecrati calicis accidentia, allucinatur manifeſtè, apertã non ponderans huiuſce rationis fallaciam; etenim quid clarius eſſe poteſt, quàm ſæpè numerò ipſa Sacramenti

menti accidentia varijs, ac multiplicibus ſuperuenientium qualitatum motibus conturbari, ac pulſari? vidimus enim, ac oculis ipſi noſtris conſpeximus pleruncq; ſacras vini dimenſiones igne admoto calorem concipere, inflammari, atq; efferueſcere, ſæpè noxijs qualitatibus frigoris, fæcis, humoris agi, & tandē non paucis cælorum injurijs obnoxias eſſe; at hæ alterationes nullo creatæ ſubſtantiæ fulcro adiuuantur, ergò ridiculum eſſe nemo non cernit, inficiari, diuina poteſtate noua accidentium generatione veteres, ac priores Sacramenti affectiones non poſſe recenter ſuperueſtiri, ſi naturali opera accidentibus firmamēto deſtitutis noua adijci poſſunt accidentia.

Verùm, ne conſilij mei immemor videar, diutius non immorabor in hoc fertiliſsimo campo diuinorum myſteriorū, nimia fortaſſis rerum multiplicitate illectus; properabo igitur ad deſtinatum opus ac relinquam, cætera alijs huiuſmodi rerum ſtudioſis ſubtilius, ac diligentius enucleanda.

FRAN-

FRANCISCI COLLII

S. THEOLOGIAE, AC COLLEGII Ambrosiani Doctoris.

DE SANGVINE CHRISTI.

LIBER QVINTVS.

DISPVTATIO PRIMA.

De Sanguine Christi super terram effuso.

CAP. I.

Materies, & ordo huius Libri.

AD institutum operis nostri ordinem spectat, vt hoc libro de Sanguine Christi perquiramus ea, quæ effusi iam cruoris Domini statum subsequuta sunt; neq; enim opinari fas est, sparsam plerisq; in locis diuini liquoris substantiam, aut consueta diuinę bonitatis gratia fuisse p illud tẽpus destitutam, aut in terræ sinu sempiternum in ęuum derelictam; sed magis ita propitium sibi numen sensit è dominico corpore seiunctus sanguis, ac si solitis Christi venis constrictus; immobile domicilium illud perpetuò coluisset, in quod postmodum transacto tridui domi-

nicæ mortis tempore immortalis se se recepit. Tria autem sunt potissimum, quæ de effuso Saluatoris sanguine hoc quinto libro proposui inuestiganda; Primùm, An diuinitas, & sanguis Christi ita inter se vincta, & hypostaticæ vnionis nodo colligata essent, vt facta sanguinis effusio haud dissoluere potuerit vnionis nodum; Secundum, An in rerum vniuersitate nostro seculo vera sanguinis Christi pars reperiatur. Tertium, cur Mediatoris sanguini præcipuè meritum tribuatur.

CAP. II.

An in triduo mortis Christi sanguini effuso esset vnita diuinitas.

PRæsentem de vnione diuinitatis cum effuso sanguine Christi quæstionem nō fuisse priscis olim temporibus apud principes theologicæ facultatis viros fusè agitatam certa hac coniectura mihi videor assequi, quòd omnium grauissimi doctores scholastici, Magister sententiarū, Alexander Alensis, Albertus Magnus, Angelicus doctor, S. Bonauentura, Scotus, Ricardus, & alij fermè omnes, aut nihil omnino de hac disputatione litteris', & memoriæ prodiderunt, aut certè, si quid attigêre, illud vsq; adeò breuiter, & inuolutè nobis expressérunt, vt vix certam illorum hac de re sententiam intelligamus. Nimirum hoc in casu euenit, quod in rebus minimè adhuc in dubium vocatis contingere solet; quę, etsi aliqua dubitandi ratione non vacent, attamen, vel alto silentio præteriri consueuerūt, vel certè, si de his sermo incidit, ab ijs etiam, qui omnia subtiliter, & copiosè perscrutantur, vti de rebus nequaquam

quaquam adhuc letigioſis, obiter, ſtrictim, & preſsè admodum agitur. At quia poſterioribus ſeculis negotium iſtud in litem vocari cępit inter nonnullos Dominicanæ, & Franciſcanæ familiæ viros; quorũ hi pugnaciter, & præfractè pro indiſſolubili deitatis vnione; iſti verò aduerſus vnionem cum ſanguine Chriſti acriter decertarunt; præterea in præſentem difficultatem omni ſtudio nobis incumbendum eſt, vt lectori clarè aperiamus, quænam diſſidentium Doctorum ſententia rectæ rationi, diuinisq; litteris congruentior ſit.

Prima opinio fuit Durandi, Gabrielis Toſtati, & Cardinalis S. Petri.

Ad hoc autem munus exequendum ordiar in primis ab opinione eorum, qui longius à veritatis ſemita declinarunt; quorum dux, & princeps fuiſſe videtur Durandus, alioqui admirabili uir ingenio, qui dum 4. ſent. diſt. 10. q. 1. n. 19. ſanguini in venis Chriſti exiſtenti hypoſtaticam vnionem concedere renuit, diuinitatem ab effuſo ſanguine Seruatoris fuiſſe diſiunctam multò libentius concederet, vti expreſſis verbis ſecuti opinionẽ Durandi conceſſerunt Toſtatus paradoxo 2. c. 40. Gabriel Biel. lect. 53. in Canonem, quorum vterq; vt aliàs adnotauimus, neq; coniuncto, neq; ſeparato ſanguini arctum vnionis hypoſtaticæ vinculum adſcribunt, arbitrantes remotè dũtaxat in hypoſtaſim ſanguinẽ Chriſti fuiſſe eleuatum. Cuius etiam opinionis comprobator fuit Cardinalis S. Petri ad Vincula, qui etſi in verbis ab hiſce doctoribus diſſentire velle videatur in ſuo tractatu veritate quinta, adhibito coaſſumptionis vocabulo, docens re ipſa Chriſti ſanguinem à Verbo fuiſſe coaſſumptum; in re tamen ipſa cum ſuperius allatis doctoribus conſentit; nam quid aliud eſt, Verbum ſangui-

nem coassumpsisse, quam Diuinitatem, quæ ratione Verbi corpori, & animo erat indissolubili nodo copulata, sanguinem in eodem corpore assumpto existentē ratione vnionis terminasse? quod idem est, ac si cū Durando, Gabriele, & Tostato assereret remotè tantùm sua hypostasi Verbum adfuisse sanguini Saluatoris.

Quibus verò rationibus hęc nitatur opinio, ea firmamenta sunt, de quibus nos satis copiosè lib. 2. disputauimus; quæ ibidem per se lector videat; quandoquidem ea, vel similia præsenti loco iterum adducere nullum esse operæ pretiū existimamus, cū fortius ea omnia robur, & pondus, si quod illorum est, obtineant de effuso sanguine, quam de eodem nec dum effuso, & in suis connaturalibus conceptaculis conquiescente.

CAP. III.

Secunda opinio.

Opinio Frā cisci Maironis.

FRanciscus Mayro 4. d. 43. q. 1. sub initium in eodem se se puluere exercens, quamuis a sanguine, vt dominico corpori adhæsit, nullo modo hypostaticam vnionem remouere audeat, eidem tamen effuso diuinitatis coniunctionem tribuendam esse inficiatur, dum inquit. *Nam in triduo diuinitas non fuit vnita cum sanguine, sicut cum corpore, & anima. Hoc patet, quia secundum communicationem idiomatum in triduo verū fuit dicere Deus est sepultus, quia corpus, cui deitas fuit vnita, fuit sepultum. Et similiter fuit verum dicere, descendit ad inferos, quia anima, cui deitas erat vnita illuc descendit, & tamen nō fuit verum dicere, Deus est in Cruce effusus, cum tamen ibi sanguis fuerit effusus super terram.* Et hæc quidem ille

Firmamentum opinionis Francisci Maironis.

ex quo tãq; ex præcipuo fonte hæc disputatio effluxit.

Hinc satis apparet sanguinem Christi, quandiu sacratam corporis sui constitutionem non reliquit, coniunctum fuisse Diuinitati, neq; eiusdem diuinitatis separationem alio vnquàm tempore passum esse, quam post effusionem. Ex quo colligere licet, non eam tantummodo sanguinis Christi copiam, quàm per illud tẽpus è corpore defluentem terra ebibit, verùm etiam quidquid sanguinis effusum est, non solùm in circuncisione, sed etiam in flagellorum, spinei serti, & capitis dilacerarione substantiali diuinitatis vnione fuisse priuatum. Nã etsi, vti ex allatis Francisci verbis liquet, is nõ loquatur de sanguine siue in circũcisione carnis effuso, siue flagellorum ictibus expresso, dum de amissa vnione Diuinitatis cum sanguine sermonem habet, cogitur nihilominus, ni sibi ipsi contrarius esse velit, eandem diuinitatis separationem effuso sanguini in circũcisione, spinea corona, & flagellis, accensere, quandoquidẽ firmamenta, quibus in triduo hypostatica vnione vacuum fuisse docet, eadem aduersus sanguinem alias effusum pugnant.

Præsidia opinionis.

Colligitur etiam, duo maximè opinionis huius esse præsidia. Alterum, præter animam, & corpus Christi, nihil sanguinis diuina Verbi subsistentia pollebat in triduo, ni re ipsa aliqua pars in corpore Christi superfuisset. Alterum est. Ibi à Theologis communicatio idiomatum conceditur, vbi vnio Diuinitatis perseuerat immobilis; hac enim sola, & vnica ratione Deum esse sepultum, esse mortuum, meritò dicimus, propterea quòd corpus, cui arcte copulata semper fuit Diuinitas mortuum,

tuum,& ſepultum eſſe conſtat,atquì nec ſolet,nec iurè de filio Dei aſſeri poteſt, eum in triduo effuſum fuiſſe, aut ſuper terræ faciem iacuiſſe,quamuis Saluatoris noſtri ſanguis reipſa, & effuſus ſit, & terram toto tridui ſpatio irrigarit, ergo deitatem ab effuſo ſanguine abfuiſſe longius ſine dubio aſſerendum eſt. Conceſſit in eandem ſententiam Ricardus de Media Villa 3. ſent. diſtinct. 2. art. 2. quæſt. 1. ad 2.

Ricardi eadem opinio.

Huius verò ſuæ opinionis fundamentum trahit Ricardus ex alio diuerſo principio ab eo, quòd Mayronis animum in eandem opinionem adduxit; nam ille, vt vidimus, ex eo quod de effuſo ſanguine communicatio idiomatum ſaluari non poteſt, ſanguini è receptaculis naturæ Chriſti effuſo diuinitatis vnionem inficiatur; hic verò ex eo capite tantùm, quòd effuſus ſanguis ad corporis Chriſti eſſentiam non attineat, negat cum ſparſo ſanguine Diuinitatis vnionem indiſſolutam permanſiſſe ex quo Ricardi principio huiuſmodi erui poteſt argumentum ad fulciendam hanc ſuam de effuſo ſanguine Chriſti opinionem. Humoris quidquid non pertinet ad corporis Chriſti ſubſtantiam, & rationem, coniunctam diuinitatem habere nõ poteſt; ſanguini igitur effuſo haud erit hypoſtaſis Verbi adſcribenda, quandoquidem nullus ſanguis effuſus corpori dominico eſſentialis fuit.

Cardinalis S. Petri ad Vin. opinio.

Eandem opinionem latè tractat Cardinalis S. Petri ad Vincula in ſuo tractatu, eãq; omni conatu breui hac aſſertione tradit veritate ſeptima. *Etſi à Chriſti ſanguine, quãdiù fuit eius ſacratiſſimo corpori vnitus deitas, ſeparata nõ fuerit* (q intelligẽdũ eſſe p coaſſumptionẽ, & remotè iã ſu-

supra monuimus) *ab eo tamen super terram sparso, atq. effuso eam separatam esse probabiliter confitemur.* Hæc ille, qui non solum suffragio suo viam sibi ad hanc opinionem sustinendum munire voluit, sed etiam vota, ac suffragia aucupatur eorum; quos mox aduersus illum probabimus decertasse. Etenim huic opinioni suæ D. Bonauenturam, & Ioann. Scotum subscripsisse docet; cũ tamen illis nulla vnquam, aut mens, aut cogitatio huiusmodi fuerit. Sui autem erroris occasionem Cardinalis iste sumpsit ex 3. sententiar. dist. 5. q. 5. 2. p. in qua cũ D. Bonauentura hanc quęst. posuisset, an hæc sit assertio concedenda, *Filius Dei assumpsit humanitatem*, mox celebrem illam SS. Anselmi, & Damasc. sententiam, *quod semel assumpsit Deus nunquam dimisit*, explicat, atq; interpretatur de principijs naturæ, hoc est anima, & corpore, non autem de assumptis; ex quo Cardinalis S. Petri ad Vincula putat ratum ac firmum haberi posse suæ opinionis firmamentum; huncq; in modum ratiocinatur. Cum fuerit à Diuinitate sanguis Christi tantũmodo coassumptus, negetq; prætereá S. Bonauent. decretum illud SS. Anselmi, & Damasc. esse de coassumptis accipiendum, profectò conficitur, vt diuina Verbi persona Saluatoris sanguinem dimiserit, quippequi tãtùm coassumptus, & nullum naturæ principium erat. Sed legentem, ac diligenter totius quæstionis statum percurrentem aliqua subibit indignatio, hanc opinionem de diuisione, ac separatione diuinitatis à sanguine Christi clarissimo sanctitatis, & doctrinę viro affictam esse; cum D. Bonauentura coassumptorum vocabulo non intellexerit sanguinem, vt putat Cardinalis, sed pro-

Vera S. Bonauenturæ opinio explicatur.

proprietates quasdam vltrò assumptam naturam consequentes, cuiusmodi sunt, vt ille loquitur, naturæ passibilitas, & cæterę huius generis affectiones. Quare potius ab oppositò certũ ex D. Bonauentura erui potest argumentum aduersús eos, qui in triduo sanguinem à Diuinitate fuisse relictum arbitrantur, cùm naturę principia nullo vnquám tempore à Verbo diuino fuisse derelicta scribat; at quis inter alia naturę Christi principia recensendum fuisse sanguinem, iam ex dictis primo libro ignorat? Prętereà idem etiam clarius conuincitur, dum eodem loco naturę Christi partes à se inuicem disiunctas numquam vnione hypostatica caruisse docet. sic scribens. *Quare si hoc modo accipiatur humanitas ratione principiorum constituentium hominem, sic numquàm deposuit humanitatem.* Ex quibus D. Bonauenturę verbis apertissimè colligitur, per tridui tempus Verbo diuino copulatum fuisse sanguinem; cum humanę naturę principia, quæ nullam à Diuinitate disiunctionem passa sunt, dubio procul fuerint non solúm anima, & caro, sed etiam ossa, nerui, humores, cartilagines, & alia huiusmodi, sine quibus consistere, nec constitui Christus, vt homo, potuit.

Nititur etiam Cardinalis S. Petri ad Vincula cum sua opinione Subtilium ducem, ac magistrum conciliare, dũ is 4. sent. dist. 16. q. 2. vers. *, sed contra ista sunt aliqua dubia,* explicans eandem Sanctorũ Anselmi, & Damasceni sententiam, sic loquitur, *Ad primum, cum dicitur, quod semel assumptum nunquàm fuit dimissum, verum est de principalibus partibus corporis, quæ concurrunt ad perfectionem hominis, cuiusmodi sunt partes eterogeneæ,* sic Subtilis

tilis Doctor, ex quo ſuę opinionis adſtruędę ansā arripuit Cardinalis S.P.ad Vin., inferens à cęteris humanę Chriſti naturæ partibus, maximeq; ab humoribus diuiſam eſſe in triduo mortis diuinitatem, ex quo Ioannes Scotus de etherogeneis duntaxat partibus Sancti Damaſceni ſententiam interpretatur. At miror ſanè auctorem iſtum adeò leui nixum argumēto, vel inuitū Scotum in ſuam ſententiam conari traducere, cum ex germano citati teſtimonij intellectu ſolúm conſtet, minutas quaſdam carnis, & ſanguinis partes naturali neceſſitate à Verbo diuino ſeparatas fuiſſe vi perpetuæ operationis à virtute enutriente proficiſcentis; ex qua, vt adnotauit Scotus, *fuit in corpore Chriſti corruptio, & reſtauratio per ſumptionem alimenti; ſed non potuit fieri reſtauratio, ita perfecta quod corpus ſemper remaneret*; ergo reſolutis naturæ Chriſti partibus non remanſit vnita diuinitas, ſicuti neq; vnita fuit toti humanæ naturæ in triduo quandoquidē Chriſtus deſijt eſſe homo. Hincq; meritò collegit Scotus, D. Damaſceni ſententiā de etherogeneis partibus fuiſſe veriſſimam, quæ ſicut virtute caloris naturalis nunquàm reſolui potuerunt, ita pariter vnione diuinitatis ab initio Incarnationis ſibi conceſſa carere haud potuerunt. Quæ Ioannis Scoti dicta nihil omnino Cardinalis ſententiam iuuant, velut etiā non admonitus lector per ſe clarè dignoſcet, ſi meditetur ea ratione D. Damaſceni ſententiam explicandi Scotum vſum fuiſſe, quō ſaluaret ſalutis noſtræ Vindicem morti fuiſſe obnoxium ſpectata naturali vegetantis facultatis virtute, ex cuius operatione perpetuò in corpore Chriſti ſanguinis, & carnis reſolutiones ſequebantur.

Ad extremum, opinionem suã Cardinalis S. P. ad Vin. cõmunit auctoritate Parisiensis Vniuersitatis, qua decretum esse autumat, sanguinem à Diuinitate fuisse per triduum longius semotum. Sed commentum istud esse nemo non animaduertit, cum huius sanctionis, & decreti aliquod neq; apud theologos, neq; ad apud summorum Pontificum constitutiones, neq; apud probatum aliquem auctorem certum apparere possit vestigiũ.

CAP. IV.

Quæ sint huius opinionis firmamenta.

HÆc sententia, quæ iam allatis ex Francisco Mayrone, & Ricardo præsidijs munita est, pluribus alijs rationibus potest confirmari. Etenim fieri non potuit, quin Deitas ab illis corporis Christi partibus non fuerit separata, quæ vel omnino esse desierũt, vel certè substantialis formæ, cuius gratia vnionem hypostaticam obtinebant, passæ sunt corruptionem; hac enim sola ratione tradunt Theologi ab humanitate separatam fuisse in triduo diuinitatem, quoniam Christus dominus per tridui tempus esse desierat homo; atqui sanguis Christi in triduo non retinuit esse, quo antequam effunderetur, constabat; siquidem coagulatus, deficcatus, ac terræ commixtus fuit; coagulatio autem deficcatio, & nimia cum alienis rebus sanguinis commixtio certam molitur sanguinis effusi corruptionem, siue in alias rerum species trãsmutationem; sic enim, exempli loco, transitus lactis in caseum virtute coagulationis speciem variat, sic crystalli generatio ex fluuida aqua enascens aquæ naturam solet immutare, sicq;

tandem

tandem commixtus pulueri liquor lutum operatur, cuius ſubſtantialis ſtatus non ſolùm ab aqua, ſed etiam à puluere ipſo differt; ergo pariter recedere debuit ab effuſo ſanguine diuinitas in triduo, recedente ſanguinis effuſi forma. Deinde tritum eſt theologicæ ſcholæ decretum, totius gratia Verbum diuinum humanæ Chriſti naturæ partes ſibi adiunxiſſe, quemadmodum ex Damaſceno colligit S. Th. 3. p. q. 5. ar. 2. & cum Magiſtro ſent. 3. d. 2., S. Th. verba ſic habent. *Nam in Domino Ieſu Chriſto non partes partium intuemur, ſed quæ proximè cõponuntur, ideſt deitatem, & humanitatem, humanitas autem totum quoddam eſt, quod componitur ex anima, & corpore, ſicut ex partibus, ergo Dei filius aſſumpſit partes mediante toto:* at totum id tridui temporis per mortem ſublatũ eſt; pariter igitur cum toto deitatis vnio hypoſtatica partib⁹ attributa totius gratia haud potuit remanere, ſiquidẽ corrupto, ac deperdito eo, cuius intuitu ſanguis, qui pars corporis Chriſti erat, ad hypoſtaticam dignitatem peruenit, cohærenter etiam vnione hypoſtatica ſanguis carere debuit, maxime cum remoto fine, ea ſimiliter, quæ ad finẽ ſunt, remoueantur. Amplius, aliàs viſum eſt libro ſecũdo, Saluatore noſtro ſuperſtite fuiſſe diſſolutam vnionem hypoſtaticam ab eo ſanguine, qui caloris vi perpetuò ad reſolutionem redigebatur, cur ergo à ſanguine Chriſti vi tormẽtorum effuſo, atq; ab humanis naturę receptaculis diſſoluto ſe ſe diuinitatem abdicaſſe negabimus? Ad hæc, certum eſt, diuinitatis nexum, qui inter carnem, & ſanguinem Chriſti, & Verbi hypoſtaſim erat, ab ea carnis parte eſſe diuulſum, quæ aquæ naturam mutuata cum ſanguine ſimul exla

Lib 3. orthodox. fidei cap. 16.

tere dominico effluxit; ergo potuit, ne dicã, necesse fuit, vt se se effundentem super terram sanguinis Christi liquorem diuinitas desereret. Ad quod præterea spectat alia argumentatio, quę à maiori ad minus hunc in modum eruitur. Si de quo magis videtur inesse, & tamẽ nõ inest, igitur & id, de quo minus videtur inesse, haud inerit; sed magis videtur inseparabilis Deitas à carne, quã à sanguine, & tamen à carne præputij separata remansit Diuinitas; fortiori igitur ratione in effuso sanguine erit desideranda diuinitas; maior argumentationis propositio patet; quoniam eam vnionem, quam multi, nec ignobiles theologi sanguini Saluatoris non concedũt, omnes, quotquot sunt theologicæ alæ duces, ac milites pari, ac communi assensu carni Saluatoris adscribunt; neq; manet in obscuro posterior pars argumẽtationis, cum theologorum nullus in pręputio Christi nunc reperiri hypostaticam vnionem affirmare audeat. Postea assentientibus omnibus theologis, mediante anima, vt loquuntur, carnem & sanguinem assumpsit Dei filius; at effusum sanguinem anima caruisse nullus cuipiam ambigendi locus relinquitur; ergo Deitatis particeps in triduo sanguis Christi non fuit. Præterea, cum infinita propemodum guttarum sanguinis Christi multiplicitas, atq; varijs, distinctisq; in locis sparsa, seu potius dissipata foret; quis adeò leui mente præditus esse põt, qui credat tot hypostaticis vnionibus infinitis guttis Dei Verbum adnexum fuisse. Nec illud est hoc loco prætermittendum, quod hanc opinionẽ, mirificè iuuat. Vbi de rebus omnino diuinis agitur, nihil tutò videtur affirmandum, nisi id diuino afflatu, & illustratu innotescat,

ſcat, aut niſi ex diuinis litteris eruatur, atqui nulla ſacrę paginę auctoritas, nullum Sanctorū Patrū teſtimoniū, ac deniq; nulla ortodoxæ fidei ſanctio ſententię vnionē hypoſtaticam cum effuſo ſanguine aſtruenti adſunt; non igitur temeraria aſſertione eſt iſtud dicendū; prior pars huius rationis, quæ ex S. Dionyſio Areopagita clarè habetur, nulla probatione eget, cum per ſe nota ſit ijs, qui religionis noſtræ myſteria ſanctè, & religiosè tractanda eſſe norunt; poſterior verò inductione probatur cùm ex alijs patribus, tùm ex præclaris totius Ecclesiæ ſanctæ luminibus Auguſtino, & Damaſceno, qui nihil de hac immobili deitatis vnione, quam nonnulli aſtruunt cū effuſo ſanguine, poſteritati, litterisve conſignatum reliquerunt, vt eorum egregia, & diuina monumenta peruolutantes agnoſcēt. Quare ſi in rebus fidei noſtræ adinueniendis, explicandis, atq; ſubtiliter perquirendis acuratiſsimi patres de hac perpetua vnione alto ſilentio vtuntur, quis erit tam audax, qui incomperta, vel vt ſancius dicam, inexplicata Patribus aperire, atq; aſſeueranter explicare audebit?

Lib. de diuinis nominibus c. 1.

Quòd ſi dicas præclarum immobilis huius, ac perpetuæ vnionis teſtimonium ex S. Damaſceno haberi, dum teſtatur nullo vnquàm temporis ſpatio Verbum dimiſiſſe, quod ſemel aſsumpſit; & nihilominus à perſona Verbi aſsumptum fuiſse ſanguinem oppoſitæ etiā opinionis auctores defendunt. Reſpondeo apertè allucinari eos, qui ex producto D. Damaſceni teſtimonio perpetuam Verbi cum ſanguine vnionem colligunt, ſicuti declarant non pauca abſurda, quæ inde conſequerentur; quādoquidē, ſi quod ſemel aſsumpſit Dei filius

numquã dimisit, protinus sustinere coguntur, neq; humanitatem, vt aiunt, ex qua Christus homo dicebatur, neq; consumptas nutritiua potestate carnis, & sanguinis partes, neq; teneram præputij carnem, neq; capillos, neq; disectos vngues, neq; plura alia, quæ sub Incarnationis initium Dei filius ad se traxit, exuisse, quorum tamen oppositum duntaxat sustineri posse putandum est.

Quid, si idem Damascenus vnionem hanc immobilem cum sanguine aserentes redarguit? non obscurè tradens à corpore tantùm, & anima diuinitatem in triduo non abfuisse. Sic enim ab eodem ista lib. 3. orthodoxæ fidei c. 27. scripta leguntur. *Et quamquã mortuus, vt homo, et sancta eius anima ab incõtaminato separata sit corpore, non tamen diuinitas ab vtroq; separata remansit, ab anima inquam, & corpore, & neq; sic vna hypostasis in duas dissecta est hypostases, nam, & tunc corpus, & anima seccundũ idem à principio in Verbi hypostasi habebant existentiam, & ipsis in morte ab inuicem seporatis vnumquodq; eorum mansit vnam Verbi habens hypostasim; numquàm enim neq; anima, neq; corpus propriam habuere hypostasim, præter eã, quæ Verbi est hypostasis.* Hactenus ex Damasceno, qui animę solúm, & corpori vnionem hypostaticam perpetuam fuisse astruit, ergo sanguini non erit tribuenda ea vnio, quæ peculiaris animi, & corporis Christi fuit iuxta D. Damasceni placitum.

D. Damas. lib. 3. fidei orthodoxæ c. 27.

CAP. V.

Superioris capitis difficultates euacuantur.

Ad primã. AT quoniam recitatæ, & varijs etiã rationibus cõfirmatę opinionis sum futurus oppugnator, meũ con-

consilium est præsenti capite varijs pariter modis refel lere, atq; futiles ostendere eas rationes, quibus oppositа mihi sententia corroborari posse videtur. Objciebatur ergo in prima argumentatione, hypostaticam vnionem cum Sanguine Christi factã haud valuisse cõseruari per triduum, ob substantialem permutationem, cui obnoxius fuit sanguis Christi. Aliqui concedentes corruptum esse sanguinem per absentiam formæ substantialis negant effuso sanguini vnitam non remansisse diuinitatem, ratione materiæ sanguinis Christi, quæ absumpta non fuit. At ego, qui nullam substantialis formæ corruptionem in sanguine peractam esse autumo, falsum arbitror asserere propriam sanguinis Christi formam à sua materia fuisse separatam; secus enim non video, cur contrà communem fidelium assensum contra doctorum fermè omnium sententiam, ac deniq; contra sacras litteras non sit concedendum, sanctum domini vidisse corruptionem, cum ea sit propria sanguinis corruptio, iuxtà philosophorum placita, quæ formã mixti substantialis destruit; Illud verò quod addunt, remansisse diuinitatem materiæ sanguinis Christi copulatam, quantam habet probabilitatem? cum inter omnes cõstet hypostaticam Verbi vnionem, eatenus immobilem permansisse, quatenus res, cui copulatum fuerat Verbum, incorrupta, atq; inuiolata permansit. Nam aliter resolutis etiam sanguinis Christi partibus concedenda foret vnio hypostatica, ratione remanentis materiæ, q̃ ridiculum esset affirmare. Quare dicendum est, nulli pẽnitus permutationi obnoxiam fuisse sanguinis Christi substantiam, speciali quadam diuinæ virtutis assistẽtia,

qua

qua Deus omnes permutationum vires, quibus, naturali necessitate, obiectus fuerat sanguis, repressit, ne quid detrimenti sacrosancta sanguinis Christi substantia subiret, Quemadmodum innuere videtur S. Petrus ep. 1. c. 1. dum inquit; *Non corruptibilibus redempti estis, sed pretioso sanguine agni immaculati, et incontaminati Christi;* Quibus, vt arbitror, docere voluit, sanguinem Christi ab oī penitus corruptione immanē fuisse, ex eo quòd eum opponat terrenis, auri & argenti opibus, quæ corruptioni maxime obnoxiæ sunt. Quòd si fortasse durū nimis videatur asserere, effusum Saluatoris sanguinem, qui pulueri commixtus est, ab omni vel minima permutatione vindicare, responderi secundò potest, eam permutationem, quæ tridui tempore sanguini accidit, sic validam non fuisse, vt substantialis formæ sanguinis corruptionem valuerit operari; etenim, cum pauciora ad substantialis formæ conseruationem, quam ad eiusdem simplicem, & nouam generationē exigantur, fortasis non fuerit creditu difficile Saluatoris sanguinem aliqua qualitatum subsecuta permutatione, sic suam in remanentibns qualitatibus formā retinuisse, vt ea neq; in coagulo, neq; in exsiccatione, neq; etiam in mixtura deperierit, ad eum fermè modum, quo in niue, & gelu certa aquæ forma viget; & in obdurata cera, atq; in pane magis, ac magis decocto, substantiales ceræ, & panis naturæ conseruantur.

Prima Petri 1.

Non concesserim tñ ex terreo puluere, & sparsa sanguinei liquoris Christi substantia siuè cœnum, siuè lutū resultasse; quoniam haud æquum fuit, vt in tertiam, eamq; ignobilem naturam abiret sanguinis substātia,

quæ

quæ dominico corpori rursus adaptanda erat; Ex quibus sequitur, diuinitatem remansisse sanguini adnexã, cum eadem sanguinis Christi substantia, cui prius copulata fuerat diuinitas, substantialis suæ dignitatis, & formæ particeps, & tenax semper fuerit.

Secunda argumentatio, quę ex communi theologorum decreto ducitur, ea ratione, qua explicatur, intellecta, futilis est, quippe ex ea certo iudicio inferri posset, non tantùm à sanguine, sed etiam à corpore, & anima Saluatoris per triduum secessisse diuinitatem, aduersus certissima Sanctorum Patrum, Conciliorum, & Catholicæ fidei decreta. Quarè alius theologici decreti sensus esse omnino debet, diuersus ab eo, quem, argumentum præ se ferre videtur, ad quem attingendum aliqui distinctione vsi sunt, docentes duplex esse medium, quo aliqua duo inuicem connectuntur; vnum necessitatis, alterum congruentiæ; primum est illud, sine quo extrema nullo modo consistere possunt; secundum verò, illud est, quod ad decorem, & maiorem tantùm nobilitatem exigitur. Hac admissa distinctione, arbitrantur isti, de postremo, non autem de primo intelligendam esse tritam illam theologorum assertionem, itaut sensus doctorum sit, humanitatem congruentiæ fuisse medium, quo cæteras humanæ naturæ partes Verbum diuinum assumpsit; atqui, hoc deficiente medio, Dei filius, & corpori, & animæ, cæterisq; partibus ritè copulari potuit. Verùm haud scio, an qui ad istam congruentiæ, & necessitatis distinctionem recurrunt, theologorum mentem assecuti sint, quippe qui hac loquendi ratione, *Dei filius assumpsit partes mediante toto, & assumpsit corpus mediante*

Ad secundum.

Quis sensus sit illius propositionis theologicæ Verbum assumpsit partes mediante toto.

diante anima, & alijs non absimilibus dicendi formulis, haud docere voluerunt varias vniones in humana natura à Verbo assumenda fuisse, quarum prior in toto peracta fuerit, cęteræ verò posteriores virtute prioris vnionis ad reliquas naturæ Christi partes deuenerint; cum sine dubio errorem sensus iste sapiat; quandoquidē in ipso Incarnationis Verbi Dei principio eadem planè temporis morula, nō modo totum, sed quælibet etiam sacrosanctæ Christi naturæ pars ad diuinam Verbi hypostasim est eleuata. Quocirca tradere dūtaxat Theologi voluerunt rationem quandam, seu methodū, quibus iuxta intelligentiæ mortalis naturam pernoscere-
S. Thomas. mus, quid ordine naturæ prius, quid verò posterius à Verbo diuino assumptum fuerit. Nam, vt diuinè philosophatur Angelicus Doctor 3. p. q. 5. a. 5. aliquid prius alio esse contingit bifariam; aut ex parte agentis; aut ex
Prius natura, aliquid bifariam dicitur. parte materiæ; illud prius absolutè dicitur respectu agētis, in quod primò mens, & cogitatio illius fertur; ex parte verò materiæ, prius illud appellatur, q̄ prius transmutari, atq; perturbari solet. In hoc autem cęlesti Incarnationis arcano, in quo tota ratio facti, vt inquit Augustinus, est potentia facientis, quia Verbum Diuinum, adiunctis sibi duabus alijs sanctissimę Trinitatis personis, agens, & effector huius vnionis hypostaticæ fuit; propterea partes mediante toto, hoc est prius natura, intelligitur voluisse totum, quam partes assumere, quāuis nec à toto partes, nec à partibus totum vlla quauis, vel minima temporis mora intercedente assumpta fuerint, sed potius vna simplicissima, indissolubili, atq; arctissima hypostatica vnione, totum istud negotiū confectum

fectũ fuerit. Hinc patet, quam apertè decipiãtur hi, qui tracti hoc theologico decreto, ad deſtructionem totius, deſtructam ſimiliter fuiſſe diuinitatis cum ſanguine vnionem arbitrantur.

Neq; faceſſit nobis negotium confirmatio illa; nam etſi finis primarius, ac præcipuus Verbi diuini eſſet totius humanitatis aſsumptio; attamẽ vnio hypoſtatica, quę circa particulares corporis Chriſti partes à Verbo volita fuit, ratione medij non habebat, ſed finis principalis pars erat non infima, quæ re ipſa à fine nullo modo diſtinguebatur, quamuis ſpectato ordine naturæ, vt iam docuimus, Verbi intentio prius circa totam humanitatem, quam circa humanitatis partes obuerſaretur. Quare, etſi humanitas, quæ finis præcipuus in aſsumptione fuerat, in triduo eſse deſierit, ipſę nihilominus humanitatis partes, quę in aſsumptione poſterius, ratione agẽtis, aſsũptæ intelliguntur, hypoſtatica Verbi vnione non caruerunt, cũ & illæ Incarnati Verbi finis eſsẽt. *Ad confirmationem.*

Manifeſtum diſcrimen inter reſolutas, & abſumptas à naturali calore ſanguinis partes, & ſanguinem in triduo effuſum intercedere clarum eſt, quandoquidem abſumptæ ſanguinis partes talem à dominico corpore ſeparationem ſubibant, qualem effuſus ſanguis Chriſti numquàm expertus eſt, nam illæ à calore abſorbebantur, atq; in nihilum fermè redigebantur; at hic, etſi effuſionem pateretur, ſubſtantialem tamen ſuæ materiæ, & formæ ſtatum perpetuò retinebat, ex quo diſcrimine iurè factum eſt, vt ſparſo Saluatoris ſanguini, non autem corruptis illis, atq; reſolutis ſanguinis partibus indiſsolubili vinculo Verbum diuinum adeſset. *Ad tertiũ.*

Ad quartum. Doctores illi, qui autumant ex nõnullis corporis dominici pattibus efformatam esse ex latere dominico p. fluentem aquam, laborant in assignanda ratione, qua tueantur, aquæ effluenti vnitam fuisse diuinitatem. Nõ ignoro quosdam esse Doctores, qui si interrogarentur, affirmarent vnione diuinitatis liquorem aqueum præcelluisse etiam cum effunderetur, obid duntaxat, quod in ea aqua adhuc materies repiebatur, quæ quia vnitam semel habuit diuinitatem; propterea etiam in ipso effusionis actu eandem sibi diuinitatis vnionẽ retinuit; sicq; in eorum sententia, non est diuinitatis subsecuta diuisio in ea materiæ parte, quæ in aquam abijt, sed in ea parte corporis Christi duntaxat, quę resoluta, siue transmutata est. Verùm, meo iudicio, audiendi non sunt hi doctores ob eam rationem, quam in explicatione primæ argumentationis attulimus, de qua etiam non nihil inferius dicendũ est. Mihi igitur, qui diuino miraculo efformatam esse lateris aquã reor, nullius est negotij quartũ argumentũ, quippe ꝙ ex captiosis principijs, & à me aliàs cõfutatis ducitur; immò nulla inter effusum in triduo sanguinem, & aquę lateris effluxum similitudo est, quoniam nullo vnquàm tempore aqueum lateris Christi humorem, semper verò dominicum sanguinem diuina Verbi hypostasis nobilitauit.

Ad quintum. Venio nunc ad eam argumentationem, quę à maiori ad minus ducitur, quam esse captiosam vel ex eo cognosci potest, quòd non totam molem carnis toti sanguinis substantiæ comparat, quod ad vim argumẽti exigitur, sed paruam, & minimam carnis partẽ, cuiusmodi fuit tenera Saluatoris præputij caro, omni, & toti san-

ſanguinis materiæ opponit. Hinc, etſi verum eſſe non negem, inſeparabilem magis a tota carne, quam à toto ſanguine fuiſſe hypoſtaticam vnionem, iſtud haud tñ concedendum eſt, ſi ſermo fiat de vnica carnis portiuncula non quidem reſpectu alicuius ſanguinis partìculæ, ſed reſpectu totius ſanguinis humanæ Chriſti naturæ, qua in re quoniam peccat argumentatio non eſt magnifacienda, ſiquidem potior ratio eſſe videtur vnionis hypoſtaticæ reſpectu totius ſanguinis, quàm eſse poſsit eiuſdem vnionis pondus reſpectu minutiſſimę tantúm carnis pręputij Chriſti. Sed aliam accipe reſponſionem. Qui dominici præputij carnem rurſus in reuiuiſcente à mortuis Chriſto domino reperiri autumant, huic argumento occurrerent, affirmantes numquam á deciſa præputij carne ſeparatam fuiſse Diuinitatem; ſicut numquàm ab effuſo ſanguinis Chriſti liquore idem diuinitatis nexus abfuit. At ego, qui approbandam potius, quàm condemnandam cenſeo pietatem, ac religionem eorum, qui ſacroſanctam præputij carnem venerabũdi Lateranenſe templum ingrediuntur, quiq; inueteratam apud omnes fermè populi Chriſtiani gẽtes de vera pręputij carne etiam nunc in terris nobis reſeruata diuinitùs famam cuſtodire, ac conſeruare, magis quam abijcere, atq; diſſipare aueo, affirmarem diuiſam certè fuiſſe à præputij carne diuinitatem, quamuis indiſsoluta perdurarit facta cum dominico ſanguine eiuſdem diuinitatis vnio; huiuſq; aſsertionis meę duplex adducerem firmamentum; quorum vnum eſt, quia præputij caro, ſempiterna Dei prædeſtinatione, ac prouidentia ad fidelium mentes in pietate, ac deuotione ſedulò exercendas,

Secunda reſponſio.

das, deinceps erat in terris futura, neq; in posterum sacrato Mediatoris corpori adaptanda; sanguis autē Christi ex aduerso, quoniam iterum erat à Verbo assumēdus; idcirco sanguis, non verò præputium perpetua diuinitatis vnione excelluit. Alterum præsidium est. Quòd modica pręputij caro nō adeò perfectā corporis Christi constitutionem attingebat, sicuti tota effusi sanguinis copia absolutam corporis constitutionem ingrediebatur.

Corpus Christi glorioſum ſine præputio, et cum cicatricibus vulnerum perfectum eſſe poteſt.

Verùm, si fortè dixeris, de ratione absolutissimę perfectionis corporis Christi esse teneram præputij carnem; ne in eo, in quod & ipse tacitus trahor, cōtentiosus sim, adderem, diuino planè consilio factum esse, vt ea pręputij caro, quæ iuxta naturę ordinem corporis integritati debebatur, in resurrectione assumpta non fuerit, quemadmodum eadem Dei prouidentia contigit, vt vulnerū cicatrices, quæ naturali corporis connexioni haud conuenire poterant, sibi post glorioſam ab inferis resurrectionem Christus dominus asseruaret, maximè, (vt scitè admonet Angelicus doctor. 3. p. q. 54. ar. 4.) cum hęc non tam pertineant ad corruptionem, vel corporis Xpi defectum, quam ad maiorem eiusdem Saluatoris nostri glorię cumulum, & splendorem; nempe quatenus quędam sunt virtutis insignia, ac in illis ipsis vulnerū locis eximius quidam, ac mirificus honos, ac splendor apparet. Hęc fermè ex S. Th., qui vlterius dum secundo argumento respondet, eam excludit obiectionem, cui aliquis innixus cōcedere vereretur, siu ecicatrices in corpore Christi, siue in terris Saluatoris pręputium remansisse; hunc ad modum scribens. *Illa appertura vulnerum,*

S. Th. 3. p. q. 54. ar. 4.

quam-

quamuis sit cum quadam solutione continuitatis, totum tamen hoc recompensabitur per maiorem decorem gloriæ, vt corpus non sit minus integrum, sed magis perfectum. Sic S. Thomas, quo cum idem similiter nos de præputij carne ratiocinari iure meritò possumus.

Verbum partes corporeas assumpsisse mediante anima simili ratione accipiendum est quá explicauimus, illud esse intelligendum, *Dei filius assumpsit partes mediante toto*, non enim sensus est, Diuinum verbum eas solùmodo partes vitales, vel eas tantùm, quæ ab anima rationali natæ erant viuificari sibi in hypostasim copulasse; sed potius, germana huius theologicæ propositionis expositio est; Verbum diuinum spectato ordine naturæ, non temporis ob animam assumpsisse carnem, & sanguinem; non solùm quia anima medium dignitatis gradũ obtinet inter Deũ, qui viuifici spiritus fons est & origo; & carnem, & sanguinem, quæ sunt corporatæ res; sed ét quia anima nonnullam habuisse videtur causalitatem, vt aiunt, ad hoc, vt Dei filius terrenis rebus, carni videlicet, & sanguini coniungeretur in hypostasim, quandoquidem res corporea ad hypostaticã vnionem idonea fuisse non intelligitur, nisi ratione eius ordinis, quem res corporata ad animam rationalem corporis viuificatricem habere solet.

Ad Sextã

Cur corpus mediante anima Verbũ dicatur assumpsisse.

Neq; verò ea guttarum sanguinis dispersio, de qua in Septima argumentatione sermo est; neq; quæuis alia maior, dissoluendæ hypostaticæ vnionis efficax causa esse potuit; quippequæ eius hypostasi decorabatur, qui cum attingeret à fine vsq; ad finem, & immensitatis attributo excelleret, potuit nullo negotio hypostaticam

Ad septimam.

vnionem

vnionem ſuam guttis toto orbe diffuſis non abnegare.

Ad obiectum. Fatemur & nos ipſi quidē nihil temerè, nihilq; procaciter eſſe affirmandum, vbi de diuinis omnino rebus agitur, nihilq; euulgādum eſſe etiam confitemur, quod vel ex certis rationum pōderibus, vel ſacræ paginæ, vel Sanctorū Patrum, vel theologorum teſtimonio colligi non poſſit; in præſentia tamen vnionem hypoſtaticam non remāſiſſe in triduo inſciēter comprobatur, duabus maximè de cauſis. Prima eſt. Nam eſto faciamus celeberrimos S. Matris Eccleſiæ Patres, Auguſtinum, & Damaſcenum nullibi in præclaris ſuorum ingeniorum monumentis poſteros hanc veritatē docuiſſe, qua nos ducti ſanguinem in triduo, Deitati fuiſſe intrinſecùs copulatū aſſerimus; num propterea exſolutam eſſe à ſanguinea Saluatoris ſubſtantia hypoſtaticam vnionem cenſendum erit? profectò ſi ab auctoritate negatiua, vt vulgò inter ſcholaſticos Doctores iactatur, certi alicuius roboris haberi poſſet argumentatio, vltrò manus dandæ forent ijs, qui nobiscum in hoc repugnant; at nullā eſſe argumentationum huius generis virtutē, qui ēt in quauis ſcientia ſunt mediocriter verſati, paſſim vſurpant, quæ certa regula eſt, non tantùm apud ſolos philoſophicæ diſciplinæ, ſed etiā apud omnes theologicæ ſciētiæ profeſſores, à quibus nihil ab auctoritate negatiua ratum, firmumq; eſſe poſſe non ſemel proditum eſt, præcipuè cum á paucis quibuſdā, non verò ab omnibus Sanctis patribus hęc ipſa auctoritas negatiua petatur, vt re ipſa Cardinalis S.P. ad Vin. facit tacto ſolius S. Auguſt. & Damaſceni teſtimonio. Amplius id, quod non eſt vel à Patribus proditum, vel à ſacra Scriptura expreſſum,

niſi

niſi fidei Catholicę dogma ſit, illud ipſum poteſt efficax & euidens ratio conuincere, velut in ſubiecta materia inferius probabitur, maximè cũ non ſemper neceſſaria ſit manifeſta reuelatio eorũ, quæ ad fidem minimè ſpectant, vt aliquid tutò, aut affirmari, aut negari poſſit, ſiquidem reuelationis munus ſupplere poſſunt ſolidæ aliquot rationes, vti Theologorum decreta callentes nõ ignorant; ex quo è fundamentis ruit Cardinalis S. Petri ad Vinc. allata argumenti corroboratio. Secunda cauſa eſt. Quoniam S. Damaſc. huiuſce opinionis noſtræ, & perpetuæ vnionis auctorem, & defenſorem ſemper fuiſſe, palam, & pluribus loquetur caput, quod ad animi noſtri ſenſum explicandum deſtinauimus.

Quamuis ſciamus eſſe alia præclara D. Damaſceni teſtimonia, quibus noſtra opinio cõmuniri poteſt; hoc ipſum tamen ab aduerſarijs contra nos adductum, pro nobis haud inefficax eſt, ſi, vti oportet, intelligatur. Quare illa D. Damaſc. ſententia, *Verbũ quod ſemel aſſumpſit nunquam dimiſit*, ſic meo iudicio intelligenda videtur; Dei filius numquam exuit, quod ſemel in hypoſtaſim ſibi copulauit, ni aſſumptũ à Verbo fuiſſe dimiſſum vel fides catholica doceat, vel certa, & omninò neceſſaria ratio peruincat. Hinc, quia catholicis dogmatibus fidem præſtantes Deum eſſe mortuum cogimur confiteri, nec non Chriſtum Dominum in circumciſione tenera præputij carne ſpoliatum eſſe, & tandem nonnullas certæ carnis, & ſanguinis partes calore naturali in corpore Saluatoris reſolutas eſſe certiſſimo colligere poſſumus argumento, propterea quòd Chriſtus Dominus fuerit eiuſdem omnino natu-

Ad nonã.

Cum limitatione intelligenda eſt celebri illa S. Damaſceni ſententia. Quod ſemel aſſumpſit &c.

ræ, (si naturalia tantùm spectes, & peccata excipias ac aliorum mortalium corpora erant, quę huiusmodi motibus necessariò obiecta sunt,) idcircò assumptã in incarnationis mysterio humanitatem in triduo Verbum dimisisse, separatam esse à præputij carne deitatem (si quod á pluribus traditur, verum est, nempe præputium Christi nostris etiam temporibus in Lateranensi Basilica videri,) & á partibus naturali calore absumptis hypostaticam vnionem recessisse, fateri tenemur.

Ad vltimũ. Adducta demum ex Damasceno auctoritas in aduersarios nòstros testis stat, non modò, quia D. Damascenus, dum ab anima, & corpore diuinitatem diuisam nõ esse asserit, non affirmat eandem Verbi vnionem à cęteris corporatis rebus abijsse; verùm etiam quia ex nullis citati testimonij verbis id colligi potest, cum nullam excludẽtem particulam adiecerit, qua diuinitatem corpori, & animæ solùm, non verò cęteris partibus fuisse annexam intelligeremus, quam tamen addere debuerat, si testimoniũ illud eò respicere voluisset Damascenus, quò id detorquent nobis aduersantes. Immò cum totum Christi corpus, cuius partes omnes in hypostasim Verbum diuinum sibi assumpsisse docuerat lib. 3. orthodoxæ fidei c. 6., in duas tãtùm partes secet, in animã videlicet, & corpus, tradens eis vnitam perpetuò mansisse diuinitatem; haud dubiè corporis vocabulo non nudã carnem, sed etiam ossa, neruos, humores, pellem, & cętera ad corporis perfectionem spectantia significare voluit Damascenus: aliter enim manca, & insufficiens esset distinctio assignata de toto Saluatoris corpore, & partibus, præcipuè cum sanguis perfectioni, atq; con-

sum-

ſummatæ exiſtentię corporis mirum in modum non ſolúm profit, ſed etiam planè neceſſarius exiſtat, ſicuti patet non minus ex ijs, quæ nos primo libro diſputauimus, quam ex alijs etiam, quæ idem S. Damaſc. docuit lib. 2. c. 12. circa medium. Nam ex quo factam ſub initium incarnationis hypoſtaſim nũquam in duas diſecatam eſſe hypoſtaſes, ſed vnam, & eandem immobilem perſeueraſſe tradit, dubio procul id, quod volumus, innuiſſe putandus eſt, quandoquidem ſi effuſus ſanguis in triduo vnione hypoſtatica ſpoliatus fuiſſet, ſtatim in illius diuinę hypoſtaſis locum ſuffecta fuiſſet ſanguini naturaliter debita ſubſiſtentia; Ex quo efficeretur, Damaſceno repugnante, vnam hypoſtaſim in duas diſecatam eſſe hypoſtaſes. Et hæc ſatis ſint quoad firmamenta contrariæ nobis ſententiæ.

CAP. VI.

Quid de vnione Deitatis cum effuſo ſanguine Chriſti ſenſerint Caietanus, & Syluester.

SEquitur tertio loco ſententia Caietani, qui à citatis Doctoribus diſſentiẽs arbitratur, ita effuſo ſanguini vnitam remanſiſſe Diuinitatem, vt ea tamen non cuilibet effuſi ſanguinis parti coniungeretur. Ad hoc Caietani placitum planè dignoſcendum reuocanda sũt in mentem ea, quæ a nobis fuſius lib. 1. c. 7. & 8. & libr. 2. explicata ſunt, quandoquidem ex ijs ipſis firmamentis hæc præſens quæſtio excitatur, ſiquidem familiari ſibi, ac peculiari diſtinctioni innixus Caietanus, qua duplicis naturæ ſanguinem in Aſſertoris noſtri corpore, vitalem nempe, & nutrimentalem inſitum eſſe á natura autumat,

ſuorum haud immemor principiorum propoſitam quę-ſtionem explicat, docens vitali ſanguini etiam è venis effuſo vnitam fuiſſe diuinitatem, in nutrimentalis autem effuſione nullam fuiſſe ſubſtantialem vnitæ diuinitatis præſentiam. Non vnum autem fuit huius Caietani opinionis præſidium, ſed varium, & multiforme, quod quia alibi à nobis diligenter exagitatum eſt, non hic nouo rurſus, inaniq; labore repetendum fore duxi. Videat Lector primum, & ſecundum librum citatis anteà locis, ex quibus plenam huius rei notitiam hauriet. Ego in præſens duntaxat admonebo lectorem, nnmquam mihi hanc Caietani opinionem arriſiſſe, quippequæ dubio, ac multoties varijs argumentationibus exploſo principio fulcitur. Quare, ſicut anteà vnius naturæ, & vnius ſubſtãtialis ꝑfectionis fuiſſe totũ Saluatoris noſtri ſanguinẽ perpetua oratione ſum proſecutus, ita, quod ad rẽ noſtrã attinet, vno ordine, vnaque ratione toti Saluatoris ſanguini Deitatem arcto vnionis vinculo fuiſſe annexam reor, ni fortaſſis, (de quo ſuo loco fuſius agetur,) ab hac vnione Diuinitatis excludamus eum ſanguinem, quẽ paterna miſeratione Deus nobis mortalibus reliquit in terris, vt & amoris immenſi, quo nos vnicé diligebat, & eximię charitatis, qua humanum genus proſequebatur, clariſsimum teſtimonium intueremur; Quod non ex aliqua ſanguinis diſtinctione, quæ in corpore Mediatoris reperiretur, ſed ſolummodò virtute immobilis decreti diuinæ voluntatis proficiſcebatur, qua decreuerat apud mortales relinquere aliquam ſanguinis ſui partem ad excitandos ad pietatem fidelium animos. Hinc factum eſſe arbitror, vt ſtatim ac è corpore Chriſti diuiſionem

ſionem ſenſit effuſus ſanguis, is protinus Deitatis vnione in perpetuum caruerit.

Tres illi doctores, qui diligentiſsimè quæſtionē hāc agitarunt Pij Secundi Pontificis Maximi iuſſu tranſijſſe videntur ad eandem Caietani ſententiam, dum nutrimentalem ſanguinem cum Chriſto domino haud ſurrexiſſe tradunt, pro comperto videlicet habentes diuiſam ab effuſo nutrimētali ſanguine fuiſſe Diuinitatē. *Syluestri opinio.*

Sylueſter de Prierio hanc eandem difficultatem enucleās in quęſtionibus Euāg., omni abiecta dubitatione idem, ac Caietanus ſentit. Nam, etſi non omnino eadem ſit Caietani, & Syluestri ſententia de ſanguine nutrimētali, & vitali, in re tñ præſenti Caietani veſtigijs Sylueſter inſiſtit, quęſt. 31., vbi vocabulo sāguinis ſalubriter effuſi, eum ſanguinem intelligit, cui intimè deitas erat copulata, ſicuti pariter nomine ſalubris ſanguinis, eum duntaxat intelligit, qui etiam ſi meritorius foret, ei tamen non erat conſociata Diuinitas; Ex quo apertè liquet, ſalubri ſanguini effuſo, hoc eſt perfecto, & vitali, non autem ſanguini ſalubriter effuſo, ideſt nutrimentali, adiunctam fuiſſe diuinitatem.

Rationum momenta, quibus opinionem hanc ſuam citati doctores obfirmatam eſſe voluerunt, quo ad nutrimentalem ſanguinem, cui nullo modo adiunctam fuiſſe diuinitatem in triduo arbitrantur, ſunt ea, q̄ pluribus adducta aliàs, & etiam citatis locis confutata fuêre. Fundamenta verò, quæ hypoſtaticam vnionem cum ſanguine vitali effuſo aſtruunt, in ſubſequens caput reijciemus, quod non ſolùm propria eorum ſedes erit, verùm etiam ſuo ſinu continebit ea præſidia, quibus

bus non tam explicanda opinio, quam Caietani, Syluestri, & aliorum proposita sententia defendi posse videtur.

DISPVTATIO SECVNDA.

De varijs rationibus præsentis difficultatis.

CAP. I.

Quibus constet argumentis toti effuso sanguini vnitam fuisse diuinitatem.

QVarta opinio fuit eorum, qui absolutè affirmarunt Diuinitatem virtute substãtialis vnionis hypostaticæ in totã effusi sanguinis substãtiam dominatã fuisse; sic vt in triduo toti effuso sanguini deitas intimè adnecteretur. Videtur hæc opinio adscribenda illis doctoribus, qui non modò autumant, nullam veri sanguinis Christi partem nunc in orbe terrarum reperiri, verúm etiam docent, à Verbo diuino totam, & omnimodam sanguinis Christi substantiam indissolubili, ac perpetuo vinculo assumptã fuisse in hypostasim.

Affigunt aliqui, sed haud meritò, Ioanni à Turrecremata hanc assertionem, de cuius mente, & sensu plura alibi dicam. Ego, vt ingenuè fatear, paucos admodum doctores alicuius nominis reperio, qui expressis verbis hanc opinionem tueantur. Si de latenti doctorum mẽte aliquid coniectare liceret, eos huius opinionis patronos facerem, qui, vt in libro 2. tradidimus, nullo discrimine sanguini Saluatoris hypostaticam vnionem tribuunt; at quia nõ nemo præterit eorũ nonnullos asseruisse, verum

Sal-

Saluatoris noſtri ſanguinem apud nos remanſiſſe (etiã ſi in toto ſanguine ſitam fuiſſe diuinitatem abſolutè concedãt, ex quo receſsiſſe diuinitatem ab effuſa ſanguinis particula in terris nunc exiſtente concluditur,) ideo nõ auſim quidquam doctoribus, quod de illis mihi planè perceptũ, ac exploratũ non ſit, imprudenter adſcribere.

Hoc tutò mihi videor affirmare poſſe de mente Ioãnis Capreoli, qui præſentem ſententiam aſſeueratèr tradit 4. ſent. diſt. 11. q. 1. a. 3. in reſp. ad quintum argumẽtum contra primã concluſionem, licet nullis eam argumentis, ſed ſola Angelici doctoris auctoritate, quæ ingẽtes difficultates patitur, confirmet, nimis audacter contrariam opinionem falſam, erroneam, atq; hęreſis macula infectam criminatus. Eãdem docuiſſe videtur Nicolaus de Lyra in illis verbis Diui Pauli ad Hębreos 9. *Quanto magis ſanguis Chriſti emundabit.* *Capreolus.* *Lyrani ſententia.*

Enim verò, vt ſuſceptũ munus probãdæ huius opinationis, quãlibet copiosè exequamur, capiẽda eſſe primordia putamus ab ijs, quæ in tertiæ opinionis tutelã, & defenſionem adhibere conſueuerunt hi ipſi tertię opinionis propugnatores. Hæc autem licet plurima ſint, ad duo principaliora tamẽ capita reuocari poſſunt; quorũ primũ ex ſacri eloquij teſtimonijs; alterũ verò ex varijs rationib. ducitur. Sub primo capite hæc recẽſeri poſsũt.

Primò, ſanguis Chriſti non potuit eſſe iuſtum redemptionis noſtræ pretium, cum in infinitũ illata Deo iniuria creſceret, niſi ratione Deitatis ſibi copulatæ, virtute, ac dignitate cuius ſanguis pretij, ac valoris erat immẽſi; atqui nõ corruptibilibus redemptũ eſt genus humanũ, ſed pretioſo ſanguine agni immaculati, & incõtamina- *Primò.*

ti

Secundò. ti Christi, prima Petri primo. Secũdo, sanguis Iesu Christi eiusdem naturalis perfectionis erat, ac aliorum hominum sanguis; cur ergo sanguis eius fuit corruptione immunis, si viuifica Deitatis vnione haud erat insignitus? sola igitur vnionis hypostaticæ virtus sanguinem Christi a tabe corruptionis vindicare potuit, cuius etiam præstantia corpus eiusdem Saluatoris in triduo

Tertiò. nullum tabidi humoris defectum passum est. Tertiò, vel solus Præpotens Deus, vel id quo cum maxima fuit vnio Deitatis, homines ab impietate ad pietatem, ab immunditijs ad munditiam, a peccatorum sordibus ad iustitiæ splendorem reuocare potest; sic enim testatur scriptura sacra Isa. 43. *Ego sum, qui deleo iniquitates tuas,* & Lucæ 7. *quis est hic, qui peccata dimittit*; quasi dicere vellent, cum nullus præter Deum perpetrata scelera relaxare possit; quis est hic, qui Deo esse se æqualem audet affirmare? & tamen Adæ filij gratis Iesu Christi sãguinis effusione iustificati sunt per redemptionem in Christo Iesu ad Romanos 3. *Sanguis Christi mundabit conscientias nostras ab operibus mortuis* ad Romanos 9.

Quartò. Quartò, nulla dari potest communicatio idiomatum, nisi ijs in rebus, quibus deitas fuit copulata; hac enim sola ratione, Deus dicitur homo, mortuus, sepultus &c. sed de effuso Saluatoris sanguine hæc communicatio idiomatum vsurpatur Ioann. 1. *Dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo*. Apocal. 1. *In sanguine mundantur omnia, & sine sanguine non fit remissio peccatorum*, ad Hebr. 9. ergo hæ operationes, vt iã vidimus, so-

Quintò. lius Deitatis esse possunt. Quintò, quælibet minima sãguinis Christi gutta poterat à diabolica seruitute in di-

uinam

uinam libertatẽ perditos Adæ ſilios reuocare, velut docet non modò D. Bernardus, cuius hæc verba ſunt. *Vna gutta ſanguinis ſuffeciſſet ad redemptionem noſtram*; verùm etiam confirmat breuis illa quidem, ſed aurea ſententia de ſanguine Saluatoris prolata. *Quòd potuit gutta, voluit vnda*; atqui virtus iſta Deifica tantúm eſſe potuit; ergo à ſola etiam ſibi copulata Deitate quamlibet ſanguinis Chriſti guttam hauſiſſe hanc virtutem putandum eſt. Sextò, iuxta D. Damaſc. ſententiam lib. 3. fidei orthodoxæ, humana Saluatoris noſtri natura ſalutiferam virtutem contraxit ex copulata ſibi diuinitate; at ſanguis Chriſti efficacem ad ſaluandas, atq; ſanctificandas animas virtutem habuit iuxta illud ad Heb. vlt. *Ieſus, vt per ſanguinem ſuum populum ſanctificaret extra portam paſſus eſt*; ergo virtutem iſtam à perſona Verbi ſibi intrinſecè copulati ſortitus eſt effuſus ſanguis. Septimò, vulgatum eſt apud Theologos decretum, pro commiſſis hominum peccatis puram creaturam Deo perfectè haud potuiſſe ſatisfacere; & nihilominus hoc munere perfunctus eſt ſanguis Chriſti, vt teſtatur Apoſt. ad Rom. 3. *Quem propoſuit propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius*; opus igitur omninò fuit, vt ſanguini Deus ipſe vniretur, ſecus pura creatura nos ad diuinam amicitiam traduxiſſet, quod vires creatæ duntaxat ſubſtantiæ excedebat. Octauò, quod ſemel in diuinam hypoſtaſim venit, nec finem, nec vnionis interitum capere põt, Diuis Damaſceno, Anſelmo, & Leone Papa auctoribus; at Verbũ Diuinum, cum caro factum eſt, totum humanæ Chriſti naturæ ſanguinem aſſumpſit, vt non ſemel docuimus; ergò effuſus in triduo ſanguis vnionis interitum habere non potuit. Nonò, nihil infinita virtute pollere põt,

D. Bernardus.

Sextò.

Septimò.

Octauò.

Nonò.

quod aut Deus ipse non sit, aut certé diuina hypostatica vnione non excellat, quandoquidem cętera, vti vi, ac potestate finita, sic natura certis limitata, atq; circumscripta cancellis vtuntur; sed illud, cuius auxilio Christus Dominus infinitum Ecclesiæ thesaurũ, ac Monarchiam acquisiuit, virtutis esse debebat infinitæ, vt pretium, & res pretio acquisita sibi inuicem responderent; ergo sanguini copulatum esse debuit Verbum, quandoquidem. *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam, quàm acquisiuit sanguine suo.* Actorum 20. Decimo, fuit diuinum opus clausas ob protoparentis Adæ peccatũ cœli fores reserare; & tamen per sanguinem Christi habemus fiduciam in introitum Sanctorum; quòd ni vltrò concederetur, ruerent, ac funditus euertertur antiquę legis, quę typus erat Euangelij, omnes præclaræ, atq; insignes figuræ, quibus sanguinis Christi virtutem Deus commendare voluit, non solùm in paschalis agni sanguine, quo posteri Iacob ab internetione, quàm Angelus de cœlo missus Aegyptiorum primogenitis intulit, salui, & incolumes extitêre; verúm etiam in omnibus veteris testamenti sacrificijs consummatis animalium sanguine, qui ad peccatorum remissionem, ad pacandum numen iratum, & ad omnia faustè, & prosperè impetranda fundi consueuerat.

Decimo.

CAP. II.

Rationes secundæ classis.

SEd aggrediamur modò varias secũdi capitis rationes, quibus similiter diuinitatẽ perpetuò cũ sanguine copulatam fuisse persuaderi videtur. Prima ratio huiusmodi est. Quemadmodum ea, quæ corpori Saluatoris post mortem acciderunt nihil ad salutem nostrã

Prima.

ope-

operãdam profeciſſent, ſi à corpore deitas receſſiſſet, ſic ea, quæ Iudæi, aut milites circa ſanguinem Chriſti operati fuerãt, remota deitate, nihil eſſent nobis profutura, & tamẽ à D. Ambroſio, & alijs Patribus ſacer, & ſalubris cruor ex latere perempti Saluatoris emanans paſſim appellatur; ergo quia particeps erat Diuinitatis. Secundò, *Secunda.* ponamus ex hypotheſi Apoſtolorũ Principẽ in triduo rem ſacram peregiſſe diuina cõſecrationis verba ſuper vini ſubſtantiam proferrendo; tunc ſciſcitor, nũ ſanguis Xpi ſit latriæ cultu dignus; ſi affirmabis, igitur, dicã ego, per triduum in ſanguine Deitas vi vnionis hypoſtaticę fuit, quandoquidem ei ſoli latriæ cultus exhibendus eſt. At ſi negabis, quis non agnoſcit temeritatem reſpõſionis, ex qua mancum, atq; imperfectum quandoque eſſe potuiſſe magnum adeò Sacramentum conficeretur; ſiquidem, vel hoc ſolo latriæ cultu carere ſanguinem Xpi, magnum eſt honoris huius Sacramenti detrimentum. Tertiò, hac eadem conſecrationis in triduo data hypo- *Tertio.* theſi falſum ſubeſſet Sacramenti verbis, quorum virtute vinum in ſanguinem Chriſti tranſubſtantiatur, quod aſſerere impium eſſet; illatio deducta patet; nam cum ſanguis, qui ui verborum in calice conſtituitur, planè eſſet à Chriſto Domino ſeparatus, Chriſti eſſe non potuit, cũ is tunc in rerum vniuerſitate haud reperiretur; ergo à Deitate ſibi copulata habuit ſanguis effuſus, vt Chriſti iure merito diceretur. Quartò, in ſacratiſſimo Altaris *Quarto.* myſterio ſic totus Chriſti Domini ſanguis eſt ſub ſpetiebus vini cõſecrati, vt quęlibet vel minima ſanguinis Xpi pars in omnibus, & ſingulis conſecrati vini ſpetiebus exiſtat; ergò quocumq; temporis ſpatio cæleſte hoc Sacramentũ perficiatur, neceſſe eſt, vt hac ratione ſanguis

Domini sub accidentibus vini constituatur; ex quo tũc arguere licet, si quis Apostolorũ Missam celebrasset ante lateris vulnus, nõ solùm cruor ille Saluatoris nostri, qui iam effusus, sed etiam is, qui mox é latere effundendus fuerat sub quauis minima uini accidentium parte totus adfuisset, ergò tunc toti fuisset copulata diuinitas, & rursus toti nõ copulata; quòd fieri nulla ratione potuit sine manifesto contradictionis errore. Velut ex hac ratiocinatione cognosci potest; etenim cum, Mayrone, Ricardo, & alijs omnibus assentientibus, sanguis ille, qui in corpore dominico per triduum erat, excelleret vnione Deitatis, & is, qui effusus fuerat eadem vnione deitatis priuaretur; & in Sacramento Eucharistiæ sanguis Christi haud distingueretur in varias partes, sed totus & quælibet etiam minima sanguinis Domini pars in ijsdem planè accidentibus esset, proculdubio contigisset, vt toti, & non toti, vt copulata, & rursus non copulata Saluatoris sanguini foret diuinitas, quod absurditatis labe nullo modo vacat. Ad extremum, cum Christus Dominus Ioan. 6. de sanguine suo loquens dixit, *sanguis meus verè est potus*; verba non fecerit de corporali, sed spirituali potu, vt communiter tradunt Patres; profectò per triduum sanguis Christi consociatam habere debuit diuinitatem, quæ sola in sanguine spiritualis potionis rationem sortita est, cum cetera ad sanguinis naturam spectantia corporata essent. Hæc firmamenta, quibus sanguini dominico generatim, & absolutè coniunctam fuisse diuinitatem comprobare nonnulli conati sunt, fermè habentur ex illis Theologis; qui coram Pio huius appellationis secundo Pontifice maximo hanc difficultatem enuclearunt.

Vltima.

CAP.

CAP. III.

Allatis rationibus occurritur.

VErùm, ſi illi, quibus allatæ rationes arrident, aſſerere volũt, nullam fuiſſe ſanguinis Chriſti partem, quæ cum effunderetur, vnione hypoſtatica caruerit, minimè; meo iudicio, audiendi ſunt, cũ iſtud veriori ſentẽtię aduerſetur, vt paulò poſt probabimus; ſicuti pariter exigua fides tribuenda eſt adductis rationibus, quæ omnes, topicæ ſunt, & erutæ ex communibus quibuſdam ſacræ ſcripturæ teſtimonijs, & varijs ẽt reſponſionibus eludi poſſunt. Ac primo quidem, cum omnis ſub priori capite contentę argumentationis totum in eo conſtitutum eſſe prędidium videatur; quòd Chriſtus Dominus ſuo nos ſanguine, neque redimere, neq; iuſtificare, neq; noſtrorum animorum maculas abſtergere potuiſſet, ni cum ſanguine ſuo conſociatam habuiſſet diuinitatem; ideó operę pretium erit, iſtius prædidij debilitatem triplici reſponſione oſtendere, quibus in propatulo fiat mortalium genus á Chriſto Domino omnium cęleſtium donorum affluentibus copijs potuiſſe ditari, etiam ſi ſanguini Saluatoris numquam fuiſſet adnexa diuinitas. Quare igitur facillimum iſtud Saluatori noſtro fuiſſet, propterea quòd ſanguinis effuſio fuit paſſio præcipua, ac ſingularis Aſſertoris noſtri, quæ non ſecus, ac operationes humanæ Chriſti naturæ perſonæ Verbi adſcribendæ erant, quandoquidem actiones ſunt ſuppoſitorum, vt philoſophiæ parens Ariſtoteles docet, ex cuius dignitate, & præſtantia virtutẽ, merita, & valorem contrahunt actiones; ſiquidem quo maior, ac excellentior eſt perſona, eo etiam excellẽtio-

res

res ab omnibus haberi solét ab ea patratę operationes; sicuti è regione, quo vilior, & abiectior est persona, eo etiam minus nobiles, minusq; pretiosæ æstimari consueuerunt eiusdem operationes, quemadmodũ notissimis exemplis declarari posset, ni cõmunis rerũ humanarum vsus, & certa ipsa experimenta nulla egere istud probatione loquerentur. Cum igitur effusio sanguinis Christi puri hominis, nudæve rei creatæ passio nõ esset, sed potius esset personę diuinæ, nempe Verbi, quod natura, dignitate, atq; excellentia infinitum penitus erat, vtiq; non modo possibile, sed necessarium fuit, vt Christus Dñs sui sanguinis effusione omnem Adæ posteritatem ad cælestę domicilium reuocaret, eamq; sanctificaret, mundaret, redimeret. Hinc, vt sanguis Christi diues esset ad pretiũ, vt loquitur S. Leo Papa, nulla Verbi hypostatica vnione, quæ effuso sanguini cõmunicaretur, opus fuit, sed sufficiebat, vt esset effusio sanguinis Christi, qui, quoniam nullum omnino habuit peccatũ, sanguinem suum ad remissionem peccatorum effundere potuit, vt scitè dixit Augustinus lib. 13. de Trin. c. 15., cuius ea verba, *quia nullum omninò habuit peccatum*, splendorem, dignitatem, ac præstantiam personę offerrentis, nempe Verbi, ostendunt, ex cuius vnione absolutam hausit Christi natura impeccabilitatem. Non igitur ex re pro remissione peccatorum à Christo domino oblata petendus est valor infinitus, sed magis ex eo, qui remissionem peccatorum operabatur, cuius oblatione liberi à diabolica seruitute facti sumus per sanguinis effusionem, qua meritoriè Christus Dominus nostram salutem, & redemptionem à Deo obtinuit.

Secunda respõsio. Esto demus Syluestro, & alijs Domini-

minicanæ religionis doctoribus Chriſti ſanguinem nõ tantùm per modum meriti, vt iam diximus, ſed ẽt per modum efficientiæ ſalutem humani generis fuiſſe operatum, velut tradere videtur Angelicus Doctor 3. p. q. 48. ar. 6. & alibi ſæpius, cuius tamen ſi ea eſt doctrina, arduis ſanè difficultatibus pplexa eſt, & ab omnibus, niſi eam benignè interpretantibus non admittitur; adhuc tamen euidenter colligi non poteſt, Deitatem ſanguini Saluatoris phyſicè noſtram emundationem peragenti copulatam eſſe, quandoquidem poterant effectus illi diuini, & penitus naturam excedentes etiam à Chriſti ſanguine produci tamquam ab inſtrumento, quod nõ proximè, ſed remotè tantúm Deitati foret copulatum; nempè quatenus corpori aderat conſociata diuinitas, cuius virtute etiam ſanguis miracula poterat perpetrare; ad eum fermè modum, quo idem Aſſertor noſter p vocem ſuam, tamquàm per phyſicum inſtrumentum Deitatis miraculoſos quoſdã, & diuinos planè effectus comproduxit, veluti cum paralyticum alloquens iuſſit eum ambulare illis vocibus *tolle grabatum tuum, & ambula*, & cum rurſus ſiccis veſtigijs Petrum per tumentes fluctus gradientem ad ſe venire permiſit; at reperiri poſſe putarim neminem, cui aliquod iudicium, aut ſana mens ſit, qui vocibus, ac verbis à Chriſto domino prolatis copulatam fuiſſe diuinitatem fingere audeat, quę tunc ad effectus illos operandos verbis Chriſti; tamquã phyſicis inſtrumentis dubio procul vtebatur. Dicerent alij, iuſtificationẽ, ac cętera ſupernaturalia dona in nos manaſſe per ſanguinem Chriſti, quatenus is ante effuſionem ex vnita Deitate occultam, ac diuinam virtutem ſibi à Deo ſuperadditam ſortitus eſt, cuius vi, ac

S. Thom.

effica-

efficacitate prodigiosos effectus operabatur.

Sanguis Christi pro vita, & morte eiusdem non semel in sacris litteris vsurpatur.

Potest tandem allatis argumentis tertia hac solutione satisfieri. Ea diuini eloquij testimonia, quibus, & passionis meritum, & redemptionis humanę pretium Saluatoris sanguini accensetur, non de nudo, ac solo sanguine Christi, sed de vita, ac morte Saluatoris intelligenda sunt, quæ ritè vocabulo sanguinis appellantur in scripturis passim, quoniam, sicuti thesaurus vitę sanguis est, atq; in eodem anima esse dicitur; sic in sanguinis effusione mors Christi rectè explicatur. Hinc, quia mors, & vita Christi vno sanguinis nomine assolet promiscuè vsurpari; idcircò factum est, vt ad istud significandum his locutionibus diuina scriptura vtatur. *Iustificati gratis in sanguine. Per sanguinem redemptionem habemus. Sine sanguine non fit remissio peccatorum.* Hoc est sine morte Christi peccata nostra haud nobis à Deo condonantur. Scitum est enim, ex vi præsentis decreti, quo lapsum genus humanum ad æternam patriam reuocare statuerat, Saluatoris mortem vnicum, & solũ fuisse diuini decreti remedium, ad quod alludens S. Mater Ecclesia lætis vocibus canit. *Se nascens dedit socium, se moriens in pretiũ, se regnans dat in præmium*, Ex quo Ecclesiæ cantu animaduertere licet, id morti Saluatoris tribui, quod prima Petri primo sanguini eiusdem Saluatoris adscribitur; at hoc aliò spectare non potest, quam vt apertè dignoscatur, apud diuinam scripturam idem penitus esse, Christũ sanguine suo nos redemisse, ac Mediatorem nostrum sua nos morte in antiquum innocentiæ statum vindicasse. Hac eadem etiam ratione non vno in loco sacrę paginæ legimus, humanam salutem in mortem Saluatoris esse conijciendam, iuxtà illa Diui Pauli verba ad

Hæbr. 2.

Hebr. 2. *Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorẽ salutis eorum per passionem consummare. Qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram,* ad Roman. 4. *Dedit, & tradidit semet ipsum pro nobis,* ad Galatas 2. Solet prætereà idem, quod de sanguine, & Christi morte scriptura tradit, de corpore, & anima Saluatoris dici. Hinc enim illa sunt. *Sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi,* ad Hebr. 2. *Accipite, & comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.* Lucæ 23. *Animam meam pono pro ouibus meis,* Ioann. 10. Quid? communis ipse loquendi vsus obtinuit, vt, dum volumus significare, nos esse paratissimos subire mortem pro alicuius amici incolumitate, vulgò dicamus sanguinem velle nos profundere ad vitam eius tuẽdam incolumem. Maneat igitur firmum, ac ratum, in scripturis sacris nomine sanguinis Christi non semel significatam esse eiusdem Saluatoris passionem, quæ sanguinis profusione peracta est. Ergo iure merito totus mũdus per sanguinis effusionem redimi potuit, cum in solutionem huiusce redemptionis oblatus sit Deo sanguis Xpi, hoc est, tota eius natura, quæ ratione hypostaticæ vnionis erat valoris infiniti in genere satisfactionis; in quo genere figurę veteris legis, quæ sanguinis Christi efficacitatem significabant, veritatem suã obtinuerunt.

Ad Hebr. 2. *Ad Rom. 4* *Ad Galat. 4.* *Ad Hebr. 2.*

CAP. IV.

Respondetur ad secundi ordinis rationes.

REstat, vt secundi capitis argumentationibus respõdeatur, quæ haud maiori negotio refelli possunt.

Etenim pro primi argumẽti ſolutione plures theologi, quorum nomen clarum eſt, non vltrò ſolúm concedũt, ea, quæ corpori Saluatoris iam perempti accidêre, opera non fuiſſe redemptionis noſtræ, verùm etiam id eſſe ab omnibus admittendũ eo argumento peruincere ſe poſſe arbitrantur; quòd quidquid Chriſtus Dñs nobis à Deo patre obtinuit, id omne vi meritorię actionis peractum ſit, ergo Chriſtus nullo nos merito valuit amplificare, cum poſt mortem corporis ſui eſſet in termino viæ omnino ad meritum neceſſariæ, poſſideretq́; pariter corpus omnis actionis, & operationis planè incapax. Quarè ſaluber ſanguis nõ ea ratione ab Ambroſio dicitur, quòd re ipſa effuſus ſanguis Domini ſalutem noſtram operaretur, ſed potius talis dictus eſt, quòd ſalutiferæ redemptionis iam peractæ ſymbolum, ac typus foret.

Secunda reſponſio.

Sed primum illud argumentum apertioni fortaſsis via, & ratione confutari poteſt; nimirum ſi concedatur fore vt nobis non eſſent futura ſalutaria, quæ circa dominicũ corpus peracta ſunt, ſi Deitas ab eo diſceſſiſſet, & nihilominus negetur, ea, quæ ſanguini poſt mortem Saluatoris acciderunt, inutilia fuiſſe humanæ redẽptioni; nam cum nihil aliud erga ſanguinem Chriſti peractum ſit, poſtquam e mortalibus Aſſertor euolarat, quã ingens lateris plaga, ex qua cruor erupit; manifeſto cõſtare poteſt argumento, eam ſanguinis effuſionem magni emolumenti ad rem noſtrã fuiſſe, quippequę Deitati ſemper fuerat copulata, donec in corpore dominico reſedit, vt omnes fatentur; ergo ſi cum ſanguine, dum lancea latus domini tranſuerberabatur, conſociata repe riebatur diuinitas, dubio procul ſacer, ſalubris, noſtræq́; redemptionis effector iurè poteſt ſanguis ille appellari,

quamuis

quamuis hypoſtatica vnione, atq; recenſitis prærogatiuis non excelleret poſt effuſionem.

Nec præterire poſſum tertiam reſpondendi rationẽ, quam ex Angelico doctore elicio 3.p.q.49.ar.1.corpore, qui dum varios modos explicat, quibus virtute paſſionis Chriſti antiquũ peccati iugũ abiecêre mortales, docet iſtud in primis fieri per paſſionẽ Chriſti per modum prouocantis ad charitatem: cuius ſententia nobis planum iter redditur, quo ad veram nodi ſolutionẽ perueniamus; ſiquidem ſanguis Chriſti domini poſt effuſionem, etſi Diuinitatis vnione vacuus fuiſſet, ſalutiferã tamen virtutem ad abolenda peccata ſortiebatur, quatenus ſui ipſius effuſione ad condonanda peccatori ſcelera alliciebat, tacitoq; quodam impulſu, vt ita dicam, Deũ impellebat; ac nos pariter ad charitatis opationes mutuo fouendas nõ modò inuitabat, ſed prouocabat ẽt. *S. Thom.*

Nullum eſt abſurdum in ſacrificio per id tridui temporis peracto conſecratũ Saluatoris ſanguinem ſub accidentibus vini nullo tunc latriæ cultu fuiſſe colendum, cum ab eo diuinæ naturæ maieſtas abeſſet, cui ſoli, & sẽ per huius honoris nota præſtanda eſt; neq; per hanc aſſertionem tanti Sacramenti dignitas ſlaceſſit, cum ex accidenti tunc ſolùm contingeret, ei denegandum eſſe latriæ honorem, cui per ſe extra illud breue tridui ſpatium omnino debebatur huiuſmodi reuerentiæ decus. Quid? ſanguinem Saluatoris ſub vini ſpetiebus in triduo, data vnionis ſeparatione, latria fuiſſe adorandum addo ipſe, ea ratione adductus, quòd ſi crucem, aliaq; ſimilia, quibus re ipſa nullam cum diuinitate vnionem fuiſſe non ignoramus, latria veneramur, propterea q, vel amaram Saluatoris noſtri paſſionem, vel eum ipſum Saluatorẽ *Ad ſecundum.*

exprimant, ac repreſentent, cur anegabimus eodē ho-
nore dignum eſſe Chriſti ſanguinem, qui non modò ſi-
gnū, typus, & expreſſa ſimilitudo paſſionis Chriſti, ſed
præcipua, ac nobilis peractæ paſſionis materies, nec nō
etiam particeps hypoſtaticę vnionis fuit, quiq; poſt re-
ſurrectionem rurſus eiuſdem particeps futurus erat?
Tandem ad hoc confirmandum alia nobis ratio ſuppe-
tit, quæ à minori ad maius pertexitur in hunc modum;
ideò miraculoſo ſanguini, qui nō ſemel in calice appa-
ruit, latriæ cultus exhibetur, non quòd ea adoratio illi
abſolutè, & ſimpliciter tribuēda ſit, quod ſub corpora-
tum aſpectum cadit, ſed potius ei, quod in eo per ſpe-
tiem ſenſilem latitat, & ſignificatur, qui ſanguis do-
minicus eſt, quēadmodū docet Ioannes Poliacus apud
Turrecrematam d. 2. de celebratione miſſarū, ergo po-
tiori ratione ſanguini effuſo, in quo diuinitatem, quæ ei
fuerat copulata, agnoſcimus, hanc reuerentiæ ſignifica-
tionem nullo errore tribui poſſe, affirmandum erit.

Adtertiū. Procul autem omnis erroris ſuſpicio abfuiſſet à for-
ma conſecrationis eius ſanguinis etiam in triduo prola-
ta, quoniam ea Verba, *hic eſt ſanguis meus*, non profert
Sacerdos, vti Sacerdotis, & miniſtri, ſed vti Saluatoris
Auguſtiſſimi huius Sacramenti auctoris perſonam ſu-
ſtinens, ac repræſentans, nempe recitando id, quod Chri
ſtus Dñs dum huius S. Synaxis inſtitutionem molieba-
tur, fecit, ex quo conſequitur, vt quocunq; tempore hęc
Sacramentalis forma proferatur, ſua ſemper veritate
conſtet, cum ad memoriam eius, quod egit Xps, ſit refe-
renda; ſicq; in triduo verum fuit aſſerere, Chriſtum Do-
minum in huius Sacramēti inſtitutione verba iſta pro-
nūciaſſe. *Hic eſt calix ſanguinis mei, vel hic eſt ſanguis meus;*

ma-

maximè cum etiam per id temporis ſpatiũ ea ipſa Euchariſtiæ forma efficeret id ipſum, quod alias ſemper operabatur, quamuis Deitas à ſanguine Chriſti ex hypoteſi fuiſſet ſeparata.

Ad quartũ. Cardinalis S. Pet. ad Vin. inficiatur, ſanguini, qui ex proſciſſo Chriſti latere fluxit, adiunctam fuiſſe diuinitatem eo etiam tempore, quo ſanguis mortuos Chriſti artus irrigabat, ea pręcipuè de cauſa, quòd ſanguis Chriſti non fuerit à Verbo Diuino proximè aſſumptus in hypoſtaſim, ſed coaſſumptus duntaxat; at ea inquit, quę per coaſſumptionem ad perſonam Verbi eleuata ſunt, vnionem hypoſtaticam, ſeu potius coaſsũptionem eo vſq; tantum retinere poſſunt; quoad tota ſiue pręcipua coaſſumptæ materiæ pars ad vnionẽ deitatis conſeruandam idonea eſt; ſed quoniam tota fermè ſanguinis Chriſti copia ob ſubſecutam effuſionẽ diuinitatis nexum amiſerat; propterea exiguus, & modicus ſanguis ille, qui in corde mortui Saluatoris reſederat, iacturam fecit eiuſdem vnionis diuinę, ſortem aſſecutus copiæ maioris ſanguinis effuſi. Enimuerò, ſi Cardinalis reſpondendi ratio iſta veritati congrueret, omnẽ planè argumentationis difficultatem euacuaret manifeſtè; at quia Cardinalis placitũ iſtud non modò omnibus alijs doctoribus, qui cum Cardinali in hac eadem ſententia conſentiunt, aduerſatur; verũm etiam falſum eſſe ex his, quæ libro 2. de hypoſtatica vnione diſputauimus, facilè intelligere per ſe quilibet poteſt; idcircò indubiè commentum eſſe iſtud cenſendum eſt, quoniam acquiſitæ ſemel vnionis hypoſtaticæ conſeruatio pendet ex ſola ſanguinis cum carne, & venis Chriſti conſociatione, vt conſona voce teſtantur Ricardus, Mayro, & alij auctores

Opinio Cardinalis S. Pet. ad Vin.

res huius opinionis sectatores, quam Cardinalis defendit; igitur dissolui vnio hypostatica non potuit, eo saltē temporis interuallo, quo in corpore Saluatoris sanguis resedit. Præterea cum communicatio Deitatis sanguini Mediatoris concessa, ita perfectè cuilibet sanguinis Xpi particulæ, ac toti eiusdē sanguinis copię ineffabili modo diuinitus impertita sit, quid esse poterit causæ, cur dissoluta cōmunione Deitatis á maiori sanguinis copia, ab alia similiter sanguinis parte, loco, situ, substantia, quātitate numerica, dissoluta eadem vnio Deitatis redderetur? cum Verbum diuinum totum toti, ac totum cuilibet parti sanguinis eadem ratione foret copulatū. Adijci potest secundo loco, quod super hac argumētatione scripsit Dominicus de Dominicis in suo tractatu art. tertio. Vbi ad 12. respondens *posito*, inquit, *quod quis consecrasset ante mortem. Dico quod in calice esset vbiq; sanguis vnitus Deitati, quia sub qualibet particula esset totus sanguis. Quarè esset vnitus, & non vnitus, secundum diuersas partes, non prout est in hoc Sacramento, sed prout est extra Sacramentum; non autem hæc sunt contradictoria, contradictio enim, vt dicit philosophus primo perihermenias, est affirmatio, & negatio eiusdem secundum idem.* Hæc Dominicus, à quo licet non sit recedendū in eo, quod de contradictione docet, de cuius ratione reipsa est, vt de eodē sanguine in eodem pariter Sacramento existenti simul, & semel vnio, & dissolutio deitatis prædicetur, quod secundum allatam solutionem non accidit; à Dominici tamen sententia dissentiendum est in eo, quod totum Christi sanguinem in triduo sub speciebus vini consecratis vnitum fuisse Diuinitati autumat, nam cum Eucharistiæ Sacramentum naturalem sanguinis Christi

Opinio Dominici de Dominicis.

statum

ſtatum neq; deſtruat, neq; immutet, quidquam ſanguini addendo, vel detrahendo præter modum illum ineffabilis exiſtentiæ Sacramentalis, cuius vi corporatus ſanguis Chriſti non rei corporeæ, ſed ſpiritualis naturã imitatus, non quantitatiuis dimenſionibus extenditur, ſed inenarrabili modo, & indiuiſibili in vnaquaq; vel perexigua ſpetierum particula totus ſine vlla partium confuſione conſtituitur; haud cernere poſſum, quo iure ſanguis, qui ſuper terram diffuſus vnione hypoſtatica carebat in triduo, gauderet tamen idem ille ſanguis in Euchariſtia eodem tempore diuinitatis nexus priuilegio, niſi noua miracula, nouamq; diuinitatis vnionem, antequam Chriſtus à mortuis reuiuiſceret, inducamus, quod omnino ſuperuacaneum eſt. Quocirca licet ſub quauis ſpetierum particula eſſet totus ſanguis Chriſti, vt benè Dominicus de Dominicis argumentatur, non ideò tamen coniuncta eſſe poterat diuinitas toti ſanguini, ſub qualibet particula exiſtenti, ſed ei duntaxat, qui extra Sacramẽtũ adhuc corpori Saluatoris erat vnitus.

Propoſita difficultas ſic mihi videtur poſſe expediri. Etſi data illa hypoteſi totus Chriſti ſanguis non modò effuſus, verùm etiam ſtatim ex latere effundendus ſub accidentibus vini conſtitueretur, licetq; pariter ſanguini ſuper terram diffuſo minimè, effundẽdo autem maximè Deitas eſſet adnexa, communio tamẽ deitatis effuſo ſanguini haud tributa fuit, ob adductã aduerſus Dominicũ rationem. Quare etſi Diuinitas ratione eius ſanguinis, quem mox effundere Chriſtus ex latere ſuo ſtatuerat, in omnibus, & ſingulis ſanguinis Chriſti ſpetiebus, immò in tota ſanguinis Chriſti copia, quæ in Sacramẽto tegebatur, præſens adeſſet, non ea tamen præſentia cũ effuſo ſan-

Vera reſpõſio.

sanguine in Sacramento existenti Deitatis vnionem operabatur, sicq; totus quidem sanguis Christi Diuinitatis præsentia, sed certa tantùm pars, ea nimirum, quæ erat effundenda, vera intrinseca, & substantiali hypostatica vnione præfulgebat, id q; exprimi, ac declarari posse videtur hac similitudine, non omninò fortassis à re præsenti aliena, si fingamus, solum Saluatoris nostri caput, inter omnia eiusdem corporis mẽbra, insigni aliqua honoris qualitate esse affectum; quo dato, sic disserere possumus. In sacro altaris Sacramẽto corpus Xpi, Deo auctore, sic sub spetiebus panis constituitur, vt in eadem minima accidentium panis particula non modò sit caput, sed etiã pedes, brachia, dorsum, & reliqua corporis Xpi membra adeo aptè; decenterq; disposita, vt totum corpus sit in toto Sacramento, & totum corpus, ac vnumquodq; corporis Christi membrum sub eadẽ minima spetierum quantitate constituatur, sine vlla cõfusione, vel penetratione, vel partium inter se perturbatione. Hinc fit, vt quemadmodũ insulsa est hęc argumẽtandi ratio, Caput Christi hac honoris qualitate præditum ibi est in Sacramento, vbi pedes, manus, ac reliquũ corporis Christi continetur, igitur pedes, manus, ac cætera corporis membra eandem qualitatis dignitatem capitis propriam obtinent; ita parum sapienter, Deitatis vnionem toti sanguini in Sacramento existenti tributam esse colligunt ij, qui ex vnione Deitatis alicuius sanguinis partiunculæ propria, & peculiari inferre non verentur, in omnem sanguinis Christi naturã diffusam esse Diuinitatis vnionem, propterea quòd sanguis vnione hypostatica pollens in eadem re minutissima Sacramentali simul reperiebatur cum sanguine, qui

sub-

ſubſtantiali Diuinitatis nexu carebat. Non igitur toti, ſed parti duntaxat vnita eſſe potuit diuinitas etiã in Sacramento, ex quibus omnibus labefactatur argumentum, quod contradictionem probare videbatur.

Quòd ſi adhuc dicas, nõ tolli contradictionem eo q̃ rectè ex noſtra ſententia colligatur, vnitum, & nõ vnitũ eſſe Deitati exiſtentem in Sacramento ſanguinem; quãdoquidem vnitus erat Diuinitati, ratione illius ſanguinis, qui nec dum ſeparationem à corpore pertulerat, & non vnitus, ratione ſanguinis effuſi in toto paſſionis curſu; iam quæ, paulò ante dicta ſunt, hanc difficultatẽ penitus ſuſtulerunt; nam quamuis in ſanguine commorãte in Sacramento pars diſtincta loco, & ſitu ſanguinis effundendi à parte effuſi iã ſanguinis aſsignari nequeat, cum ſanguis Chriſti modo ſpiritualis exiſtentiæ in Sacramento reperiatur; re ipſa tamen alia eſt effuſi ſanguinis, alia verò effundendi pars, ad quas partes, qm̃ negatio, & affirmatio vnionis referuntur, ideò nullũ contradictioni locum relinquunt; cum ad cõtradictionem pertineat, vt de eadem parte ſanguinis eadem ratione accepta deitatis vnio, & diſſolutio ſimul, & ſemel affirmari poſſit, quod in re noſtra non accidit.

Ad extremum. Quò ſanguis Chriſti domini meritò cibus ſpiritualis animæ noſtræ appellari poſſit, quemadmodũ ore ſuo Chriſtus teſtatur dicens, caro mea verè eſt cibus, & sãguis meus verè eſt potus, ſatis eſt, vt in aſſumptione carnis, ac eo ipſo tempore, quo Iudæos alloquebatur, & nunc etiam, ac tandem omni æuo, quo eadem eſca fideles nutriuntur, hypoſtaticam vnionẽ habeat ſanguis Chriſti; quod ad ſaluandam promiſſionis Chriſti veritatem ſufficit, maximè cum Chriſtus Domi-

nus certissimè sciret fore, vt nullo vnquam tẽpore à fidelibus populis hic sacer cibus sumeretur, quo vnione hypostatica careret; quidquid sit de casu ex sola hypothesi petito. Quamquam verius dici posse arbitror, sanguinem Christi in triduo etiam separata Deitate, meritò spiritualem cibum dici potuisse, si minus ratione Diuinitatis sanguini intrinsecus copulatæ, ratione saltem spiritualis effectus, quem Sacramenti sumptio consummata etiam in triduo operata fuisset; cum auctor ipse Iesus digne etiam per triduum ad Sacramentum accedentes solitis spiritus sancti, & gratiæ donis haud dubiè cumulasset.

CAP. V.

Excepto sanguine, qui apud nos in terris remansit, toti effuso sanguini vnitam fuisse Diuinitatem certis Sanctorum Patrum testimonijs ostenditur.

AT quę igitur nostra erit hac de re opinatio? Credimus totam effusi sanguinis substantiam, ea excepta, quæ nunc etiam in rerum vniuersitate reperitur, arctissimam, ac perpetuam habuisse cum Verbo diuino communionem. Hæc sententia, cui adest Ioannes Maior 3. d. 37. q. 25. concl. 2. duo clarè explicanda ad sui illustrationem exigit. Vnum est; diuinitatem toti fermè effuso sanguini adnexã fuisse per triduũ. Alterum est, id tridui temporis nonnullas effusi sanguinis partes vnione Diuinitatis spoliatas fuisse. Sed ordiamur ab vltimo, ꝙ quia alibi fusius persequemur, in prẽsens cursim, ac strictim duntaxat perstringendum est. Huius autem ratio esse potest huiusmodi. Cum nihil magis alienum à sapientibus esse possit, quam sub-

ſubſtãtialem diuinitatis vnionem tribuere ijs ſanguinis Chriſti partibus, quas noſtris etiam hiſce temporibus non vno in loco reſeruatas, ritè colimus, ac veneramur, cum nullum veræ ſanguinis formæ veſtigium in eis appareat, ac non congruat iſtud Diuinitatis ſplendori, atque dignitati, vt mox ſuo loco probabitur; conſequens eſt, vt dicamus, ſtatim poſt effuſionem eo ipſo paſsionis Chriſti tempore ſeparatam remanſiſſe Diuinitatẽ ab eo ſanguine, in quo nullus reaſſumptionis ordo relinquebatur; nam ſi in illis duntaxat partibus conſeruata eſt deitatis communio, in quibus remanſit ordo ad naturam Chriſti rurſus perfectè conſtituendam, vt cum Angelico Doctore cõmuni aſſenſu memoriæ commendarunt Theologi oẽs, ſanè, meo iudicio, ſequitur abijſſe diuinitatem ab eo ſanguine, qui hunc reaſſumptionis ordinem nullo pacto habiturus erat in poſterũ; at quodnã tempus magis opportunum huius hypoſtaticæ vnionis diſſoluendę aſſignari poteſt, quam id temporis ſpatiũ, quo ſegregatus è corpore dominico ſanguis terreũ ſinum irrigare cępit. Immo in aliud tẽpus diſſolutionẽ vnionis hypoſtaticæ non potuiſſe reijci, duabus de cauſis videtur affirmandum. Prior cauſa eſt, q̃ tunc ſolùm non verò aliàs, cum abſolutam è dominico corpore ſeiunctionẽ ſanguis Chriſti paſſus eſt, ordo reaſſumptionis euanuit; at vbi ratio conſeruandæ vnionis cum ſanguine Chriſti ſublata eſt, ibidem protinus, & ipſa diſſoluta eſt Diuinitatis communio. Poſterior cauſa fuit, q̃m ſubſecutum poſt effuſionem ſanguinis temporis ſpatiũ eiuſdem rationis, & naturæ erat, immò in ſecundo tridui die, exempli loco, non erat facilè adinuenire rationem, qua comprobetur, tunc potius, quam tertio die, aut an-

no separatam fuisse diuinitatē; ergo cogimur arbitrari sub ipsum perfectę effusionis sanguineæ principiū partes illas in orbe terrarum relictas vnione hypostatica caruisse, qua nunc denudatas esse, & ratio docet, & communis opinio tradit.

Verùm, quò in pertexenda prioris nostræ assertionis probatione diligenter id custodiamus, quod sanctè, inuiolateq; obseruandum in diuinis rebus pertractandis admonet Dionysius Areopagita vir antiquitate, doctrina, ac vitæ sanctimonia illustris capite primo de diuinis nominibus, dum inquit. *Vniuersaliter itaq; non audendū dicere, neq; intelligere quid de supereſſentiali, & occulta diuinitate, præter diuinitus nobis ex sacris eloquijs expressa. Ipsius enim super rationem, & intelligentiam, & essentiam supereſſentialis ipsa super essentiali scientia reponendum, in tantum sursum respicientes, quantum se infert diuinorum eloquiorum radius ad superiores claritates circa diuina, temperantia, & sanctitate coarctatas.* Ideò aliqua Sanctorum Patrum hac de re testimonia in primis proferemus, quibus ceu splēdidissimis radijs nostra opinio illustrabitur, clarūq; euadet, effuso sanguini per triduum vnitam fuisse diuini Verbi personam. Quoniam igitur primum ad opinionē nostram confirmandam futurum est D. Damasceni testimonium; idcirco pauca quædam iuxta eius doctrinā statuēda sunt, ex quibus velut ex limpidissimis fontibus ad vnionem sanguinis effusi cum Deitate defendendam variæ rationes proficiscentur.

S. Dionys. Areop.

Principiò statuendum est, Mediatoris nostri corpus quatuor humoribus constasse, qui solito naturæ artificio inter se inuicem concinnati vna cum cæteris corporatis partibus perfectam, & absolutam Christi domini

na-

naturam conſtituebant; (id enim muneris in corpore Saluatoris humores habebant, quod in corporibus omni ſpiritu deſtitutis quatuor mundi elementa ſupplent.) Hinc ſicuti corpus vitalis principij incapax ex primæuis naturæ principijs, tamquàm ex partibus; ſic anima præditum corpus ex quatuor humoribus, tamquam ex partibus conſtituitur. Sed audiamus D. Damaſcenum lib. 2. orthodoxæ fidei c. 12. hæc ipſa prodeuntem. *Corpus tripliciter diuiſibile longitudinem ſcilicet habens, & profundum, ſiue craſſitudinem, atq; latitudinem. Omne autem ſenſibile corpus ex quatuor elementis conflatur, & animalium corpora ex quatuor humoribus*; quos paulò poſt enumerás, *ſimiliter*, inquit, *& humores quatuor proportione reſpondentes quatuor elementis; atra bilis correſpondet terræ, frigida eſt enim, & ſicca; pituita correſpondet aquæ, nam frigida eſt, & humida; ſanguis aeri, ſiquidem calidus eſt, & humidus, flaua bilis ignis rationem habet, nam calida eſt, & ſicca.* Sic Damaſcenus, qui tandem citato capiti finem imponens docet, animalium corpora non ſolùm ex quatuor humoribus conſtitui, verùm etiam in eoſdē humores diſſolui. *S. Damaſcenus.*

Illud poſtea ſecundo loco diligenter obſeruandum eſt, S. Damaſcenum in operibus ſuis totam Saluatoris naturam in duas duntaxat partes ſolitum fuiſſe perpetuò diſecare; in animam videlicet, & corpus, ſiue carnem, vt ille loquitur; his enim duobus nominibus quęcunq; humanæ Chriſti naturæ peculiaria, & naturalia erant, expreſſit; & meritò ſanè, cùm vel his duabus primarijs, ac nobilioribus partibus agnitis, cætera quæq; naturæ propria ſatis clarè intelligātur; quis enim adeò hæbes ingenij eſſe poteſt, qui, audito animæ rationalis vocabulo, non ſolùm rationalis ſpiritus ſubſtantiam ſta- *Qua ratione partiatur humanam Chriſti naturā S. Damaſcenus.*

tim

tim apprehendat; sed etiam tres animæ facultates, memoriam, dico, intellectum, & voluntatẽ: sicuti pariter nullus dari post, qui dum vocem hanc, *corpus*, auribus, ac mente percipit, protinus non nudam tantùm, ac simplicem carnis humanæ materiam, verùm etiam ossa, neruos, humores, aliaq; ad naturam attinentia eo exprimi vocabulo non capiat; immò, si non prorsus obuoluta tenebris cognitio est, fieri minimè potest, quin de corporis significatione cogitanti obuia non fiant ea omnia, quibus re ipsa corpus concrescere assueuit; maximè cum compositũ sine cõponentibus, & perfectũ sine perfectionibus intelligi nequeant; atqui humanum corpus constituitur nõ vna dũtaxat, sed multiformi substantia, neruis nimirum carne, humoribus, ac pluribus alijs huiuscemodi naturis incompletis, quibus tamquam ex partibus totum, & tamquam ex perfectionibus perfectum corpus hominis stabilitur. Sed, vt iusto lectoris desiderio satisfaciam, qui hanc Diui Damasceni loquendi consuetudinem proprijs eiusdem verbis expressam nosce, ac meditari cupit, adducam præclarum huius rei testimonium, ex quo clarè intelliget lector D. Damascenum duobus animæ, & corporis nominibus totius naturæ Christi partes tribuisse. Libro igitur tertio fidei orthodoxæ cap. 6. adhunc modum scribit. *Omni humanæ naturæ vnitam dicimus omnem diuinitatis substãtiam, in nullo enim eorum, quæ plantauit in nostra natura Deus, Verbum ab initio psalmas non defecit, sed assumpsit corpus, & animam rationalem, & intellectualem, & eorum idiomata; totum enim me totus assumpsit, & toti totus vnitus est, vt toti mihi salutem gratificet.* Sic Damasc., cuius verba ad rem præsentem stabiliendam adeò clara sunt, vt nulla alia,

D. Damascenus.

aut

aut oratio, aut confirmatio desiderari posse videatur, quandoquidem ex his apertissimè liquet, idem penitus esse iuxta D.Damasc. sententiam ista duo. Verbum diuinum totam humanam Christi naturam, & omnes, & singulas eiusdem Christi partes assumpsit. Ac Verbum Diuinum animam, & corpus sibi intrinsecè copulauit; quin immó, si verborum Damasceni seriem consideremus, primum illud, vti paulò obscurius, per hoc secundum, velut clarius, sumpsit ad explicandum; etenim vbi dixisset omni humanæ naturæ vnitam dicimus omnem diuinitatem, protinus idem clariori velut oratione explanans, subdidit, *assumpsit corpus, & animam rationalem*, nempè, vt palam esset omnibus duplicis huius allatæ propositionis eandem planè esse sententiam, eundemq; sensum. Neq; reticenda est illa eiusdem D.Damasceni auctoritas, quam sermone de natura composita cõtra Acephalos hæreticos consignauit, vbi, *ipsa*, inquit, *sempiterna Verbi Dei hypostasis commorata est in vtero Sanctæ, et semper Virginis, in eaq; sibi in vnitatem personæ assumpsit carnem animatam rationalem, cum qua vna hypostasis, ac persona esset, sicq; ex perfecta Deitate, & perfecta humanitate factus est vnus Christus, vnus filius Dei, & hominis, idem ipse Deus perfectus, & homo perfectus, totus Deus, & totus homo*; At cur perfectus Deus, & perfectus homo, nisi quia, vt ipse testatur, carnem animatam, hoc est perfectam, & omnibus suis numeris absolutum corpus, & animam viuentem, rationisq; participem Verbum sibi in vnitatem personæ assumpsit. Vide igitur quam merito de mente Damasceni pronunciauerimus, eum nomine corporis, aut quod idem est, nomine carnis, omnia ad naturã Xpi pertinentia intellexisse, qui eadem loquendi formula vtens

lib.

D. Damascenus li. 3. c. 3. lib. 3. orthodoxæ fidei c. 3. aduersus hæreticos Dioscorũ, Euthichem, & Seuerum, non alia phrasi, Diuinũ Verbum omnia sibi copulasse, quibus humana Christi natura cõstabat, esse exprimendum arbitratus est, quam ista. *Et quæ humana sunt Verbum sibi attribuit, peculiariaq; fecit. Nam ipsius sunt ea, quæ sanctæ ipsius carnis sunt, & tradit sua secundum alternæ tributionis modum, propter naturarum in se accessionem, ac immanentiam, & secundum hypostasim vnitionem.* Quo loci videre per se quilibet põt, sub vocabulo carnis, ea, quæ integram, & perfectam naturam humanam constituunt, non modò comprehendisse, verùm etiam vnicam causam huius assumptionis, & coniunctionis perfectæ naturæ cum Verbi persona non alteri rei assignare Damascenum, quam carni; nam ideò inquit perfectus homo Verbum est, quia ea, quæ sunt carnis, sibi peculiaria effecit. Verùm ne prolixiori sermone vtamur in re, meo sanè iudicio, longe verissima, peruoluat quęso lector semel, atq; iterum egregia eximij huius, ac nobilissimi patris volumina, & nullam aliam sine dubio totius naturæ Christi distinctionem offendet, cum de partibus, ac de rebus quoquo modo ad eam spectantibus sermonẽ instituit, siue Christus dominus vitalem spiritum inter mortales duceret, siue extincto iam corpore vitam cum morte commutasset.

Enimverò, quam dilucidè ex his, quæ lectorem præmonuimus, peruincatur, sanguini effuso vnitã fuisse per triduum Diuinitatem, volo, vt is ex alijs eiusdem D. Damasceni Verbis adducta loca confirmantibus intelligat, qui tertium librum orthodoxæ fidei adierit; in quo hæc habet. *Et quamquam mortuus est, vt homo, & sancta eius anima ab incontaminato separata corpore, non tamen diuinitas*

ab

ab vtroq; ſeparata remanſit, ab anima inquam, & corpore, & neq; ſic vna hypoſtaſis in duas diſeccata eſt hypoſtaſes, nam, & tunc corpus, & anima ſecundum idem à principio in Verbi hypoſtaſim habebant exiſtentia, & ipſis in morte ab inuicem ſeparatis vnumquodq; eorum manſit vnam Verbi habens hypoſtaſim, & paulò poſt. *Quare vna Verbi hypoſtaſis, & Verbi, & animæ, & corporis fuit hypoſtaſis, numquàm enim neq; anima, neq; corpus propriam habuere hypoſtaſim, præter eam, quæ Verbi eſt hypoſtaſis.* Sic Damaſcenus, quem niſi turpiter deſerere velimus, effuſo ſanguini copulatam fuiſſe Diuinitatem etiam inuiti concedamus, neceſſe eſt.

Quòd ſi, nec his contenti alia quæramus eiuſdem Damaſceni teſtimonia, duo inſuper adduci poſſunt firmamenta, quibus noſtra hæc munitur opinio; quorum primum ducitur ex ſermone aduerſus Acephalos, in quo explanans S. Damaſcenus, qua ratione Verbū carne indutum perfectus Deus, & perfectus homo dicendum ſit, ad hunc modum loquitur. *Totus Deus, & totus homo eſt naturis inter ſe vnitis inconfusè, inconuertibiliter, ac inſeparabiliter. Inconfusè quidem, quia quæcunque natura ſuã propriam differentiam retinet. Inconuertibiliter verò, quia quæcunq; natura inalterabilis permanſit, non conuerſa in alteram, neq; vna compoſita natura indè conflata, ſed duæ veræ ſunt, perpetuòq; manebunt naturæ. Inſeparabiliter deniq; quia hypoſtaticè ſibi inuicem ſunt vnitæ, vnam habentes hypoſtaſim.* Ne autē quis ex allato teſtimonio colligeret, D. Damaſcenum loqui de prima tantùm vnione, non autem de perpetua conſeruatione vnionis ab initio factæ, paucis interpoſitis addidit. *Naturæ itaq; ſecundum hypoſtaſim vnitæ ſunt, & in ſe viciſſim commeant.* Ergo ſi natura diuina, & humana inſeparabili vnionis hypoſtaticæ nodo inuicē

Sermone aduerſus Acephalos.

connexæ fuerunt, dubio procul inter eas per triduũ nulla cadere potuit separatio Deitatis, aliter aduersus Damascenum, non inseparabili, & æterno, sed potius separabili, & breuitemporis mora interituro nexu vtraq; natura inuicem copulata fuisset, siq; tandem vtraq; natura in se vicissim commeat, nullo modo fieri potuit, vt distractæ, atq; longius à se inuicem semotæ naturæ reperirentur id tridui temporis.

Secundum, quod totidem fermè verbis in eandem sententiam scriptum reliquit lib. 3. fidei orthodoxæ c. 3., est huiusmodi. *Et ideo ex duabus perfectis naturis, diuina, & humana dicimus vnionem factam esse*, moxq; explicans quo modo vnio hypostatica facta sit, sic loquitur, *secundum compositionem, idest secundum hypostasim inuertibiliter, inconfusè, inalteratè, indiuisè, & indistanter, & in duabus naturis perfectis habentibus vnam hypostasim, confitemur filium Dei incarnatum, eandem hypostasim dicentes Deitatis eius, & humanitatis, et duas naturas confitentes in ipso saluas, integrasq; manere post vnionem non seorsum, & particulatim ponentes vnamquamq; sed vnitas adinuicem in vna composita hypostasi.* Hactenus ex Damasceno, ex cuius auctoritate lucidissimè apparet, naturam semel in Verbi hypostasi vnitã, nũq; hypostatica vnione fuisse denudatã; quod veritati repugnaret, si per triduum situ, & loco distincta, ac separata fuisset Diuinitas à sanguine, qui, vt non semel vidimus, hypostaticæ vnionis non capax solùm, sed & particeps fuit. Fauet ad extremum idem Damascenus lib. 4. orthodoxæ fidei c. 12., dum tradit, sacrum crucis dominicę lignum latrię cultu esse iure meritissimo adorandum, ob corporis, & sanguinis Christi contactum, quibus, ni fuisset adiuncta diuinitas, haud sanè eorum contactu lignum

Lib. 3. orth. fidei. c. 3.

Lib. 4. fidei orth. c. 12.

gnum crucis tantæ ſanctitatis particeps fieri potuiſſet, vt ei latriæ honos deberetur, qui ſolius Deitatis peculiaris eſt. Verba Damaſceni de Cruce diſerentis ſic habent. *Hoc itaq; ingentis ſanè pretij lignum, ac venerandum, in quo Chriſtus ſe ipſum ſacrificij cauſa pro nobis obtulit, vt ex ſancti corporis, et sãguinis cõtactu ſanctificatũ optimo iure odorari debet.*

Sed videamus, quæ de hac vnione indiſſolubili cũ partibus naturæ Chriſti peracta more ſuo diſertè tractat Gregorius Nyſſenus orat. 1. de reſurrectione Chriſti citra medium. Vbi *altera*, inquit, *eſt, ad quam nunc oratio ſpectat, quum Deus totum hominem per ſui infuſionem, et contemperationem in diuinam naturam transformaſſet in tẽpore, quo paſſio adminiſtrata eſt, ab altera parte, id quod ſemel immixtum, & contemperatum erat, non ſeparauit (nã dona Dei eiuſmodi ſunt, vt eorum illum pœnitere non poſsit) ſed animam quidem Deitas ſua ſpontè diſiunxit, ſe autem in vtriſq; manere oſtendit.* Et mox, *quoniam igitur duplex quidem temperamentum humanum, ſimplex verò, & vniformis natura diuinitatis eſt, quo tempore à corpore anima diſiungebatur, non vna cum eo, quod compoſitum erat, diducebatur id, quod eſt expers diuiſionis, ſed contrarium fiebat, vnitate enim diuinæ naturæ, quæ in vtriſq; erat ex æquo, rurſus ea, quæ deducta inter ſe fuerant coaluerunt;* atqui diductum in paſſione, atq; in reſurrectione ſimul coalitum Chriſti ſanguinem fuiſſe, fidei noſtræ dogma eſt certiſſimum, quandoquidem corporis vocabulo totã humanæ naturæ ſubſtantiam à Gregorio Nyſſeno vſurpatã fuiſſe explicãt ea huius teſtimonij verba, *Deus totum hominẽ per ſui infuſionẽ in diuinã naturam transformauit.* Immò, cũ Diuinitas ab eis rebus nõ recedat, quibus ſe ſemel comitẽ, ac ſociã dedit, opus erat ſanguini per triduũ effuſo adiunctam fuiſſe diuinitatem,

Gregorius Nyſſenus.

quippe quæ eum nec dum effusum ad diuinam Verbi hypostasim euexerat.

Præterea nostram hanc, immò D. Damasceni, & Nyssæni sententiam maximè ornant, atq; illustrant alia summorum Pontificum, ac S. Matris Ecclesiæ testimonia, q̃ hac de re in suis operibus prodiderunt. Etenim S. Leo ser. 9. de natiuitate, cuius initium est, *excedit quidem dilectissimi*, docet non solùm in ipso Christi nascentis exordio, verùm etiam extremo mortis, & resurrectionis tempore indissolubilem, ac nullis vnquàm rei creatæ iniurijs dissoluendam semper remansisse hypostaticam vnionẽ cũ tota, ac eadem perfecta Saluatoris nostri natura, dũ inquit. *Illum partum salutiferæ Virginis adora, & indissolubilem illam copulam Verbi, ac carnis non minus suscepimus in præsepio iacentem, quam in resurrectione paternæ altitudinis consedentem*, & ser. 8. paulò post principium idem argumentũ pertractans. *Vnde*, inquit, *vtriq; naturæ in suis proprietatibus permanenti, tanta est vnitatis facta communio, vt quidquid ibi est Dei, non sit ab humanitate disiunctũ, quidquid autem est hominis non sit à diuinitate diuisum*; sed nemo nescit sanguinem hominis proprium esse; nullo igitur vnquam tempore sanguis Christi esse potuit à Deitate diuisus, neq; per triduum separationi obnoxius.

D. Leo ser. 9. de nat.

Ser. 8.

Clemens VI. Adest postremo huic opinioni Clemens VI., qui de sanguinis Christi effusione loquens, sanguinem Deitati vnitum fuisse scribit hisce verbis in extrauaganti Vnigenitus, de pœnitentijs, & remissionibus. *In ara Crucis innocens immolatus non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter vnionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis sufficiebat, sed velut quoddã profluuiũ noscitur effudisse.* Si ergo sanguinis Christi gutta vi, ac dignitate coniuncta

sibi

ſibi in vnitatem ſuppoſiti perſonæ Verbi fuit condignũ, ac ſufficiens pretium humanæ redemptionis; quanto magis tota effuſi ſanguinis copia, ob eam, quam cum Verbo communionem habebat, huic muneri cumulatiſsimè ſatisfacere poterat.

CAP. VI.

Eadem aſſertio varijs rationibus explicatur.

QVod hactenus argumentati ſumus non obſcuris Sanctorũ Patrum auctoritatibus, id ipſum probabilibus etiam, ac certis propemodũ rationib⁹ probari poteſt; quarum primam ex ijs ipſis fundamẽtis elicio, quibus Franciſcus Mayro oppoſitæ ſententiæ defenſor nitebatur. Nam ſi, ideò effuſus ſanguis Chriſti per triduum vnione hypoſtatica caruit, quia de eo in terram deuoluto idiomatum nulla communicatio fuit, ſtatim ex aduerſo conſequitur, poſſe ibi idiomatum communicationem vſurpari, vbi diuinitatis nexus immobilis perſtitit; & nihilominus idiomata nec dum effuſi sãguinis, cui maximè adiuncta ſemper fuerat diuinitas, numquã Dei filio potuerunt attribui, non enim à Theologis hæ propoſitiones conceduntur, Deus eſt in venis, & arterijs diffuſus, Deus in venis diſcurrit, aut Deus eſt calidus, & humidus, ſeu incaleſcit, & feruet, quamuis in more poſitum ſit omnibus Theologis, eas propoſitiones de ſanguine in venis diffuſo vſurpare; meritò enim in venis diffuſum eſſe ſanguinem, diſcurre, ac labi, calore, & humiditate præditum eſſe, incaleſcere, ac feruere cõmuni voce dicimus; ergo inanis, & nulla eſt ad perſuadẽdũ ſanguinem Chriſti nullo modo per triduum diuinitatis fuiſſe participem ea argumentatio, quæ Franciſcum Mayronem in oppoſitam *Primarium.*

Secunda ratio.

sitam sententiam adduxit. Prætereà cum effusus sanguis à seipso, antequam effunderetur, non esset absimilis aliquo essentiali discrimine, (nam æquè integram, & incorruptam post effusionem, ac ante, sanguis naturam suam obtinuit; siquidem peculiari superni numinis prouidentia non dedit Deus Sanctum suum videre corruptionem) vtiq; igitur eo spoliari effusus sanguis nō potuit, sine magno sanguinis Christi discrimine, quod prorsus inconueniens videtur. Deindè si propius non adfuisset Diuinitas sparso Saluatoris sanguini, naturali necessitate ad hoc opus impellente, noua hypostasis genita foret, atq; aliam, eamq; diuersam à Verbi hypostasi sanguis Christi sortitus fuisset hypostasim, reclamante Damasceno libro 3. fidei orthodoxæ c. 27. propè finē. Amplius, cū nihil temerè de diuinis humanæ Christi naturæ mysterijs fas sit opinari, quidquid á nobis per indaginem de illis disceptatur, id firmari posse debet, vel sacræ scripturæ testimonio, vel Sanctorum Patrum auctoritate, vel tandē certa theologorum ratione; quod tamen illi obseruare non possunt, qui nobiscum decertant; cum neq; ab effuso sanguine diuisam fuisse Diuinitatem spiritus sanctus in scripturis nos moneat, neq; Sanctorum Patrum sententiæ persuadeant, neq; probabilis peruincat theologica ratio, quemadmodum diuina veteris, & noui testamēti iura, & immensa patrum volumina consulenti palam erit.

Tertia ratio.

Difficultas

Quòd si fortassis alij asserant vnionis hypostaticæ dissolutionem vel ex eo maximè probari, quòd sanguis Christi non assumptus, sed coassumptus tantùm fuit á persona Verbi, quòdq; nulla fuit pars corporis Christi; iam satis, superq; futiles, ac commentitias esse

Solutio.

huius-

huiuſmodi rationes non vno in loco docuimus, atq; refellimus apertis rationum ponderibus; ergo contrariæ opinionis aſſertoribus iſtud ſolum ſupereſſe refugium poteſt, vt dicant, ſanguinem fuiſſe obiectum diſſolutioni hypoſtaticæ vnionis ex vi nudi, ac ſimplicis fluxus, quo è venis ſemotus ſanguis terram irrigauit. At quis vnquã prudens id verum eſſe ſuſpicabitur? Scilicet valuit ſolus e corpore Saluatoris effluxus ſanguinis arctiſſimum diuinæ vnionis nexum diſrumpere? qui nulla ratione ex mutuo ſanguinis,& corporis amplexu pendet; nõ enim rei ſpiritualis ortus,& occaſus ex diſſolutione corporea proficiſcitur. Poſtea omnibus, ac Mayroni etiã ipſi certum eſt; à Verbo diuino aſſumptum fuiſſe in hypoſtaſim ſanguinem Chriſti; at quæ ſemel in diuinam hypoſtaſim conuenerunt, nullum vnionis hypoſtaticæ capere poſsũt interitum, niſi certa fidei noſtræ dogmata, aut certa experimenta ſuſtinendum eſſe contrarium doceant; atqui totum ſanguinem Chriſti in triduo fuiſſe derelictum nec fides iubet, nec experimenta teſtantur. Quid, ſi temeritatis crimine non vacant creati artifices, cum opus illud demoliũtur, quod breuiſſimo poſtmodum temporis interuallo ab ijsdem eſt excitandum, prudens quiſpiam ſuſpicabitur diuinum illud numen præſtantiſsimæ mentis, quod ſumma prouidentia cuncta regit, ac moderatur, relaxaſſe vinculum vnionis hypoſtaticæ, quo rurſus poſt triduum perſona Verbi, & ſanguis Chriſti inuicem erant conſtringenda in æternam conſociacionem? Immò, ſi, quemadmodum cum S. Thoma 3. ſent. d. 2. communiter iactant Theologi, ijs in rebus, quæ ad perfectã Chriſti naturam ordinem habebant, quæq; rurſus erant reaſſumẽdæ à Verbo, vnionis hypoſtaticæ nexus integer

Quarta ratio.

Quinta ratio.

con-

conseruabatur, fieri minime potuit, vt Diuinitatis vinculum relaxaretur à sanguine, qui postmodũ amissam Verbi vnionem erat habiturus. Sed audiamus S. Thom. ar. 1. q. 2. hisce verbis loquentem. *Ad tertium dicendum, quod in omnibus partibus, quæ sunt de veritate humanæ naturæ ẽt separatis manet ordo ad totam naturam, & ideo remanet in eis assumptibilitas, & per consequens vnio*; at sanguinem Saluatoris nullam non fuisse humanæ naturæ partem, multiformi ratione, vbi de his egimus, fusè demonstratum est. Ad hæc, quæ Assertor in membris suis patienter perferre voluit, eius duntaxat generis fuerunt & Deo honori, nobisq; vtilitati, ac emolumento esse posset; at plus in ipsa vnionis dissolutione nobis detrimenti fuisset, quam emolumenti in sanguine, qui Deitatis separationem patiebatur. Neq; illud est in præteritis relinquendum, acerbam mortem Vindicis nostri, præpotenti Deo acceptam, ac gratam fuisse; quemadmodum cælestes spiritus pronunciauerunt, dignum nempe habitum fuisse Saluatorem, qui honore, ac natura diuinitatis cumularetur. Sic enim legimus Apocalypsis 5. *Et vidi, & audiui vocem Angelorum dicẽtium voce magna. Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem*; quibus persimilia sunt, quæ multo tẽpore ante Ioannis visionem prophetico spiritu prædixerat Isaias c. 53., dum de eodem interitu Saluatoris loquens, Christo pollicetur longæuum posteritatis semen, infinitasq; terrenæ potestatis opes, haud dubiè diuinitatis honorem, & diuinum imperium in omnem creaturam, eorũ nomine, intelligens. *Si posuerit*, inquit, *pro peccato animam suam, videbit semen longæuum, & voluntas domini in manu eius dirigetur.*

S. Thom.

Sexta ratio.

Septima ratio.

Apocal. 5.

Isa. c. 53.

getur. Pro eo, quod laborauit anima eius videbit, et ſaturabitur: in ſcientia ſua iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruus meus multos, & iniquitates ipſe portabit. Ideo diſpertiam ei plurimos, & fortium diuidet ſpolia; pro eo, quod tradidit in mortem animã ſuã; at quam quæſo ſanguis Chriſti diuinitatem adeptus foret, ſi paternis præceptis Mediator obtemperans, ac mortem luens tetertimam, qua iam tum præcellebat diuinitate in ſanguine ſpoliatus eſſet; quid præterea virtutis, quid ſapientiæ, quid fortitudinis, quid tandem honoris, gloriæ, & benedictionis in mortis ſuæ præmium aſſecutus fuiſſet Aſſertor, ſi Diuinitatis omnium bonorum originis ob illatam, ac forti etiam animo perpeſſam morté, iacturam feciſſet in effuſo ſanguine?

Adijci etiam poteſt id, quod theologiæ parens Angelicus Doctor ſubtiliter excogitauit 3. p. q. 50. art. 2. ad perſuadendum in triduo vnionem Deitatis cum corpore Chriſti inuiolatam permanſiſſe; adſcribi enim hoc loco poteſt, ad rem noſtram comprobandam, cum efficaciſſimum ſit vnionis hypoſtaticæ, quæ in ſanguine Saluatoris conſeruata eſt, argumentum. Vnio Diuinitatis, quam ab initio mortalitatis aſſumptæ ſanguis Chriſti obtinuit, quoddam fuit diuinæ bonitatis, & munificentiæ donum, quod abrogari à Deo non ſolet, citrà apertã mortiferæ culpę labem, quandoquidem *ſine pœnitentia*, vt Apoſtolus inquit ad Romanos 11., *ſunt dona, & vocatio Dei*; at Chriſtus dominus nullo potuit vnquam non modo lethali; ſed nec leuiſſimo peccato coinquinari. Eodẽ ſpectat hæc argumentatio; vnionis hypoſtaticæ gratia non ſolùm excellentior gratia adoptionis fuit, verúm ét (ſpectata vtriuſq. natura) magis firma, magisq. ſtabilis; etenim iſta in vnione quadam affectuali tantùm, vt

S. Thom.

Octaua ratio.

Ad Ro. 11.

Nona ratio.

loquitur S. Thomas, illa autem in personali vnione, & intrinseca cum Verbo diuino consociatione consistit; at qui gratia adoptionis semel impetrata, neq. tollitur, neq. reuocatur, si lethalia crimina procul absint, quibus Asser tor noster numquam esse potuit obnoxius. Ad extremũ, pro huius capitis clausula, nullam in sanguine vnionis hypostaticę iacturam dari potuisse opinor, quòd iam opus istud peragi nequiuit sine mutatione; at mutatio in Deum non cadit, *ego* enim *sum Dominus, & non mutuor* Malachiæ 3. *Non est Deus, quasi homo, vt mentiatur, neq. vt filius hominis, vt mutetur* Numerorum 23., *Apud quẽ non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio,* Iacobi 2., *Qui solus habet immortalitatem,* ideſt omnimodam immutabilitatem, vt exponit S. Augustinus; ergo in sanguinẽ permutatio ista cadat necesse est; & tamen nihil substantialis permutationis passus est sanguis Christi in triduo, vti iam explicauimus.

Vltima ratio.

Immutabilis Deus.

Neq; est cur dicant aduersarij, hypostaticam sanguinis vnionem donum Dei immutabile permansisse, vt erat sanguis in venis Christi conquiescens, non verò, vt fuit à corpore Saluatoris segregatus; cum sit ista respondendi ratio inutilis, & inepta, quippe quæ ad sui defensionem sumit illud, quod in controuersia positum est.

DISPVTATIO TERTIA.

De communicatione idiomatum.

CAP. Vnicum.

De natura, & radice communicationis idiomatum.

VErúm iam tempus est, vt ad eius firmamenti contemplationem reuertamur, quod præcipuum fuit oppo-

öppoſitæ opinionis præſidium, quodq; Franciſcũ Mayronem captioſa, & apparenti quadam probabilitate illectum reipſa decepit. Fundamentum Mayronis erat; ſanguinem Chriſti per triduum cum Diuinitate nullam obtinuiſſe conſociationẽ; propterea quòd effuſi ſanguinis Chriſti idiomata attribuere Deo fas non fuit; non enim id tridui temporis meritò aſſerere quis potuit, Deum eſſe ſuper terram diffuſum, aut è Cruce pependiſſe, quãuis iure optimo dicamus, ſanguinem Chriſti ſuper terrã ſparſum eſſe, ac cruci dominicæ toto tridui ſpatio adhęſiſſe, quod tamen de Deo affirmandum eſſet, ſi inter diuinam perſonam Verbi, & ſanguinem Saluatoris interceſſiſſet vnio ſubſtantialis, quæ & radix eſt communicationis idiomatum, & virtute cuius pleraq; fidei catholicæ dogmata veritatem ſuam habent, cuiuſmodi ea ſunt, *Deus ſurrexit à mortuis*, *Deus deſcendit ad inferos*, & alia huius generis fidei noſtræ decreta. Porrò hæc Mayronis ratio tuta adeò, ac certa ſemper viſa eſt Cardinali S. Petri ad Vincula, vt ad illius corroborationem conetur oſtendere, non aliam opinionem veritati congruentem poſſe defendi, ſecus enim fieret inquit ex oppoſita ſententia, vt Apoſtolicum totius catholicæ religionis ſymbolum mã cum eſſet, ac certis quibuſdam fidei articulis minime, vt opus eſt, diſtinctum; nam ſicut de filio Dei certa quædã in varijs ſymboli articulis diſtincta dogmata dicuntur ratione vnionis hypoſtaticę, qua corpus, & anima Chriſti in triduo excellebant, ita ſimiliter ęquum eſt, vt ratione eiuſdem hypoſtaticæ vnionis, quæ cum ſanguine effuſo remanſit, aliqua alia dogmata in aliorum articulorum claſſem referãtur, quæ de Deo affirmari poſſint ratione effuſi cruoris, vtroq; ſiquidem in caſu eadem planè ratio

est; ergo alterum ex his duobus cogimur opinari, aut in Apostolorum symbolo aliqua fidei catholicæ dogmata desiderari, quę adhuc non fuerint satis pro dignitate explicata, aut certè nullam fuisse inter Verbum, & sanguinẽ effusum vnionem; at primum illud asserere impium est, ergo secundum duntaxat verum erit.

Definitio communicationis idiomatũ.

In claram huiusce rei cognitionem scire conuenit, cõmunicationem idiomatum esse prędicationem, qua non modò natura diuina, & humana in concreto, vt aiunt sũpta, sed etiam earundem naturarum idiomata, seu nomina, & prędicata de eadem persona Christi dicuntur. Verùm, quò breuis ista communicationis idiomatum descriptio plana, & ab omni erroris periculo libera sit, ea p partes explicanda erit diligenter. Vt ergo à primis particulis exordiar, communicationem idiomatum dixi esse prędicationem, vt omnibus planum fiat, totam communicationis idiomatum naturam, & vim sitam esse in enũciatione, ac prędicatione; ex quo redarguitur temeraria, ac effrenata hęreticorum nostri temporis licentia, qua docent communicationem idiomatum nequaquàm consistere in enunciatione, qua de humana Christi natura id, quod Dei proprium est, & vice versa, prædicamus, sed potius in vera diuinorum attributorum communicatione humanæ Saluatoris nostri naturę facta, virtute cuius natura Christi vere propriè, ac formaliter omnipotens, omnisciens, & pręsens rebus omnibus redditur; sic enim delirant Vbiquitarij, quorum princeps Lutherus fuisse videtur, quem secuti sunt Brentius, & Szenitius, ambo exitialis humani generis lues, quos omnes egregiè Rupertus Bellarminus, Iacobus de Valentia, Sanderus, & alij plures profligarunt. Dixi secundo loco, *qua verè & propriè*,

Error Lutheri.

priè natura humana, & diuina prædicantur, ad refellendos alios priſcæ ætatis hæreticos, Manichæum, Photinum, Neſtorium, & alios huius farinę nefarios homines, quorum nonnulli hanc communicationis idiomatum prædicationem improprie, & per ſimilitudinem tantùm concedebant, arbitrantes nulla ratione in rigore locutionis veras fuiſſe eas propoſitiones, quibus humana de Deo aſſerimus, puta cum Deum eſſe mortuum, eſſe natum verè, ac proprie dicimus; (phantaſticè enim duntaxat Dei filium in terris eſſe verſatum, ac in humana natura conſpectum eſſe volebant, vt mentiebatur Manichæus, & Cerdon.) Alij verò non propriè, ſed per excellentiam veras eſſe eas propoſitiones arbitrabantur, itaut in hac propoſitione communicationis idiomatum, *Deus eſt homo*, vocabulum Deus non ſignificaret veram Trinitatis perſonam, ſed ſolummodo creatam, quæ ratione excellentis gratiæ, ac ſupernaturalium donorũ inſtar Dei eſſet, quemadmodum volebat Photinus. Vel tandem ex his redarguitur Neſtorius, cuius hæreſis fuit, non eſſe veras eas propoſitiones, quaſi vere Deo communicata eſſet natura humana, ſed ſolùm quia humanitati copulabatur Deus per modum habitantis in Chriſto. Dixi tertio loco, *diuina, et humana natura in concreto ſumpta*, vt monerem, falſas eſſe eas propoſitiones formatas in abſtracto, quibus natura diuina, & humana in abſtracto ſumpta, ac naturarũ prædicata de Xpi perſona proferuntur, non .n. verè, ac ꝓpriè dixeris, Deitas eſt humanitas, vel mortalitas immortalitas eſt, ſicuti ex aduerſo cõmuni aſſenſu probãtur hæ propoſitiones prolatę in cõcreto, puta Deus eſt homo, Chriſtus eſt mortalis, & rurſus Chriſtus eſt immortalis; cuius doctrinæ rationem colligere mihi poſſe videor ex Angelico

Do-

Cur inter abstracta non detur communicatio idiomatum.

Doctore 3.p.q.16.ar.5. corpore, quia nimirũ quidquid de Deo affirmatur, debet idem esse cum Deo, secus propositio falsitate scateret; hinc igitur, quia abstracta humanæ naturæ prædicata nec significant, nec ordinem habent ad id, in quo humana natura, & diuina idem sunt, nempe nullum ordinem habent ad Verbi hypostasim, secus verò concreta, propterea de concretis, non verò de abstractis veritas communicationis idiomatũ saluatur.

Secunda ratio.

Sed aliud accipe documentum, asserui nullam dari inter abstracta naturarum attributa idiomatum communicationem, quòd in hisce loquendi formulis turpissimus Eutychetis error lateat. Nam cum veritas huius propositionis, *diuinitas est humanitas*, haud consistere possit, ni humana, & diuina natura inter se planè idem sint, si hęc cõmunicationis idiomatum formula concederetur, protinus sequeretur naturarum confusio in Saluatore, vti blasphemus Eutyches asserebat. Cum igitur in incarnationis mysterio natura humana, & diuina nullam passa sit confusionem, quis non prospicit nullam dari posse prędicationem inter abstractas naturas, eo quòd prędicatio in abstractis nominibus veritatẽ habere nullo modo possit. Dixi, *verum etiam nomina, & attributa naturarum*, quoniam hæc prædicatio idiomatum non modò in ipsas naturas in concreto acceptas, vt puta, cum Deum esse hominem dicimus, sed etiam in attributa vtriusq; naturæ propria cadit, virtute cuius, Christum esse mortuum, & sepultum, mortalem, & immortalem, omnipotentem, & immensum dicimus. Dixi ad extremum, de eadem Christi persona, quia cum ea sit verus Deus, & verus homo; propterea de Deo, & de homine eodem vtriusq; naturæ attributa dicuntur.

Sed

Sed quęnam vera eſt, & ſola radix communicationis idiomatum? Ea nimirum, quam D. Damaſcenus, & Angelicus Doctor expreſſerunt. Ille enim libro tertio fidei orthodoxę cap. 4. in fine ita ſcribit. *Et iſte modus eſt alternationis, alternatæq; attributionis vtriuſq; naturæ, alterutri propria viciſſim reddentes, propter hypoſtaſeos identitatem, & ipſarum inuiam immanentiam, ac in ſeſſionem. Secundum hoc poſſumus dicere de Chriſto, hic Deus noſter in terra viſus eſt, et cũ hominibus cõuerſatus eſt, & homo iſte increatus eſt, impaſſibilis, & incircumſcriptus.* Sic ille. Doctor verò Angelicus 3. p. q. 16. ar. 4. corpore, *& huius ratio eſt*, inquit loquẽs de communicatione, *quia cum ſit eadem hypoſtaſis vtriuſq; naturæ, eadem hypoſtaſis diuinæ, & humanæ naturæ; & ideo de homine poſſunt dici ea, quæ ſunt diuinæ naturæ, tamquam de hypoſtaſi diuinæ naturæ, & de Deo poſſunt dici ea, quæ ſunt humanæ naturæ, tamquàm de hypoſtaſi humanæ naturæ.* Ex quibus clarè liquet, ſolidam communicationis idiomatum rationem eſſe; quòd nõ minus natura diuina, & humana, quam attributa vtriuſq; naturæ ſimul ſunt, ac in eadem planè indiſtincta Verbi perſona reperiuntur; non ita tñ, quaſi vna natura ſit de ratione, aut eſſentia alterius, neq; quaſi altera alteri adhæreat ad modum accidentis, ſed potius ob ſolam hypoſtaticam vnionem, qua vtraq; natura, & vtriuſq; naturæ attributa in eadẽ Verbi hypoſtaſi, & perſona intrinſecè nodo ſubſtantiali inuicem vniũtur; ex hac enim proficiſcitur vera origo communicationis idiomatum; & iure quidem, etenim cũ in hiſce terrenis rebus vnaquæq; res de eodem ſuppoſito, ſeu perſona dicatur, in qua ea natura verè exiſtit; hac enim ratione, ſi, exempli loco, duas in Hectore qualitates eſſe admittamus, iure merito dici poterit Hector albus eſt, & Hector cali-

Radix communicationis idiomatum.

D. Damaſc. lib. 3.

S. Thomas 3. p.

Similitudo, ac paritas quadam communicationis idiomatum ex humanis rebus.

calidus est, seu Hector est hoc album, & Hector est hoc calidum; sic in Incarnationis mysterio de eadem Christi persona, & diuinam naturam, & vtriusq; naturæ attributa licebit affirmare, cum in eadem Verbi persona eædē naturæ vero, ac substantiali nodo inuicem connectātur. Et licet non nihil discriminis in allato exemplo deprehē di facilè possit, eo quòd prædicatio, vt aiunt, sit denominatiua, cum Hectorem album, vel calidum nominamus; hæc autem Deus est homo, sit substantialis, & propria; istud tamen fidem prędicationi idiomatum abrogare nō debet, quoniā peculiarissimum istud est in augustissimo Incarnati Verbi mysterio Sacramentum, vt nō accidentales, sed substantiales naturæ mutuo copulatę reperiantur. Ilud etiam communicationis idiomatam rationem corroborat, quod est tritum apud philosophos decretū, nempe, *quæ conueniunt vni tertio conueniunt inter se*; atqui natura diuina, & humana eidem omnino Verbi personæ conueniunt, atq; in eadem colligantur; ergo pariter poterunt inter se conuenire, ac de se ipsis dici, ac de eadem Christi persona affirmari.

Mayronis ratio refellitur.

Hinc, eius argumenti, quo Franciscus Mayro se tuebatur, nerui incidi possunt; fateri enim sine hęsitatione quilibet potest, re ipsa, Deum dici posse, esse effusum, iacuisse in terris per triduum, & alia huiusmodi, si sano, ac catholico sensu hę propositiones intelligantur, ex eo videlicet, quòd sanguini, qui effusus erat, Diuinitas copulabatur; nam vbi hęc indissolubilis copula reperitur, ibi sine aliqua fidei nostrę iniuria idiomatum communicatio concedi potest, quippe quę soli hypostaticę vnioni innititur, id quod diuino spiritu afflatus psaltes prænotauit psalmo 21., cum de Christi cruciatibus, ac effusione

Dauid Ps. 21.

san-

ſanguinis haud dubiè loquens, Chriſtum fuiſſe effuſum teſtatur dicens, *ſicut aqua effuſus ſum, & diſperſa ſunt omnia oſſa mea*, hæc enim pſalmographi verba propriè, non autem metaphoricè accipienda eſſe docet S. Auguſt., dū ad litteram ea diui vatis verba explicat de Chriſto dicēs. *Sicut aqua effuſus ſum, vbi lapſi ſunt perſecutores mei, & timore diſperſa ſunt à me firmamenta corporis, hoc eſt, Eccleſiæ diſcipuli mei.* Vbi clarè vides lector, primam verſiculi partē in litterali, poſtremam verò myſtico in ſenſu accepiſſe Auguſtinum, quod non eſt inſolens apud ſacras litteras, in quibus eiuſdem verſiculi partes varios ſæpè ſenſus obtinent, ſic inſtruente ſancto ſpiritu, iuxta illud, *comederūt Iacob, & locum eius deſſolauerunt;* cuius teſtimonij extremę voces, propriè, primæ verò metaphoricè tantùm intelligi debent, vti docte etiā Dominicus de Dominicis adnotauit. Immò non eæ duntaxat propoſitiones, & locutiones proferri, ac concedi poſſunt, verùm etiam aliæ plures, velut ſunt huiuſmodi, Deus in triduo fuit in Cruce, Deus per triduum fuit ſuper terram, ſi nudam rei veritatem meditemur, quamuis fortaſſe in modo loquendi non ita facilè vſurpandæ videantur.

S. Auguſt. interpretatio approbanda.

Quòd ſi dicas, fore hinc, vt de eodem Chriſto, & Verbo incarnato contraria prædicata conſequantur, nempe Saluatorem noſtrum ſimul, & ſemel ſepultum eſſe, & non eſſe ſepultū, fuiſſe in Cruce ſimul & in terrę viſceribus; ea mihi obijcis, quæ, & tu pariter, velis, nolis, cogeris affirmare. Etenim ſicut de eodē Chriſto fidei catholicæ principia contraria prædicata admittūt, cuiuſmodi ſunt, iſta. Hic homo (nempe Chriſtus) creatus eſt, & increatus, mortalis, & immortalis, æternus, & temporalis; creatus videlicet, mortalis, & temporalis, ratione naturæ huma-

næ; increatus verò immortalis, ac semper cum æterno patre glorioſus, ratione naturæ diuinæ; ita deſcendiſſe ad inferos, & non deſcendiſſe, humi demandatum, in terra ſparſum, ſepultum, & nō ſepultum, tutò licebit affirmare, ſi, vt fidelem quemq; decet, ad inferna loca properaſſe Chriſtum, ratione animæ, non properaſſe, ratione corporis, nō ſepultum eſſe, ratione ſanguinis in terræ ſuperficie, ac in cruce remanentis, pronunciauerit; quandoquidem nulla in his propoſitionibus contradictio inuoluitur, cū eæ ratione diuerſorum ſuam veritatem ſortiātur, ad cōtradictionis autem rationem pertinet, vt de eadem re ſub eadem ratione accepta idem plané negetur, & aſſeratur, quod non accidit in præſens, vt alias fuſius declaraui.

Cardinalis S. Pet ad Vin. ratio confutatur

Quod aūt addit Cardinalis S. Pet. ad vincula friuolū eſt, cum ſufficiens, & ſatis opportuna mentio facta ſit effuſionis ſanguineæ, & reliquorum, quæ Deo ratione ſanguinis Chriſti adſcribi poſſunt, ab Apoſtolis in eo articulo, quo Chriſtum Dominum Cruci ſuffixum eſſe tradiderunt, quandoquidem in Saluatoris crucifixione, quæ ferreis clauis peracta eſt, ſine dubio effuſio ſanguinis, & cætera, quæ eam fuerunt ſubſecuta, continentur. Inanis præterea eſt ea argumentatio, ex ea quippe cōficeretur, vt infinita propemodum ſymboli dogmata conſtituenda eſſent, ſi quælibet propoſitio, quæ ex communicatione idiomatum meritò colligitur, in totidem catholici ſymboli articulos eſſet diſecanda. Quare vti nō omnes propoſitiones, quæ ex communicatione idiomatum haberi poterant, ſed inſigniores, & principaliores tātùm, in quibus aliæ plurimæ inuoluebantur, in numerum articulorum ſymboli retulerunt Apoſtoli, ſic ratio idiomatum non eſt adeò ad viuū reſecanda, vt quis ſymbolo

addere

addere audeat aliquid, quod à primis illis catholicæ fidei præceptoribus expreſſum non ſit. Monuerim tñ, quaſdã propoſitiones reperiri, quæ etſi in rigore veritatis approbãdæ ſint, non tñ in prædicatione vſurpari debent, quemadmodum prudenti conſilio tradunt Patres; ne aut in crebra earum vſurpatione hęreticis aſſentiri videamur, aut certè, ne vile quidpiam, & diuina maieſtate indignum ex illis conſequatur, vti olim obſeruatum eſt à Sanctis Patribus, qui ab hac propoſitione abſolutè proferenda, *Chriſtus eſt creatura*, cauebant, quamuis re ipſa veriſſima foret, iuxta certam communicationis idiomatum rationem; nam ex quo agitari cæpit Eccleſia Lynfato Arianorum furore docentium, ſalutis noſtræ Vindicem non ſolùm ratione humanæ naturæ, verùm etiam ratione diuinæ perſonæ eſſe Aeterno Patre inferiorem, ac creaturã; propterea, ne ex verbis inordinatè prolatis hæreſis incurreretur, vt D. Hieronymus inquit, ſolerti induſtria factũ fuit, vt ab hac propoſitione, *Chriſtus eſt creatura*, abſtineret catholici omnes, ne hinc Ariana impietas quoquo modo propagaretur. Eadem ratione, etſi Deus Opt. Max. ita ſit intimè pręſens rebus omnibus per eſſentiam, pręſentiam, & potentiam, vti fert commune axioma theologorum, vt meritò aſſerere poſſimus, Deum omnia quæq; penetrare, atq; replere omnia; eum tamen in ſordibus, & in humana fæce reperiri, cauemus aſſerere, cum religioſę, ac pię mentes, hoc, veluti minus dignum eſſe tanto deitatis ſplendore, iudicent. His, ſimilitudine quadã, hę propoſitiones addi poſſunt, quas de Deo formamus ratione ſanguinis, cui Deitas in triduo erat intimè copulata; nam licet in illis nullus erroris metus reperiatur; attamen quia nõ bene ſonare videntur, ſatius eſt ab huiuſmodi propo-

Vile documentum.

D. Hieron. ſententia obſeruanda.

sitionibus abstinere, cum in stricta proprietate sermonis omnes illę propositiones, quibus aliquid effusum, sparsum, aut his similia dicimus, non personæ, sed corporum liquidorum sint peculiares.

Secunda ratio aduersariorum opinionem confutandi.

Illud quoq; secundo loco posset responderi. Quamuis effuso sanguini esset adiuncta diuinitas, Deus tamen nequaquam effusus dici potuit, propterea quòd Deus perfectam, atq; omnibus numeris absolutam personā significat, effusio autem sanguinis partis est attributum, quod de toto suppositō, aut perfecta persona minimè dici pōt, nam, sicut ex regulis dialecticæ constat, pars de toto non potest affirmari in recto, sed in obliquo duntaxat, vt aiūt, non enim homo, anima, aut corpus, aut brachium dici potest, sed iure dixeris hominem habere animā, corpus, & brachium; ita pariter in isto Incarnationis mysterio, etsi Deus humana natura indutus intrinseco vnionis hypostaticæ nodo sibi peculiaria, ac propria effecerit totius humanę naturę membra, & quidquid humanæ naturæ vocabulo adnotatur, de Deo tamen haud iurè dixeris, Deus est anima, aut corpus, aut sanguis, ob tactam rationem ex regulis dialecticorum deductam; ea nimirum ratione, quòd de persona Verbi pars solitariè sumpta dici propriè non potest; ex quo etiam vlterius efficitur, vt ea attributa, quæ parti, sine vllo ordine ad totum, cōueniūt, de eadem Verbi persona iure dici non possint; sic, quia anima Christi viuificatrix forma corporis est, vt anima in sua ratione formali pars est totum non includens, propterea Verbo Diuino vitalis ista viuificādi operatio haud accenseri potest, non enim pronunciare fas est. Diuinum Verbum corpus Christi formaliter perfecit, sicuti pariter incongruens est hęc ratio dicendi, Verbum diuinum est

anima,

anima, cuius effectus est, corpori vitales operationes impertiri.

Quare generatim colligendum est, si huic secundo respondendi modo adhærere quis velit, communicationē idiomatum in ijs duntaxat rebus, atq; attributis esse cōstituendam, quæ dum in prædicationem cadunt, verè, ac propriè, de Deo, vel de homine tantùm ritè affirmari possunt, tota siquidem communicationis idiomatum ratio sita est, vt ea, quæ sunt hominis de Deo, & rursus, quæ sunt Dei de homine pronunciare possimus; atqui siue Deus, siue homo in communicatione idiomatum vnam veram eandem, & perfectam hypostasim significat; igitur quidquid de perfecta persona, & hypostasi dici non potest, ab ijs secernendum est, quæ communicationem idiomatum admittunt; at de persona Verbi, seu de toto illo Dei, & hominis supposito pars dici nō potest; ergo neq; de eadem Verbi persona attributa partis dici poterunt, cuiusmodi sunt, esse effusum, esse sparsum, adhæsisse cruci; nam hæc, & alia ad naturam sanguinis Christi spectant, qui pars est naturæ humanæ Saluatoris. Hinc pari modo fit vt meritò affirmare nō possimus, Deū esse in venis diffusum, in arterijs coarctatum, atq; constrictum, quāuis sine cōtrouersia existenti in venis sanguini esset adnexa Deitas. *Generalis regula.*

Illud tamen est in præsens non ignorandum; aliquid discriminis intercedere inter partes, & attributa partium humanę naturę Christi, quantum ad communicationem idiomatum, etenim partes, vt partes, quauis ratione sumantur, nullo vnquàm tempore communicationis idiomatum capaces esse potuerunt; nō enim, ostenso Christo dici potuit vnquàm hic homo, vel hic Deus, est anima rationalis, est corpus humanum, est sanguis; at secus quan

doquè

doq; res se habet de attributis partium, siquidá pleraq; il lorum perfectam idiomatum communicationem commodé admittunt, vt Symbolum Apostolicum testis esse potest, in quo videmus Deo adscribi eas proprietates, & affectiones, quę sunt peculiares partium corporis Christi; cuiusmodi sunt, Deum esse sepultum, descendisse ad inferos, & alia huius generis plura, quorum aliqua ratione corporis, alia verò ratione animę in Deum cadunt secundum prædicationē. Huius autem discriminis causa est, q; ea partium attributa, etsi propria sint partium corporis Christi; tamen adeò perfectè personæ, & suppositō adaptantur, atq; congruunt, ac si peculiaria attributa essent totius personæ; qua in re, cum partes naturæ Christi deficiant, propterea in illis dari nullo modo potest communicatio idiomatum; maximè cum ad perfectā communicationis idiomatum rationem exigatur, vt quæ prædicātur de Deo, vel homine, aut vera sint Dei aut hominis attributa, quatenus nomen Deus, & nomen homo perfectā personam significat, aut certè ea in Deum, vel hominem quadrare possint quantum ad rationem saltem significādi, quæ æquè in partes, ac totum cadat; sic enim tunc huiusce modi propositiones ritè de Verbo Dei vsurpare licebit, quippequæ ex modo significandi exprimunt eam vnionem, quæ radix est communicationis idiomatum; hinc q; etiam alia generalis ratio communicationis idiomatum habetur; nullo videlicet modo concedendas esse eas propositiones, quæ ex ratione sua hypostaticā vnionem non significant, quamuis in illis vera vnio hypostatica saluetur, cum ea sufficere haud possit, nisi insuper modus adsit hypostaticam exprimens vnionem; cuius defectu, non dicitur Verbum, est anima, est corpus, vel est hu-

Ratio generalis ad cōmunicationem idiomatū necessaria.

humana natura, vel humanitas.

Ex his omnibus colligo aduerſus Cardinalem S. Petri ad Vinc., adeò perneceſſariam eſſe ſignificandi ratione, quę perſonæ conueniat, in communicatione idiomatũ, vt ea deficiente tota ruat cõmunicationis idiomatũ prædicatio, velut ex eodẽ exẽplo Aethyopis, quo ille vtĩt, cognoſcere fas eſt; Nã licet albos dẽtes Aethyops poſsideat, haud tñ meritò albus appellari põt; ſicuti ex aduerſo, ex criſpatis tãtũmodo capillis, cõmuni, ac trito more homo criſpus ſolet appellari; quãuis nõ magis ad Aethyopẽ attineant dentes, quam criſpati capilli ad hominis perſonam; in cuius rei contemplatione, quia Cardinalis S. Petri ad Vinc. non eſt diligenter verſatus, propterea lapſus eſt, inconſideratè pronunciãs, nõ minus Aethyopem album, quam hominem criſpum dici poſſe, ſi ęquali coniunctione dentes Aethyopi, & caput homini vnirentur; quod ſanè videtur ridiculum, propterea quòd tota ratio appellandi hominem criſpum nõ proficiſcatur ex vnione, qua caput adnectitur cæteris corpis humani mẽbris, ſed aliundẽ, ſecus iurè quilibet homo criſpus dici poſſet, cum vniuſcuiuſq; hominis caput eadem ſubſtantiali ſerie, eodemq; nodo cũ proprio corpore, ac caput hominis criſpi cum ſuo capite connectatur.

Colligo tandem, vt hoc pro totius diſputationis corrolario moneã, radicitus hinc euerti ea omnia, quæ Cardinalis S. Petri ad Vincula veritate ſeptima in reſponſionibus argumentorum congerit in ſuæ opinionis tutelã, ac defenſionem, nam etſi ita perfectè Dei filius ſanguini, ac corpori, & animæ Saluatoris per triduum adnecteretur, quia tamen attributa ſanguinis non erãt eius generis, & naturæ, quæ ſuppoſito, ac perſonæ Saluatoris adſcribi

scribi possent, idcirco ex sola hypostatica vnione effuso sanguini concessa idiomatum communicatio trahi non debuit.

DISPVTATIO QVARTA:

An periculosum sit, negare sanguinem Christi in triduo vnione hypostatica caruisse.

CAP. I.

Num temeritatis, aut erroris notam is subeat, qui sanguinem per triduum vnione diuinitatis caruisse dicat.

SYluester de Prierio, quò aliquid sanguinis Christi in terra remansisse tueretur, sensit, pontificia auctoritate sancitum esse, consociatam, atq; copulatam in triduo semper fuisse diuinitatem tantúm cũ eo Saluatoris sanguine, quem rediuiuus Assertor iterum assumpsit; parti verò eius sanguinis, qui in terris erat relinquendus, Diuinitatem per triduum haud fuisse vnitam pluribus docet, sine erroris periculo posse affirmari. In priorẽ assertionem Syluestrum plura traxerunt, sed inter alia duplex fuit Clementis Sexti testimonium; Alterum ductũ ex Etrauaganti Vnigenitus de pœnitentijs, & remissionibus, quod sic habet. *Quem in ara Crucis innocens immolatus non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter vnionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis sufficiebat, sed velut quoddam profluuium noscitur effudisse.* Sic Clementina; cuius auctoritas de effuso sanguine accipienda est, vti verba ipsa omnino demonstrant. Alterum vtrò est, quædam definitio eiusdem Clementis, quę extat in Directorio Inquisitorum 1.p.q.10. nu.1. quamq; idẽ Syluester

Clementinæ auctoritas.

Directorij Inquisitorum

ſter ſe vidiſſe teſtatur Brixiæ inter alia Brixiẽſis hæreſum Cenſoris Pontificia diplomata, cuius etiam meminit Ioannes Dominicus in quæſtionibus Euangelicis habitis de Sacrato Paſchatis die. Ea autem definitione ſtatuit Põtifex, ne quis in poſterum in triduo Diuinitatẽ fuiſſe ſeparatam à ſanguine auderet aſſerere, citrà manifeſtam hæreſis labem, qua tunc pollutam fuiſſe doctrinam cuiuſdam Theologi decreuit, qui Barcinone ſeparationẽ diuinitatis ab effuſo Chriſti ſanguine per triduum fuiſſe ſubſecutam inter concionandum docuerat; cuius decreti verba, & integram ſententiam nos ſecundo libro fideliter retulimus. Ex quibus colligit Syluеſter, ſine fidei iniuria aſſeri non poſſe, diuinitatem ab effuſo ſanguine in triduo ſeceſsiſſe.

Poſterioris propoſitionis cauſam, vel potius occaſionem idem auctor ſibi arripuit ex varijs S. Thomæ locis, in quibus ſanguinem nutrimentalem vnionis hypoſtaticæ expertem effici potuiſſe innuit; de quibus ea vidẽda ſunt, quæ primo, & ſecũdo loco fusè pertractauimus; nam illis, & alijs non abſimilibus firmamentis arbitratus eſt Syluеſter, trahi poſſe certum opinionis ſuæ prę-ſidium, qua enixè tuetur, aliquam veri cruoris Chriſti partem nunc etiam apud mortales reperiri.

Gabriel Vaſquez 3.p.q.5.a.2.diſp.36.c.4., nullo agnito diſcrimine inter ſanguinem Chriſti, arbitratur fuiſſe à Sede Apoſtolica definitum, ſanguinem Saluatoris fuiſſe aſſumptum in vnitatem diuinæ perſonæ, non modò quandiu Chriſtus vixit inter mortales, verùm etiam toto tridui tempore, hocq; adeò certum opinatur, vt doceat manifeſto temeritatis & erroris crimine teneri, qui oppoſitũ quoquo modo aſſeueret; ad oſtendendã verò Sedis *Opinio Vaſquez.*

Apostolicæ definitionem ea ipsa profert Clementis Sexti testimonia, quibus Sylvestri nitebatur opinio. Firmamẽta verò, quibus persuasus Pontifex ad hanc definitionem descendere meritò potuerit; varia colligit Vasquez ex Concilijs, ex Patribus, ex sacra Scriptura, atq; ex philosophiæ rationibus. Et primo quidem loco ex Concilijs illam sententiam adducit, quæ actione 16. Sextæ Syno. generalis legitur, quo loci illius Concilij Patres ideò Cõstantinum quendam hæreticum damnant, quòd Verbũ diuinum cum carne, & sanguine humanam exuisse voluntatem docebat; ex quo firmamento tale colligit suæ opinionis præsidium. In sacro eloquio nomine carnis, & sanguinis tota humana natura significatur, iuxta illud, *caro, & sanguis non reuelauit tibi*, Matthæi 16. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinẽ*, ad Ephesios 6. *Quia ergo pueri communicauerunt carni, & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem.* Ad Hebræos 2.; atqui Constantinus anathema pronunciatur, eo quòd Verbum diuinum carnem exuisse affirmaret; eodem igitur crimine hæresis fuit cõdemnatus, dum asserebat, Verbum sanguinem simul cum carne, ac voluntate exuisse, quandoquidem eodem modo de carne, & sanguine sacrũ illud Concilium loquitur. Secundum testimonium est, quod in Concilij Alexandrini epistola, quę apud Cyrillum decima est, Verbum diuinum dicitur particeps factum carnis, & sanguinis; hinc, subdit Vasquez, cum eadẽ ratione carni, ac sanguini communicarit Dei filius, apertè conuincitur, Diuinum Verbum vi vnionis hypostaticæ sanguinem sibi intrinsecus copulasse, sicuti eadem vnione Verbum carnis particeps factum est.

Sexta Syn. generalis.

Concilij Alexãdrini epistola.

Cyrillus.

Idem explicat ex SS. Patribus; etenim S. Cyrillus non

vno

vno in loco eadem loquendi formula vtitur, quam concilia in rebus fidei definiẽdis adhibẽt, qualis ea eſt, Deus factus eſt particeps carnis, vt patet ex libro poſteriori de recta fide ad Reginas cap. *quod vita, & viuificus Chriſtus*; atqui Deum carnem eſſe factum, nihil aliud eſt, quã Verbum nobiſcum in carne, & ſanguine communicaſſe, noſtrum corpus ſibi peculiare feciſſe, ac demũ ex muliere prodijſſe. Quod idem tradit Nazianzenus illis verbis, *non Deum mutatum, ſed Deum permanentem, et hominem natũ, non putatiuè, ſed verè, non aereum, ſed corporeum, non phantaſticum, ſed carneũ, oſſa ſanguinem, ſenſum, & animã habẽtẽ.* Nazianzenus.

Adeſt præterea, inquit Vaſquez, ſcriptura ſacra, quæ huic definitioni fauet, dum humanæ naturæ rationẽ exprimere volens, eam explicat vocabulo carnis, & ſanguinis, vt exẽplis in mediũ adductis oſtenſum eſt; Sed à Verbo diuino aſſumptam fuiſſe naturam humanam catholicæ fidei dogma eſt; ergo ab eodem Verbo ſanguis, qui aſſumptæ naturę pars eſt, aſſumi omnino debuit. Tandẽ philoſophica quoq; ratio ad idẽ militat; Etenim homo non carne tantũm, ſed oſſibus, neruis ſanguine, reliquiſq; partibus conſtat; at Deus in aſsumptione hypoſtatica perfectam, atq; completam humanam naturã ſibi ſubſtãtiali nodo copulauit; ergo pariter ſibi ſanguinẽ adiũgere debuit.

Sed nullus non veterum modò, ſed nec recentiorum Theologorũ (quantũ mihi eorum volumina peruoluenti deprehendere fas fuit) in hac quæſtione liberius verſatus eſt Ioanne Capreolo 4. d. 11. q. 1. a. 3. in reſpon. ad 5. cont. primã concl. aduerſus Durandi ſententiam, dum eã falſam, & erroneam appellat; cuius ſententia, ſi aliquam fidem mereretur, dubio procul Mayronis, Ricardi Car- Capreoli liberior opinio.

dinalis,& aliorum effuſo ſanguini vnionem hypoſtaticã non concedentium opinio ſine aperta fidei noſtræ iniuria haud ſuſtineri poſſet, cum falſa,erronea,& hæreticalis,Capreolo teſte,cenſenda ſit; mirèq; cum Euangelica Apoſtolica, ac communi omnium catholicorũ doctorũ ſententia confligat, quemadmodum probare contendit, aliqua Angelici Doctoris teſtimonia pertexendo, quæ diuinitatis participem in triduo ſanguinem Chriſti fuiſſe innuere videntur,vti patet quodlib.5.q.3.a.5.& 3.p.q. 5. ar.2. & alibi ſæpius.

Medina ſententia. Ioannis Capreoli veſtigijs inſiſtens Bartholomæus Medina 3.p.q.5. in expoſitione 2.art. concluſ.1. ſcribit aſſeri non poſſe ſine magno errore ſanguinem Chriſti Verbo diuino non fuiſſe vnitum hypoſtatice; moxq; in fine quæſtionis eandem aſſertionem de ſanguine tẽpore paſſionis effuſo docens,tradit non tantùm à Clemente Sexto, ſed etiam à duobus alijs Põtificibus Pio videlicet, & Paulo II. ſancitum, ac definitum eſſe, ſanguini effuſo per triduum adiunctam fuiſſe Diuinitatem.

Nullam verò dari Apoſtolicæ Sedis definitionem,qua ſtatuatur effuſo ſanguini vnitam fuiſſe diuinitatem, quæ ex Durando,Gabriele,Toſtato, Ricardo, Mayrone,& Cardinali S. Petri ad Vincula hactenus recitata, ac prodita ſunt teſtimonia, tuentur, ac defendunt ſatis apertè, quibus fortaſſis videri poſſet adijciendus Ioannes Maior, qui 3.d.37.q.25., dubiam eſſe,ac nullam hac de re Põtificis dari ſanctionem innuit,dum aſſeueranter non docet ei definitioni ſtandum eſſe,ſed potius de ea loquens, hæc verba ſubdit,*ſi ita eſt*, quaſi dicat dubię fidei illud eſſe.

CAP.

CAP. II.

Quid iudicij Author de hac quæstione habeat.

EGo, vt de hac re grauissima mentis meæ arcanum aperiam, de qua sub Catholicæ fidei supremis iudicibus Clemente Sexto, Pio II. & Paulo item II. Pontificibus Romanis, alias acriter dimicatum est, non ausim erroneam, seu hęreticam negantem sententiã appellare. Etenim licet affirmans opinio, & tuta, & omni fide dignissima sit, immò certitudine theologica exploratissima, vtì ex superioribus manifestè conuincitur; attamen non eam in fidei nostræ dogmata referrendam esse probabiliter arbitror, quemadmodum lib. 2. de eleuatione sanguinis Christi ad hypostasim Verbi, id ipsum docuimus.

Enim vero, si in vtramq; partem ea quęstio disceptari potest, in qua quæritur, an Verbum Diuinum sibi sanguinem Christi intimè copularit, ac in vnitatem personæ assumpserit, vti patet ex disput. lib. 2. habita; quanto minus neutra pars huius difficultatis, de qua agimus, ad fidem Catholicã attinebit, quippequę pendet ex illa priori quæstione, cuius affirmantem sententiam non esse de fide, probabiliter defendi põt, quemadmodũ idẽ pariter de præsenti disputatione, haud ingenti labore, varijs rationibus demonstrare nobis facillimum foret, nisi vberem disputationẽ pertexuissemus lib. 2., quæ tota ad pręsentem nodũ dissoluẽdũ, maximè idonea est, ac necessaria.

Verùm ne præsens disceptatio proprijs rationibus carere omninò videatur, pauca quædam addere lubet ad ea, quæ lib. 2. de vnione hypostatica sanguinis Christi disputata sunt, ex quibus facilè dijudicare lector poterit, certa nec ne fidei Catholicæ hac de re definitio exstet.

Quo-

Prima ratio. Quocircà illud in primis fidei lumine clarissimum, atque omnibus, qui á sanis dogmatibus non abhorrent, notissimum esse debet, nullo quouis prætextu rursus in nouã disputationem, id reuocandum esse, quòd vti fidei Catholicæ dogma à supremo Ecclesiæ capite ritè statutum est, ac definitum, quandoquidem, *quod benè definitum est nulla*

Leo Papa. *debet reiteratione retractari, vt Ecclesiæ statuta docent, nisi maior sit auctoritas, quæ supra Pontificiam Romani Episcopi auctoritatem nulla esse potest*, vti egregiè Leo Papa testatur Martinianum Imperatorem alloquens. *Nimis iniquum est vt propter paucorum insipientiam ad coniecturas opinionum, & carnalium disceptationum bella reuocemus; vbi ergo aliquid definitum est per hanc sedem non cadit disputatio, nec dubietas, quia hæc semper immaculata permansit in fide*; at tota, si qua est, definitio, qua cautum sit pertinere ad fidem, Saluatoris sanguinem in triduo Verbi diuinitate præditum fuisse, ea facta est sub Clem. VI. Rom. Pont. sicuti cum Syluestro Gabriel Vasquez asserit; atqui post huius Pontificis obitum semel, atq, iterum hæc præsens quæstio agitata, atq; ingẽti animorum motu pugnaciter in vtramq; partem defensa est, coram Pio II. totius huiusce quæstionis arbitro.

Secunda ratio. Quid? an non Dominicus de Dominicis, qui tuetur partes Doctorum Dominicanæ familiæ, inter quam ex vna parte, & Franciscanam ex altera, de hac quęstione lis orta erat; an non inquam ab omni hæresis periculo tutã esse docet controuersantium Franciscanorum sentẽtiam?

Tertia ratio. Ad hæc quorsum doctrina, atq; opinio multo recentior Cardin. S. Petri ad Vinc. (vt de Tostati opinione fileam) non modò tolerata, & admissa, verũ etiam à Paulo huius nominis Pont. II. approbata est? cúm tamen hæc pluribus

bus doceat, neq; ſanguinem Chriſti intrinſecam vnionē cū Verbo habuiſſe, neq; in triduo effuſo ſanguini adiunctam fuiſſe Diuinitatem. Quare cum nulla poſt Clementem VI. huius articuli fingi poſsit Eccleſiæ definitio, cūq; incerta ſit Clementis VI. declaratio; nimis ſané audacter Capreolus opinionem ſibi contrariā, falſam, erroneam, atq; ſanæ doctrinæ oppoſitam eſſe criminatur. Immò nō eſt, cur Syluester, & Vaſquez ſententiam negantium effuſo ſanguini hypoſtaticam vnionem errori, aut crimini vertant cuipiam, maximè cum ea ipſa, ex quibus hāc Pontificis definitionem proficiſci potuiſſe opinantur, infirma ſint.

CAP. III.

Oppoſitæ opinionis rationibus reſpondetur.

ET leui quidem fulcro in primis Syluestri ſententia ſuſtinetur, tùm quia ea diſtinctio, ex qua ſuam hāc doctrinam hauſit Syluester, ab omnibus ijs, quorum aliquod ſit ingenij, & doctrinæ nomen, futilis cenſetur; tùm quia, ſi quod eſt pondus rationis ex auctoritate Clementis Sexti ductæ, id non minus quadrat in ſanguinem nutrimentalem, quem in terris reliquit Aſſertor noſter, quam in eum ſanguinem, qui rurſus Chriſto reſurgenti adfuit; ſiquidem Pontifex nullam ſanguinis Chriſti partem excipit, cui vnionem hypoſtaticam non concedat, ſed potius omnem Saluatoris ſanguinem tradit ſufficiens fuiſſe pretium redemptionis noſtrę, ex vi vnionis ad Verbum; quod idem penitus obſeruauit ſummus Antiſtes, cum velut hæreticale dogma id retractari præcepit, q̄ è ſuggeſtu theologus ille euulgarat Barcinone. Hinc, cum nihilominus Syluester cenſeat nutri-

mentali

mentali sanguini effuso haud adiunctam fuisse diuinitatem; cur non etiam ab hac eadem Clementis definitione reliquas sanguinis Christi partes alij Doctores pariter poterunt vindicare? præcipuè cum non minus in totum, quam in quamlibet minimam sanguinis Christi partem se se extendat Clementis VI. definitio, quemadmodum verba illa declarant, *non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter vnionem ad Verbum pro redemptione generis humani sufficiebat.*

Neq; Syluestrum iuuat recursus ad eam sibi familiarē distinctionem, qua affirmat, sanguinem nutrimentalem non dici salubrem à Pontifice, cum hoc soli perfectiori sanguini cōueniat, sed salubriter duntaxat effusum; quoniam hinc haud vnquam Syluester efficiet, vnitam perfectiori, minimè verò vnitam nutrimentali, & imperfectioni sanguini fuisse diuinitatem, cum istud ex Pontificia definitione nullo modo colligi possit; ex quo fit, vt ea Syluestri distinctio solummodò excogitata sit, ad vim argumenti effugiendam, velut ex eo planè cognoscitur, quod non nisi violēter Clemētis Sexti verbis adaptari potest. Præterea, si semel locus interpretationi in hac definitione Pontificis concedatur; protinus, qua ratione Syluester distinguit aliud esse, sanguinem Christi salubrem appellare, & aliud, salubriter effusum, (quasi verò illud vnionē Verbi cum effuso sanguine astruat, hoc autem non vnionem, sed meritum duntaxat, quo Christus Dominus effusione sanguinis nutrimentalis multa nobis merendo obtinuit, quamuis sanguis nutrimentalis vnione hypostarica careret;) simili etiam ratione, alijs Doctoribus, á quibus dissentit Syluester, fas erit, eam Clementis definitionem explicare, interpretari, atq; ad alios quoslibet sen-

sus

ſus trahere, quod nefas eſſet, ſi præſens aſſertio tangeret fidem Catholicam.

Neq; ſanè firmiora ſunt, quæ, vti à ſe collecta, & inuẽta teſtimonia ex varijs Sanctorum Patrum, & Conciliorum operibus adhibet Vaſquez in eandem opinionem, quandoquidem ſi prçcipuus S. Concilij finis attendatur, iam ex contextu clarum fiet, nõ alia de cauſa à Patribus illis damnatum eſſe Conſtantinum, quam quòd Verbum Diuinum cum carne, & ſanguine humanam depoſuiſſe voluntatem aſsereret, vt hinc tueretur illud impium dogma, quo vnam dũtaxat in Chriſto Domino voluntatem eſse arbitrabatur; quare licet inficiandum non ſit, eadem prorſus ratione de carne, & ſanguine verba facere Synodum generalem, ac licet pariter apertum ſit, hæreſis crimen eſse, aſserere Dei filium exuiſse carnem; attamen illius Concilij mens non fuit diro anathemate Conſtantinum hçreticum ferire, propterea quod is carnem depoſuiſse Verbum, ſed potius, quia voluntatem à Verbo exutam fuiſse, profiteretur; ex quo fit, vt nihil firmum ex eo Synodi loco colligi poſſit, quod Vaſquez cauſam iuuet; cum non Cõcilij verba, & loquendi ratio, ſed finis, & crimen, ad quod ſempiterna obliuione delendum in vnum conuenerant Patres, conſideranda ſint; atqui nefarium Conſtantini crimen, quod ſexta Synodus Generalis execrabatur, atq; ab omnibus cauendum eſse ſtatuebat, tantum fuit vnicam in Chriſto voluntatem aſtruere.

Firmamenta Vaſquez euertuntur

Sancti verò Cyrilli auctoritates, & teſtimonia, quibus Dei filium carnis, & ſanguinis factum eſse participem aſtruit, eo duntaxat ſpectabant, vt omnes Chriſti fideles non minus veram, & ſolidam in Mediatore noſtro car-

Teſtimonia S. Cyrilli explicantur.

nem,& sãguinem, quam veram,& propriã Diuinitatem fuisse crederẽt,aduersus impios veri corporis Xpi hostes Cerdonem,Marcionem,Manichæũ,& alios huius hæresis sectatores;nam cum per ea tẽpora, velut teterrima lues, grassaretur ea hæresis, qua Christũ Dominum nulla vera humana natura instructum in terris, sed adumbrata tantùm apparuisse, asserebatur, idcircò in eo maximè tota Sanctorum Patrum desudabat industria,vt Diuinum Verbum terrenis membris indutum fuisse ostenderent, ad quod persuadendum fidelibus populis,his loquendi formulis, quas sæpè Cyrillus memorat, diuini Patres vtebantur,docentes Deum carnis,& sanguinis propriè,ac verè factum esse participem,quod idem erat,ac si dixissent,Verbum Diuinum substantialem,& ex quatuor humoribus constãtem humanam naturam assumpsisse,iuxtá vsitatã sacræ scripturæ phrasim, q̃ hisce duabus vocibus carnis,& sanguinis,totam humanam naturã significare consueuit,vti Vasquez ipse testatur;cæterum non ea fuit Sanctorum Patrum cogitatio, vt subtilius disputantes docerent,Verbum Diuinum eo modo,quo sibi carnẽ deuinxerat,eodẽ pariter sibi sanguinẽ copulasse,cũ nullo adhuc per Ecclesiã error hac de re vagaretur. Hãc interpretationem,quæ omniũ potissima esse videtur,expressè docet, atq; confirmat illud ipsum, quod aduersus nos protulit Vasquez Nazianzeni testimonium, cuius nerus omnis totus est ad refellẽdos Eutichetis,Cerdonis, Marcionis,Manichæi, & Valentini errores. Sic enim habet Nazianzeni contextus. *Non Deum mutatum, sed Deum permanentem,& hominem natum,non putatiuè,sed verè, non aereum,sed corporeum,non phantasticum,sed carneũ,ossa,sanguinem,sensum,& animam habentem*; cuius testimonij vnum

S. Nazianzeni testimonium.

num quodque verbum ſpecialem aliquam exortam aliàs de corpore Chriſti hæreſim redarguit, vti ex ſe patet; in primis enim Eutychem naturas in Chriſto Domino confundentem confutat verbum illud; *non Deum mutatum, ſed Deum permanentem, & hominem natum*; ſecundo autem loco Valentino mentienti Chriſtum è cœlo immortale corpus aſportaſſe aduerſatur particula illa, *non aereum, ſed corporeum*; & tandem cum Cerdone, Marcione, & Manichęo veram, & ſubſtantialem á Chriſto humanam naturam eliminantibus pugnant extrema Nazianzeni ſententiæ verba illa, *non phantaſticum, ſed carneum, oſſa, ſanguinem, ſenſum, & animam habentem.*

Hincq; etiam clarè liquet, quid adducte ex ſacro eloquio rationi reſpondendum ſit.

Quod ad vltimũ verò opinionis Vaſquez præſidium ſpectat, admirandum mihi quidem accidit, Gabrielem virum egregiè in hiſce ſcientijs verſatum, ex leui adeò, & dubio etiam apud Philoſophos principio traxiſſe certã huius rei definiendæ rationem, cum non philoſophi modò, verùm etiam eximij theologicæ facultatis profeſſores putent, & tueantur, ſanguinem haud eſſe ſubſtantialem corporis humani partem, vti aliàs pluribus demonſtratum eſt.

Adijcerem poſtremò, quid Io. Capreoli rationi reſpõdẽdum foret, ni triplici via, & ratione eum nodũ, quem tamquam fidei dogma opinionis noſtræ defenſoribus Capreolus iniecit, hoc eodẽ libro diſſoluiſſem; etenim ſusè docui, efficaciſſimam, ac infinitam vim humani generis è tenebrarum poteſtate vindicãdi, habere facilè potuiſſe ſanguinem Chriſti, quamuis ſacer cruor nulla fuiſſet excultus hypoſtatica Verbi vnione.

Capreoli fundamentum inuallidum.

At dicet Capreolus, sanguini Saluatoris vnionem diuinitatis non impertiri contra sacrā scripturā est; sed cōtra quā scripturā obsecro? certè, cū neq; veteris, neq; noui eloquij aliquod adferri possit testimonium, quod certam hanc vnionis hypostaticæ cognitionem gignat, præter iam allata, & satis etiam commodè explicata sacræ vtriusq; recentis, & antiquæ paginæ testimonia; non ita facili negotio tot præclaros nostræ religionis viros notare hæresis crimine debuerat Capreolus, qui nescio qua ductus ratione, negantem sententiam omnibus catholicæ religionis doctoribus oppositam appellat; ita ne igitur præcipiti iudicio contraria omnibus catholicis scriptoribus erit à nobis censenda ea opinio, pro qua de catholicis dogmatibus optimè meriti Doctores Franciscus Mayro, Gabriel Biel, Durandus, Ricardus, Tostatus Cardinalis S. Petri ad Vinc. Dominicus de Dominicis, & vniuersus Franciscanæ familiæ cætus enixè pugnarunt?

Bartholomæi Medinæ sensûs firmamenta nulla esse.

Quæ autem Bartholomæum Medinam permouerunt, iam satis, superq; refutauimus. Quod verò addit, Pium, & Paulum Summos Pontifices expressam assertionis suæ definitionem protulisse, nullam omninò fidem meretur, cùm non modò certa huius definitionis notitia, sed nec minimum probabilis alicuius notitiæ vestigium exstet; immò apud plerosq; Doctores Theologos celebris fama viget, adhuc Pium Secundum huiusce nominis Pōtificem Romanum obnixè præcipiendo fidelibus demandasse, ne quis alterutram opinionem, vti falsam, aut periculosam præsumeret appellare.

Tandem concludi potest ex hac disputatione; Ea omnia firmamenta, quibus ea fulcitur opinio, quæ Diuinitatem cum effuso sanguine coniunctam esse docet, non

eius

eius esse roboris, vt opinionem istam alioqui omni assen su dignissimam, tamquam catholicam assertionem pro bent; quocirca damus libenter quidem, affirmantis sententię magnifaciendam esse argumentorum vim, ad quā nos ipsi aliàs confugimus, cum vnionem hypostaticā cum sanguine Christi factam esse probaremus; at ista tamen non tantę est efficacitatis, tantæq; necessitatis, quā tam fidei nostræ exigunt documenta, quæ omni prorsus dubietate vacua sint, necesse est; cuiusmodi non sunt affirmantis sententiæ præsidia, quæ perbellè allatas respō dendi rationes admittere possunt. Cætera verò, quæ in præsens de testimonijs Clemētis Sexti à me desiderare lector posset, per se ipsum satis commodè ex secundo nostro libro petere potest; quamquam sunt haud obscuri nominis doctores, qui verba illa adducta ex Extrauag. Clementis Pontificis, *non gutta sanguinis modica, quæ propter vnionem &c.*, non pro nuda sanguinis substantia, sed pro effusione sanguinis intelligenda esse contendant; nā cum effusio sanguinis Christi esset infiniti suppositi operatio, sine dubio diues captiuitatis nostræ pretium á summo Antistite iure merito appellatur. In quo sensu si Pontificis decretum accipiatur, nullus nescit, citatam Clemētis auctoritatem non modò opinioni nostræ aduersari, sed fauere potius. Sicuti pariter nequaquam sollicitare debet pij Lectoris animum ea constitutio, quę ex Directorio Inquisitorum eruitur, cum Pius Secundus, qui proximè ad Pontificatus apicem ascendit post Clemētis VI. obitum, quo in sensu, & in quo intellectu à fidelibus illud intelligendum esset, litteris ad fratrem Iacobum de Marchia datis claré edixerit, ad hunc modum scribens, vti me legisse apud solum Cardinalē S. Pet. ad Vin. memini. *Pij Secundi decretum.*

mini. *Quod verò attinet ad authenticationem illius sententiæ, seu processus Barcinone celebrati factam per prælatum illum, cui ea res à nobis commissa fuit, scias eam non ideò factam, vt per ipsum fides, aut auctoritas adduceretur eiusdem sententiæ, seu processui; sed vt testimonium quoddam esset rei gestæ; hoc est, vt non deperiret eius facti qualiscunq; notitia esset. Nec enim fuit intentionis nostræ propter eam commissionem confirmare, aut approbare sententiam ipsam, vel processum. Cum .n. pro parte fratrum Prædicatorum nobis fuerit supplicatum, vt eas authenticari facere vellemus, negare non potuimus, quin causam committeremus. Non turbetur ergo cor tuum, neq; formidet, sed sis animo quieto.* Hactenus ex Pontificis diplomate, vt refert Cardinalis veritate vltima sui tractatus, quem ad Paulum ipsum Pontificem maximum legendum transmisit; ex quo clarè conuincitur, mendacio, aut fictione aliqua scatere non posse postremum istud Pij Secundi decretum, quod ad manus Pauli summi Pōtificis, penes quem res ista agitabatur, peruenit.

Pro clausula totius huiusce disputationis hoc vnū etiā admoneo. Licet in negantem Mayronis, & aliorum Doctorum sententiam abire nullo vnquam temporis spatio catholicis auctoribus interdictum fuisse probabilissimū sit, vt à nobis supra satis explicatum est; quia tamen nostro hoc æuo à sapientibus viris pro certo traditur, cōtrariam neganti sententię opinionem olim Sedis Apostolicæ constitutionibus fuisse sic confirmatam, vt iam non liceat sine erroris periculo secus opinari; propterea, & nos ipsi etiam hoc idem in animum nostrum inducere parati sumus, vbi clarior huius definitionis notitia nobis affulserit; quę quoniam, vt opinamur, iacet adhuc in tenebris, ideò non nos solùm, sed quemlibet alium in adducta ra-

tionum

tionum pondera intuentem iuſtiſſimis de cauſis in apertam huius definitionis hæſitationem rapere potuit, cum negantis ſententiæ firmamentorum pondus ſit grauiſſimum, cui, vt ingenue fatear, non potui non ſuccumbere.

DISPVTATIO QVINTA.

De immarceſcibilitate ſanguinis Chriſti.

CAP. I.

Sanguinem Chriſti cum Diuinitate conſociatum, neq; in puluerem, neq; in cinerem verſum eſſe, aduerſus quoſdam Caluinianæ impietatis ſectatores.

EA eſt nefariorum noſtri temporis hæreticorum pro arbitratu ſuo quodlibet de Sacroſanctis fidei noſtræ myſterijs ſentiendi libido, atq; licentia, vt plures turpiter mentiri auſi ſint, Saluatoris noſtri ſanguinem ad abolendas humani generis ſordes effuſum computruiſſe, neq; in Mediatore è mortuis excitato nobiliorem hanc cæteris humoribus ſubſtantiã deinceps fuiſſe. Sic præcipua Caluinianæ colluionis pars Curaus, Athaos, Epicureus irreligiosè, atq; impiè apud ſtolidum vulgus crebró iactant; quorum turpe mendaciũ nouo rurſus impio dogmate confirmare ſe poſſe opinatus eſt ſtultus Oſiander hæreticus Caluiniſta in eo opere, quod confeſsio inſcribitur aduerſus Morlinum, dũ tradit, opera Saluatoris nihil ad mortalium iuſtificationẽ conferre poſſe, propterea quod ſanguis Dei, & hominum Mediatoris Ieſu Chriſti, ex quo iuſtificationis virtutem, & ſanctimoniam olim licebat haurire, in auras diſſolutus euanuerit ad annos mille quingentos; tot enim à paſſione

ne

ne dominica ad tempus vsq; nebulonis huius numeratur. Ex quo Euangelicæ veritati infensissimus Germanus Bauanus de more suo opportunam obfirmandæ alterius hæresis occasionem sibi arripuit, tradens in augustissimo S. Synaxis Sacramento haud nobis exhiberi sanguinem Christi in cælestem animi humani potum, ob eam, qua, vt ille arbitratur, affectus est sanguis dominicus omnimodam corruptionem; quemadmodum ex lib. 5. art. 5. Theologiæ Caluinistar. ex Schlusselburgio recitat Federicus de Salis, in refutatione libelli non minus rediculè, q̃ falso ita inscripti. *Assertio ex sacra scriptura &c. aduersus epistolã apologeticã D. S. posteriorẽ per L. P. ministrũ Verbi Dei*, quam tamẽ Caluinistarum insaniã Schlusselbergius ipse damnat, qui (etsi prauis Lutheranorũ erroribus faueat) hæc omnia nihilominus execrandas esse in Mediatorem nostrum blasphemias, ac sceleratissimam turbulẽtissimarum mentium impietatem meritò clamat; quid sentire, quidue de his imanissimis Caluinianæ perfidiæ portentis existimare is poterit, qui de certis, eisdemq; sãctissimis religionis nostræ dogmatibus bene sẽtit, vt par est? siq; Schlusselburgius in clarissima Euangelij luce sine dubio cæcutiens diabolicam tamen Caluinistarum cęcitatem valuit intueri; quanto magis nos, quibus clara lux veritatis est oborta, quiq; ab omni prauę opinionis labe incorruptam doctrinã castissimé colimus, ac tuemur, hãc Caluinistarum insaniam sacræ scripturæ, Sãctis Patribus, nec non omnibus, & singulis theologici ordinis Doctoribus, ac demum præcipuis fidei Christianæ rudimẽtis aduersari tenemur agnoscere? Et scriptura quidem sacra immarcescibilem, ac putredinis expertem semper fuisse Saluatoris nostri sanguinem clarè testatur dicens.

Immarcescibilitas sanguinis Christi quo modo probari queat.

Non

Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem, & rursus. *Nõ corruptibilibus redempti estis, sed pretioso sanguine agni immaculati, & incontaminati Christi.* Quid? à Deo omnes capilli numerati sunt eorum, quibus ex electione Dei gratuita ius est ad beatitudinem sempiternam, ne aliquis eorum intereat. *Vestri capilli capitis omnes numerati sunt*, Matthæi 10. *Capillus de capite vestro non peribit* Lucæ 12. & numerantis, ac omnes creaturæ partes custodiẽtis Mediatoris nostri nõ capilli, qui ornamento corporis dũtaxat deseruiunt, sed nobilissimus omnium humorũ sanguis emarcescet, destruetur, ac sempiterna corruptionis tabe peribit? Nec modò sacrarum litterarum, sed, & patrum omnium, ac theologorum ista doctrina est, quam Athanasius tradit libro de Incarnatione Verbi, eiusq; corporali aduentu, dum inquit. *Quapropter, etsi mortuus sit ad omniũ redemptionem, non tamen corruptionem vidit, cum omni enim integritate resurrexit, siquidem non alterius cuiusquã, sed vitæ ipsissimæ corpus fuit*; at quæ absoluta integritas, & quæ ipsissima resurgentis corporis Christi integritas fuisset, si perfectissimus naturæ Christi humor, si perneccssaria corporis integritati sanguinis substantia, siq; tandem vitæ thesaurus sanguis tabem subijt sempiternam? Præterea, idem Athanasius sermone secundo in illud ad Philippenses. *Propter quod, & Deus exaltauit illum*, hæc, quæ resurrectionis Christi absolutã perfectionẽ astruunt, habet. *Cur hic solus ex mortuis integer resurrexit, causa ea est, quam Paulus priori loco statuit, quod cum Deus esset, homo factus sit, qui è cælo, & cælestis appellatur, eo quod Verbũ è cælo descenderit, ideoq; sub imperio mortis detineri non potuit. Nã etsi humiliauit seipsum, sinens suum corpus vsq; ad mortem procedere, tamen illud e terra exaltauit, propterea*

Psalmo 15

1. Petri 1.

S. Athanasius.

Idẽ Athanasius in illud ad Philip. 2.

quòd in illo erat filius Dei. Sic Athanasius, ex quo integrũ è mortis potestate excitatũ esse à Deo Saluatoris corpus manifestum est; atquî ad integritatem corporis Christi sanguis necessarius est. Posteà, vt idem Athanasius dixit, corpus suum, quod vlq; ad mortem procedere sustinuit Christus, illud idẽ è terra excitatum exaltauit per resurrectionem; at corpus Christi ad mortem destinatum particeps sanguinis erat; igitur illo eodem sanguine ornatũ debuit resurgere; Ad quod mirè faciũt illa Gregorij Nysseni verba, quæ in oratione de resurrectione Christi sic habent. *Christus id, ad quod erat, iterum reuersurus per resurrectionem quidquid iacebat vna secum excitauit*; ergo sãguinem rursus à Christo domino fuisse excitatum oportet, quãdoquidem corpus Mediatoris, antequam mortis subiret imperium, sanguine constabat. Quare de his ętatis nostræ hæreticis illud mihi videtur pronunciandũ, quod de omnibus corporis Christi persecutoribus olim protulit diuinus Martyr, & Pontifex Cyprianus; nempe *fugiendos esse eos, velut congregationes malignantium, qui asseuerant carnis resurrectionem non integra naturæ suæ substantia reparandam; ab his igitur omnibus fidelis declinet auditus, & sanctam Ecclesiam teneat, quæ Christum resurrexisse à mortuis, in eadam carne qua natus est, credit*; at caro, qua enascens Saluator, indutus est, sanguine, velut perenni rore, totã carnis substantiam perrrante cõfouebatur. Eadem fuit S. Leonis Papæ sententia sermone primo de resurrectione, dum inquit; *Vulnus lateris fixuræ clauorum, & omnia recentissimæ passionis signa monstrabat, vt cognosceretur in eo proprietas diuinæ, humanæq; naturæ indiuidua permanere*; atquî indiuiduę humanę Christi naturæ proprietatis sanguis pars erat, sine cuius adminiculo ingrata foret, &

Gregorius Nyssenus.

S. Cyprian. in expositione symboli prope finẽ.

S. Leo Papa.

igno-

ignobilis corporis humani conſtitutio; nõ igitur ab inferis redeunti Chriſto aliquid naturæ ſuæ proprium deperijt, ſed potius, quæ infirmitati fuerant obnoxia, ab oĩ corruptionis & mortalitatis fęce vindicauit; quemadmodum idem S. Leo diſertè tractat explicans illud 2. ad Cor. 5. *Et cognouimus Chriſtum ſecundum carnem*, vbi ſermone primo de reſurrectione ſic loquitur. *Non diſſonat dilectiſſimi ab hac fide magiſter gentium Paulus Apoſtolus cum dicit, Et ſi cognouimus Chriſtum ſecundum carnem, ſed nunc iam non nouimus. Reſurrectio enim Domini non finis carnis, ſed commutatio fuit, nec virtutis augmento conſumpta ſubſtantia eſt, qualitas transijt, non natura defecit, & factum eſt impaſſibile, quod potuit crucifigi, factum eſt immortale, quod potuit occidi, factum eſt incorruptibile, quod potuit vulnerari, & meritò dicitur caro Chriſti in eo ſtatu, in quo fuerat nota, neſciri. Quia nihil in ea paſſibile, nihil remanſit in ea infirmum, vt & ipſa ſit per eſſentiam, & non ſit ipſa per gloriam.* Quo loci haud dubiè vocabulo carnis omnia, quæ carnis propria ſunt, ſignificare voluit S. Pontifex, velut ea verba indicant, *nihil in ea paſſibile, nihil infirmum &c*: at per carnem venarum ductu diſtributum eſſe ſanguinem quis ignorat; ergo, teſte D. Leone, idem ſanguis Chriſti manſit per eſſentiam, & non idem manſit per gloriam. Super hac ipſa eadem catholica veritate luculenta oratione diſputat Auguſt. ep. 146., quam dedit ad Coſentium Epiſcopum, dum affirmat ſuo ſanguine conſtantem fuiſſe Saluatoris noſtri naturam poſt reſurrectionis myſterium, attollant quamuis perfidiæ capita Atheos, Epicureus, & cæteri Caluiniſtæ, cum dicunt Chriſti ſanguinem computruiſſe; nam cum diuinorum miraculorum eodem teſte Auguſtino, quædam nobis documenta data ſint, ex quibus li-

S. Leo in 2. ad Cor.

S. Auguſt. ep. 146.

cet coniectare maiora, si namq; Israelitarum vestis per 40. annos in Eremo sine tritura esse potuit, siq; morticina pellis calceamentorum tandiu sine defectu durauit; an non potuit idem Deus non modo quodlibet corporũ, sed etiam sui ipsius sanguinis, & corporis per quantum voluerit tempus incorruptam protendere qualitatẽ, qua communitus sanguis nullos tabidæ qualitatis morsus experiretur, cum super terræ sinum effusus est? Ad eandẽ sententiã se applicat Angelicus Doctor 3.p.q.54.a.2.

S. Thomas.

At quorsum ad comprobandam perfectionem resurrectionis humorum naturæ Christi singulorum patrum consectamur sententias, cum eorum volumina eiusmodi sententijs perfectissimam Christi resurrectionem attestantibus refertissima sint? Quid enim aliud Ambrosius, Hieronymus, Basilius Magnus, Ioannes Chrysostomus, Dionysius Areopagita, & cum magistro sententiarũ oẽs ad vnum Theologi 4.d.44. in præclarissimis suis monumentis docuisse videntur, quam in admirabili reuiuiscẽtis Christi Sacramento expressam resurrectionis humanæ similitudinem fuisse nobis declaratam, vt vas electionis Paulus sexcentis in locis clamat. Ad Romanos 4. Ad Eph.2. ad Cor.4. Ad Ro.8. Tandem (si, vt D. Leo Papa ser. 2. de resurrectione scribit, nos in Christo crucifixi, nos mortui, nos sepulti sumus, nos ẽt tertia die resuscitati) æternis sanè supplicijs, & cruciatibus dignum crimẽ erit, arbitrari renascentis Mediatoris nostri corpus sanguinis corruptionem pertulisse, cum humanorum corporum absolutam iterum in extremo iudicij die constitutionem reparandam esse, ne hæretici quidem inficiari audeant. Prætereà, quod resurgẽtibus creaturis est gratia, illud ipsum ob infinita Saluatoris merita, & diuinã Ver-

Resurrectio Christi nostra resurrectionis exemplar. S. Leo Papa.

bi

bi hypoſtaſim Chriſto, iuſtitia fuit; creatura igitur redintegratis humoribus reſurrectionis beneficio præcellet, & rediuiuum, ac mortali gloria donatũ Aſſertoris corpus mancum, ſanguineq́; ſpoliatum in patria beatæ mentes contemplabuntur? quod quis, niſi perditiſſimus, ac in humanam Mediatoris noſtri naturam iniurioſus nõ modò verbis exprimere, ſed ne tacita quidem mente cogitare audeat?

Sed venio nunc ad Eutychium Hieroſolymitanæ Vrbis Epiſcopum, qui docuit corpus Chriſti domini poſt reſurrectionem, non iam amplius corporata, & palpabili, quatuorq́; humoribus terrenis coagmentata natura conſtaſſe, ſed magis particeps eſſe factum cuiuſdam naturæ ventis, aereq́; ipſo ſubtilioris; ex quo fiebat, vt nulla planè non modò prioris corporis, ſed nec etiam ſanguinis qualitate immutata materies in reuiuiſcenti Chriſto reperiretur. Hanc Eutychij hęreſim olim ſubtiliter, & diſertè Catholicę Eccleſię ſplendor eximius viuo vocis oraculo, ac etiam poſtmodum ſcriptis refellit B. Gregorius Magnus, vti cognoſcere licet ex ijs, quæ ſcripta reliquit lib. 14. c. 29. commentariorũ in Iob, vbi nõ ſolùm habitæ cum Eutychio diſputationis argumenta profert, ſed etiam victoriam ab eodem Eutychio gloriosè reportatam lepidiſſimis verbis narrat.

CAP. II.

Oſiandri hæretici impium dogma.

NOn eſt præterea hoc loco diſſimulandus error Oſiandri progreſſi in tantam catholicæ veritatis, ac ſacrarum ſcripturarum inſcitiã, vt dicere non erubuerit, probari non poſſe ex Verbo Dei ſanguinem Chriſti

Christi esse nostram iustificationem, cum putruerit. Verùm haud scio, num demirer magis nefarij huiusce homi nis ignorationem, an temeritatem potius, vel certè diabo licæ calliditatis malitiã, qua planè excæcatus in re, apud quemlibet fidelium vulgatissima, lapsus est manifestè. Quid enim in sacras litteras intuenti clarius esse potest, q̃ Mediatoris nostri sanguine mortales ex impijs pios, ac iustos reddi, cum teste Apostolo, in Christo *habeamus redemptionem per sanguinem eius remissionem peccatorum secũdum diuitias gratiæ eius, quæ superabundauit in nobis in omni sapientia, & prudentia, vt notum faceret nobis Sacramentum voluntatis suæ secundum beneplacitum eius, quo proposuit in eo in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in terra sunt in ipso,* & rursus ad Rom. 3. *Iustificati gratis per redemptionem in Christo Iesu*; su per quę D. Pauli verba S. Leo Pontifex ser. 12. de passione, inquit, *sanguinem iustum fudit Christus, qui reconciliando mundo pretium, & poculum esset*, velut explicat similiter Augustinus hom. 47. in Ioannem; vbi *sanguine Christi comparati estis; agnoscitis pretium vestrum. Ille fecit etiam sanguinem suorum pretiosum, pro quibus dedit sanguinis pretium*; ergo iustificationis, & redemptionis humanæ sanguis Christi pretium fuit aduersus Osiandrum.

Primo ad Ephesios.

Sanguis Christi nostra est iustificatio.

S. Leo Papa.

S. Augustin.

Ex his autem satis liquere arbitror, non modò sangui ne, sed tribus etiam alijs carnis humoribus excultã post tridui spatium resurrexisse Saluatoris nostri naturam, vti ẽt ex fidei catholicę decretis conuincitur; certum quippè est, ac in omnibus ferme Concilijs tãquàm de fide consti tutum, in S. Synaxis mysterio non solùm vi, & potestate formæ consecrandi calicis sub accidentibus vini, verùm etiam sub accidentibus panis per concomitantiam verũ,

ac

ac naturalem sisti Saluatoris sanguinem, quod nõ aliũde prouenire potest, quam ex ea naturali cõnexione, quã cum Dominico corpore sanguis Christi obtinet, seu, vt Concilium Tridentinum loquitur, ex vi illius connexionis, qua partes corporis Christi inter se copulantur.

Cur in sacra scriptura non inueniatur corpus Christi post resurrectionem suã sanguine ornatum asse.

Illud tamen in præsens alicui mirandum accidet, cur nusquàm apertè tradatur in scripturis, corpus Christi glorioſum secũ sanguinẽ retinuisse; immò quod augere potest admirationem, Christus ipse dominus, dum Apostolorum hæsitantes, ac commotos animos in viuentem resurrectionis suæ fidem excitat per indubitata sentiẽtis, & videntis facultatis experimẽta; solius carnis, & ossiũ, nullam verò sanguinis mentionem fecit, dicens. *Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere*; at cur non etiam his sanguinem adiecit, cum & sanguis plurimum valeret ad faciendam, atq; comprobandam renatæ Saluatoris naturæ veritatem? An fortassis ea causa fuit, quam confutati hactenus hęretici impiè criminantur? Amplius, cur magis, ac magis miremur occasionem præbet Diuus Augustinus, qui hac de re à Cosentio Episcopo propositæ quæstioni respondens, quædã scribit, ex quibus non solùm non tollitur, sed magis perplexa, ac litigiosa redditur difficultas. Augustini verba sunt in epistola 146. ad Cosentium. *Quæris vtrum nunc corpus domini ossa, & sanguinem habeat, aut reliqua carnis lineamenta; quid si adderes, vtrum etiam vestimenta, non ne augeretur quæstio? qua causa? quia ea, quæ in vsu vitæ nostræ corruptibilia nouimus, sine corruptione vix cogitare possumus,* & mox quibusdam interpositis, quæstionẽ explicat ad hũc modum scribens. *fides adsit, & nulla quæstio remanebit, nisi forte de sanguine requirendum est; quia cum dixisset palpate, et videte,*

Luca 24.

S. Augus. ep. 146.

videte, quia spiritus ossa, & carnem non habet, non addidit sanguinem; non ergo, & nos addamus inquirere, quod ille non addidit dicere, & de compendio, si placet finita sit quæstio. Sic Augustinus, cuius postrema verba satis euidenter demonstrant præsentem disputationem, vel ei visam esse ancipitem, vel certè ita periculis plenam, vt nihil hac de re curiosius, aut subtilius indagandum sit, ne fortè aliquid offensionis habeat ea disputatio, quæ vocat in dubium id, quod Saluator ipse silentio præterijt.

Verúm illud, quod primo intuitu nonnihil habere videtur admirationis, si paulo attentius perpendatur, nulli mirum esse poterit, reputanti videlicet Mediatorem nostrum duabus iustissimis de causis, ac idoneis rationibus, carnis duntaxat, & ossium, non verò sanguinis visu, atq; contactu ad periculum de sua resurrectione faciendum discipulos pacificè, ac amanter inuitasse.

Prima ratio fuit, quia sanguis ita aptè, decẽterq; in suis conceptaculis delitescit, vt clarè, ac distinctè sub humanos sensus non cadat, secus autem caro, & ossa, ea enim certa naturæ consuetudine cuilibet pertrectanti prẽsto sunt; ex rebus autem ad sensum patentibus, non autem ex eis, quæ carnis humanæ teguntur inuolucris, qualis est sanguineus liquor, firmitas, et certitudo renati Saluatoris petenda erat, vt facilè ex dubijs, ac suspensis Apostolorum animis omnis scrupulus euelli posset.

Secunda causa fuit, quòd in ipsis carnis, & ossium vocibus sanguis etiam facilè claudatur, quandoquidem extra litem, & controuersiam est, humanam carnem sanguine irrigari, & temperari; quorsum ergo necesse erat, vt Christus id verbis exprimeret, quod certo, ac connaturali nexu sic cum carne consociabatur, vt ex

al-

altero alterum non posset non clarè intelligi? Epistola verò, quam ad Cosentium dedit Augustinus, sententiam rectè cum veritate, simulq; cum allata explanatione congruentem reddit; nam postquã dixerat Augustinus, quid de corpore Christi nunc in supremo maiestatis trono sedentis arbitraretur, statim ad hunc modum scribit. *Ego proinde Domini corpus, ita in cælo esse credo, vt erat in terra quando ascendit in cælum*, moxq; paulò post clarissimis verbis testatur prædictam quatuor humoribus fuisse glorioſam à mortuis excitati Saluatoris naturam, dũ inquit. *Si sanguis, cur non, & pituita; cur non fel flauum, & fel nigrũ, quibus quatuor humoribus naturam carnis temperari etiã medicinæ disciplina testatur. Sed quodlibet quisquis addat, corruptionem addere caueat, ne suæ fidei sanitatem, castitatemq; corrumpat*; moxq; deinceps per totam Epistolam fusius ostendit, ac docet, ex hac mutua quatuor humorum coniunctione, in Christo nullam sequi glorioſi corporis corruptionem, quam ex humoribus necessariò consequi oẽs illi arbitrantur, qui diuinæ virtutis opera metiri consueuerunt ex ijs, quæ humana patitur infirmitas, nec dum gloria resurrectionis illustrata. Epist. 146.

DISPVTATIO SEXTA.

De copia sanguinis Christi iam gloria donati.

CAP. I.

Num in cælis totum sanguinem Saluator habeat, qui olim in eius corpore fuit, dum mortalem vitam viueret.

SAnguinis sui fuisse particeps rediuiui Mediatoris nostri corpus satis explicant ea, quę aduersus Eutychium, atque impios Caluini asseclas disputata

 sunt

sunt hactenus. Modò suboriri dubium posse videtur; an salutis nostræ Vindex omnem eam sanguinis copiam in cœlis glorioſus retineat, quem ab eius conceptionis exordio ad obitum vsq; vegetans corporis virtus genuit; an verò minori sanguinis substantia nunc in cœlis polleat. Equidem indubiè non totum id sanguinis nunc in glorioso Saluatoris corpore reperiri, quod olim toto Saluatoris vitæ curriculo fuit in eodem, asserendum censeo, ea ratione persuasus, quòd tota sanguinis copia, quæ processu temporis ad trigesimum tertium vsq; annũ ascẽdentis comproducta est (tot enim peregrinationis Christi tempora fauêre) glorioso corpori repugnet. Nam cũ nulla mora gradatim perpetua operatione, quandiu Saluatoris vita perstitit, ex cibo, & potione sanguis, & ex genito sanguine caro, ossa, nerui, cæteraq; corporis Christi membra progignerentur; & inde pari vicissitudine certæ partes carnis, ossium, & sanguinis Christi deperderentur (ea enim erat corporis Christi mortalis adhuc natura,) haud par æquumve fuit, vt in illo felicissimæ, ac beatissimæ vitæ statu corpus Christi simul, & semel totam sanguinis substantiam obtineret, quam varijs adhuc calamitatum telis, ac morti obnoxium, haud vnquam vna est assecutũ; quin immò fieri istud nulla ratione potuit; cum tam magnæ sanguinis copiæ nequaquã capax esse potuerit Saluatoris corpus, non modò congruenti figura, & spetie, sed etiam diuinæ beatitudinis gloria, & splẽdore ornatum. Nam sicut in hac mortali vita corpus sic prædefinitos, ac statutos suæ molis, & magnitudinis terminos à natura sibi vendicat, vt maiores admittere non possit, veluti apud philosophos omnes peruulgatũ est; ita pariter in cœlis degens corpus ad sui status decorem,

&

& pulchritudinem potiori ratione non cuiuſcunq; molis, ſed ſtatutæ, ac decentis membra, & humores ſibi depoſcat, neceſſe eſt. Quod ſi, vt auctor eſt magiſter ſententiarum in generali beatorum corporum reparatione nihil futurum eſt indecorum, nihil cum vitio, ſed omnia cum decore, & maieſtate in æternam vitam regenerãda ſunt; quãto potius e Chriſti glorioſo corpore quidquid eſt deformitatis particeps longius abfuiſſe credendum eſt? cũ corpus Chriſti humanę reparationis exemplar futurum ſit, *quandoquidem reformabit Chriſtus corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ;* atqui mõſtruoſa, & portentoſa omnino foret corporis Chriſti conſtitutio, ſi quidquid ſanguinis, quo aliquando eiuſdem natura irrigabatur, reparandum fuiſſet, cum gloriosè reſurrexit. Etenim tanta ſanguinis copia non modò corpus Saluatoris perlueretur, vt ius beatitatis requirit, ſed etiam indecẽter tumeſceret, ac perturbaretur potius. Prætereá fieret, vt, quo titulo omnis ſanguis reparandus eſt, hoc eodem intuitu pariter, & aliorum trium humorum redintegratio, nec non etiam reſolutæ carnis Chriſti partes in reſurrectione rurſus excitãdæ forent; ex quibus omnibus ſimul compoſitis non alia, quam turpiſſima, corporis Chriſti ſpecies conſtitui poſſet, quod proculdubio profanæ mentis eſſet opinari, ſicut colligi poteſt ex ijs, quæ ſimul cum theologorum anteſignano vniuerſa theologorũ cohors docet, nempè vnumquemq; hominum ſui corporis eam recepturum menſuram eſſe, quam vel habuit in iuuentute, etiam ſi annis, ac ſenectute plenus deceſſerit, vel quam certè conſecuturus erat, quamuis nec dum vitæ ſuæ ſtadium emenſus obierit. Cum igitur Chriſtus dominus ex hac mortali vita abierit in ætate omnium perfectiſſima

4. ſent. d. 44.

Ad Philippenſes 3.

constitutus, eam duntaxat sanguinis copiam post resurrectionem sibi retinuisse putandus est, quam virilis ætas Christi iure suo sibi vendicabat; neq; enim fas est arbitrari, resurgenti Christo additam esse magnitudinẽ, detractumve aliquid, quod ad perfectam Saluatoris magnitudinem attineret.

CAP. II.

Tres dubitatiunculæ proponuntur, & explicantur simul.

IN præsens tamen adijcienda, atq; soluenda sunt nonnulla, quæ cum assertione hac nostra pugnare posse videntur. Et in primis vnum illud est, quod ineffabilis artifex Deus sic perfectè resurgentis Christi corpus restituit, vt nihil ex eo, quo alias natura Christi constabat, fuerit deperditũ; atqui Mediatoris nostri corpus aliquãdo sanguine eo perfusum est, qui virtute nutritionis absumptus euanuit; ergo & ille pariter reparãdus erit, alioqui non ex toto, sed ex aliquibus partibus duntaxat corpus Saluatoris constans resurrexisset, contra Magistrum 4. sentent. d. 44. ac cum magistro aduersus theologos oẽs.

Amplius, sanguis Christi absumptus non minus ad veritatem naturę pertinuit, antequam calore naturali resolueretur, quam eiusdem veritati congrueret effusus sanguis, priusquam effunderetur; cum igitur Christus totũ id sanguinis assumpserit post resurrectionem, quod ad suæ naturæ veritatem attinebat; dubio procul vel vtrũq; sanguinem inter resuscitandum sibi adiungere debuit, vel certè neutrum, cũ nulla magis videatur esse ratio resoluti, quam effusi sanguinis. Ad extremum, suis adeò absoluta partibus omnium resurrectio futura est, vt ne capilli quidem eorum interituri sint, quamuis hi crebra tõ-

Luca 21.

sura

sura in nihilum sint redacti; potiori igitur ratione capillis nobilior resolutus sanguis Christi haud in sempiterno erit interitu.

Verùm tria hæc confutare haud fuerit laboriosum, cũ ex ijs, quæ iã adnotauimus clare illucescere possit totius difficultatis enodatio.

Ad primum igitur. Quamuis Deus absolutissimam in resurrectione dominica operatus sit corporis Christi integritatem, sic, vt nihil, quod vel decori, vel veritati, vel cõplemento eiusdem naturæ debebatur, deesse passus sit, tñ eas duntaxat sanguinis partes iterum sibi adiunxit, quæ complemento, & dignitati corporis Christi iuxta naturę suæ exigentiam conducere posse videbãtur; at quia vniuersa sanguinis Christi copia, quæ ab ortu ad necem vsq; generata est, congruentem naturæ Saluatoris quantitatẽ excedebat, propterea absumptum calore naturali sanguinem á Christo domino non fuisse rursus assumptum iure merito arbitramur, quod idem in 4. sent. d. 44. Theologi omnes de cęteris mortalium corporibus asseuerant; iuxta quem sensum Magistri sententiarum opinio explicanda est, cum inquit. *Ita Deus mirabilis, & ineffabilis artifex de toto, quo caro nostra extiterat, eam mirabili celeritate restituet.* *Magister sen.*

Ad secundum respondere fortassis quispiam posset, respectu corporis Christi non eam esse resoluti sanguinis necessitatem, quæ est exigentia effusi sanguinis, quandoquidem resolutio in minutissimis non nisi partibus sanguinis Christi fiebat; at in effusione tota sanguinis Christi substantia defluxit; potior autem totius sanguinis copia, quam minuta sanguinis pars erat respectu dominici corporis; nam licet non parua, sed satis magna fuerit sangui

nis

nis Christi resolutio, quę triginta trium annorum spatio facta est, si collectiue, vt aiunt, sumatur, distributiuè tamen, idest singulis vicibus, exigua dũtaxat pars sanguinis deperdebatur; ex quo discrimine consequitur, vt non eadem sit effusi, ac resoluti sanguinis ratio. Sed esto, faciamus primam argumenti propositionem veram esse; non ob id tñ resolutus sanguis resurgenti Christo adesse debuit, cum non quælibet pars sanguinis, quæ aliquãdò ad veritatem Saluatoris pertinuit, sed ea duntaxat reparanda sit, quæ corpori dominico ad absolutam sui perfectionem conuenit, cuiusmodi ea est, quæ in Saluatore reperiebatur, cum ex hac mortali vita discessit. In extremæ autẽ argumentationis confutatione solummodo desiderari potest, vt explicetur, quo in sensu D. Lucæ auctoritas accipienda sit. Quare duplex eius testimonij videtur esse explicatio. Vna est. *Capillus de capite vestro non peribit*, qui nimirum in decorem, ac venustatẽ cedat resurgentis; non enim ad substantialem perfectionem, sed ad ornatum duntaxat in humanis corporibus capilli exiguntur; in qua significatione nemo nescit, haud reparandos esse in resurrectione eos omnes crines, qui toties dissecti sunt, ob eam deformitatem, qua longiorem comam pascentes non vacare conspicimus. Altera est. Capillus, bifariam considerari potest; vno modo secundũ partes materiales; altero modo secundum partes formales, vti in re haud dissimillima innuere videtur Aristot. 1. de generatione com. 35., illud est, cum consideramus capillos hominis, vt spetiem à reliquis siue ornamentis, siue corporis partibus distinctam constituunt; quatenus videlicet in eis ratio, & natura capillorũ saluatur; istud verò est, cum non naturam, & spetiem, sed numerũ, & partes,

Quo modo intelligenda sit D. Lucæ auctoritas illa Capillus de capite vestro non peribit.

quibus

quibus componuntur capilli, conſideramus, nempe cum quaslibet illorum partes, & numerum perpendimus. In primo prę cipuus naturæ finis conſiſtit, de cuius ratione eſt, vt diuerſas, ac varias humanarum corporis partium ſpecies intactas aſſeruet; at de ſecundo nulla naturæ cura eſt, quippequę cuiuslibet rei particularis partem, & numerum non reſpicit, niſi fortaſſis ex accidenti, ne videlicet alicuius rei ſpecies intereat, vti in phœnice patet, quæ cum ſola, & vnica numero auis in tota rerum vniuerſitate eſſe credatur, à natura volita eſſe debet, ne alitis præſtãtiſſimæ ſemen, & ſpecies penitus de medio tollatur. In prę ſens autem citatum B. Lucæ teſtimonium de capillis in prima ſignificatione acceptis, ſi quis interpretetur, nę ille quidem à recto veritatis tramite aberrabit; ſicq; eius ſententiæ ſenſus erit, futuros quidem eſſe in beatorum corporibus capillos, ita tamen, vt non quęlibet excrementitia, ac ſuperflua pars illorum, ſiue potius quilibet eorum numericè deſignatus in eiſdem futurus ſit. Ex quo à pari, quid de conſumptis ſanguinis Chriſti partibus reſpondendum ſit, facili negotio intelligitur; nam licet nõ minus ſanguis Chriſti, quã caro, reparanda ſit; non quælibet tamen ſanguinis pars reſurrectione potietur; quemadmodum egregiè tradit Angelicus Doctor 4. ſent d. 44. ar. 2. quæſtioncula 5. in reſponſione ad 3., & colligitur etiam ex B. Auguſtino in lib. de Ciuit. Dei. *S. Thomas.*

CAP. III.

An in horto, & circumciſione effuſum ſanguinem rediuiuus Saluator aſſumpſerit.

SVperiori capite ſtatutum eſt, glorioſum Mediatoris noſtri corpus haud particeps fuiſſe eius ſanguinis, qui

qui vegetantis facultatis operatione, dum Christus mortalem adhuc vitam agebat, deperijt. Nunc de reliquo sanguine idem inuestigandum est. In præsens verò quærimus tantum de effuso in circumcisione, & horto cruore Domini; num is cum corpore glorioso vna simul consurrexerit; de vtroq; enim discrepans esse potest doctorum opinio. Caietanus 3. p.q.54.ar.2. in responsione ad 3. & alibi, Syluester de Prierio tractatu 3. quæstionum Euangelicarum, q.31. Hieronymus della Rua, & Petrus de Cabrera more solito ad familiarem nutrimentalis, & vitalis sanguinis distinctionem confugientes sentiunt, effusum in horto sanguinem sine dubio haud fuisse resurgenti domino congruentem, idemq; pariter dicturi essent de effuso in circumcisionis mysterio sanguine Saluatoris, si nutrimentalem eum fuisse sanguinem arbitrarentur, quemadmodum Hieronymus della Rua, & Petrus de Cabrera apertè docere velle videntur; in qua præterea opinione trahere conantur S. Thomam, ea ratione ducti, quòd is velit, effusum duntaxat sanguinem in passione à Christo resurgenti fuisse assumptum; ex quo loco colligunt, effusum in circumcisione, & horto sanguinem resurrectionis haud participem esse factum. Potest autem horum sententia probari ijs rationibus, quas alibi non semel cõtexuimus, dum de nutrimentali sanguine sermo incidit; inter quas illa est præcipua, neq; in præsens reticenda, q̃ huiuscemodi sanguis, qui imperfectus, & insufficienter decoctus est, vlteriorq; insuper perfectione eget, non obscurã cum statu glorioſi corporis Christi repugnantiã habeat, cum corpus Saluatoris neq; nutriri, neq; augeri, neq; alicui mutationi, aut perturbationi obiectũ esse possit; quæ tamen incommoda proximè nutrimẽtalis sanguinis naturam

Caietani, & aliorum opinio.

turam consecuntur. Postea, hac eorum admissa opinione non modò perplexæ quædam difficultates facillimè explicantur, verùm etiam paci, ac piarum mentium trãquillitati, atq; antiquissimarum traditionum, & historiarum veritati satis datur; nam in eis multa mira, & sanguine dignissima traduntur, quæ tamen ruerent penitus, si in Christo nutrimentalis sanguis adhuc reperiretur. Amplius perspicua satis, & euidenti coniectura non infuisse resurgenti Christo circumcisionis sanguinem, colligi videtur ex dominico præputio, qui nostris etiã tẽporibus in Lateranensi Ecclesia cernitur; ergo si quod propius perfectionẽ resurgentis domini attingit, Assertoris corpori deest, profectò, id, quod non tantæ perfectionis, & necessitatis est, inficiari in Christo haud fuerit iniuriosum, carnem autem præputij Saluatoris sanguini præstare nemo est, qui nesciat, cum præstantior carnis, quam sanguinis sit natura.

Alij nihilominus probabilissimum esse autumant, assumptũ rursus ab Assertore nostro fuisse effusum in horto, & in circumcisione sanguinẽ, propterea q; neuter eorũ hypostatica vnione caruerit, non secus, ac alius sanguis in passione effusus; at hic totus ad glorioſum Christi corpus redijt; ergo & ille ad solita naturæ Christi conceptacula redijsse putandus est. Præterea, in glorioso corpore Christi nihil inane reperitur; quin immò ipsa ẽt eiusdem intestina aliquo liquore imbuta sunt, qui vicem supplet eius excremẽti, quo Assertoris venter adhuc mortalitati, & egestati obnoxius replebatur; at non alia magis opportuna, ac decens liquoris substantia ad hoc munus excogitari potest, quam sit sanguis; ergo ad replenda Saluatoris intestina circumcisionis, & horti sanguinẽ fuisse

Secunda aliorum opinio.

destinatum censendum est, cũ ea repleri eo sanguine non possent, qui in passione ex dominicis membris effluxit, siquidem propria eius cruoris sedes ea ipsa erunt corporis Christi receptacula, quæ id sanguinis effuderunt. Ad extremum, Christus Dñs in vltima cęna ante incohatam mortis suæ passionem sacratissimam Synaxim instituens totum id sanguinis consecrauit, quo tunc temporis corpus suum irrigabatur, quodq; totum fidelibus nunc in Sacramento altaris exhibetur; at inficiari nemo potest, quin sanguis in horto ex omnibus naturæ Christi partibus in terram cadens per ea tempora in venis Christi cõquiescceret, ergo & in eisdem & nũc reperiatur, opus est, ne discrimen aliquod inter consecratum ab institutore Christo, & à quolibet nunc legitimo Sacerdote sanguinem, cogamur admittere.

Sententia auctoris. Si fortassis in re nõ minus à sensibus humanis, quam à ratione remotissima probabili coniecturæ locus aliquis esse potest; censeo totũ sanguinem non fuisse reparatũ, nõ iam ob ea Caietani, & aliorum firmamenta, quæ nullam apud me veri speciem habent; sæpius enim aduersus non modò Caietanum, & Syluestrũ, sed etiam contra similes huiusmodi Caietani sententię defensores pugnatum est, & ostensum futilem esse eam sanguinis distinctionẽ, qua innixi hanc opinionem de sudore sanguineo secuti sunt; sed potius moueor ea coniectura, ꝙ clarè videam, nulla ratione esse inficiandum, quin adhuc in rerũ vniuersitate verus sanguis Christi reperiatur. Cum igitur ex vna parte extra controuersiam omnẽ sit, Christum nunc in cęlis perfectiorem corporis sui sanguinem retinere, & ex altera iurè asserendum esse videatur, sparsos in circumcisione, & horto sanguinis liquores nõ tantæ perfectionis acciden-

cidentalis fuiſſe, quantæ erat effundendus poſtmodum Chriſti ſanguis, quẽadmodũ pluribus in locis tradit Angelicus Doctor, ac ratio ipſa naturalis ſuadet, propterea & perfectiorem, ac meliorem ſanguinem Saluatoris natura, quo diutius poterat, totis viribus ſibi aſſeruaret; idcirco ſatius eſſe videtur aſſerere, non omnes partes ſanguinis in circumciſione, & horto effuſi ad corpus Chriſti redijſſe. Amplius, ſi, ex hypotheſi, Xps poſt ſanguinei ſudoris emiſſionem ſuperſtitem adhuc, & incolumem vitã traduxiſſet, ſine dubio ſic perfecta fuiſſet, & omnibus ſuis partibus perpolita natura humana, vt non tantùm moraliter, ſed et phyſicè etiam Chriſtus perfectus homo ritè poſſet appellari; ergo ſufficiens fuit reſurgenti Chriſto ea ſanguinis copia, quam, dum pateretur, profudit, etiam ſi nullam effuſi antea ſanguinis partẽ nunc in Chriſto eſſe admittamus, cum Chriſtus ſibi eas ſanguinis partes duntaxat inter reſurgendum adaptarit, quæ ad perfectam naturę conſtitutionem exiguntur, vt ſuperiori capite cum magiſtro ſententiarum, & Sanctis Doctoribus Auguſt., & Thoma explicauimus; quod peculiariter de circumciſionis ſanguine puto aſſerendum, non ſolùm quia is modicę, atq; exiguæ fuerit quantitatis, quippe qui ex tenui carnis Chriſti membrana proficiſceretur, cuius venulæ ſtrictiores vti minimo ſanguine conſtabant, ita in tenera Chriſti ætate, qualis eſt octaua dies ab ortu Saluatoris, in ijſdem largos ſanguinis riuos, non erat inuenire; ſed etiã quia quæcunq; illa ſanguinis copia foret, ea ſupplere vices eius ſanguinis non potuit, qui ętati Saluatoris trigeſimum tertium annum agentis neceſſarius erat; etenim p certo habendum eſt, maiorem ſanguinis copiam exigi in ea Saluatoris parte, quæ circumciſionis gladio amputa-

ta cecidit, si ea in virili ętate restituenda esset, quam in eadem requireretur, si infanti adhuc Mediatori restituēdū præputium fuisset, quandoquidem nemo ignorat, futurum fuisse, vt crescente carne, aut carnis membrana sanguis etiam augeretur. Ex quo principio sic mihi videor posse ratiocinari. Vel enim partem carnis in circūcisione oblatā in resurrectione sibi accepit rursus Assertor, vel certè, vt anteá, sic post resurrectionem alibi extra corpus suum commorantem reliquit; atqui quodlibet horum concedatur, mirè cum nostra opinione congruit, si namq; ad secundum recurras, iam quod probare contendimus, fateberis vltrò; quòd si verò primum illud verū esse contendas, iam quæ anteà præmisimus te compellēt in reparato Christi præputio ad assignandam aliam sanguinis copiam ab ea, quæ octaua die effusa est; hæc autē cum ex noua duntaxat materia efformanda sit, cur non ēt tota ea sanguinis pars, quæ ad præputij mēbranā excolendā exigitur, de nouo cōdet Deus, qui ęquè nullo negotio partē, ac totā eius sanguinis copiā efformare valet?

Quare oppositæ obiectiones aduersus opinionem nostram facilè hunc in modum dilui possunt. Ad primam, dubia admodū, nec inter doctores Scholasticos satis adhuc manifesta est ea opinio, quæ nullam partem effusi sanguinis in passione arbitratur fuisse, quam resurgens Saluator rursus non sibi copularit, velut in sequenti capite fusius demonstrabo; at enim faciamus in præsens ita rem se habere; num idcircò ex vnione hypostatica, cuius totus Christi Dñi sanguis particeps erat, colligēdum est, circumcisionis, & horti sanguinem fuisse cum Christo reparatum; profectò cum ratio ista ducta ex hypostatica vnione non solùm de sanguine in circumcisione, & o-

ratione

ratione effuſo, ſed etiam de qualibet minima ſanguinis Chriſti gutta militet, conuinceret manifeſtè nullam ſanguinis Chriſti in terris portionem, quæ reſurrectione caruerit, olim reliquiſſe Saluatorem, ſi quod rationis illius pondus, & momentum eſſet; cuius rei tamen oppoſitum multis, & ſanè grauiſſimis teſtimonijs inferius paulò poſt demonſtrabo.

Ad ſecundam. Quamuis ſacra Saluatoris noſtri inteſtina aliquo corpore haud caritura ſint in munus, ac partes euacuatæ fœcis vocato, ſanguiné nihilominus haud reor futurum id corpus, cum ſanguinis domicilium ſplé didius, ac nobilius eſſe, ex ijs, quæ ſubſenſus noſtros cadunt, facilè conijcere poſſimus; quid? cum non arcta, & anguſta, ſed ampla, ac lata ſatis ſit inteſtinorum capacitas; certè ſi hęc tota ſanguineo liquore replẽda eſt, haud dubio, ſi non multo abundantior, certè non inferior ſanguinis copia ſolis inteſtinis deberetur, quàm vniuerſæ corporis Chriſti conſtitutioni, & fabricæ à natura tributa fuerit, quod tamen nemo vel imprudens opinabitur: neq; enim ſapientis eſt arbitrari in ijs ipſis domini inteſtinis nunc varios diuerſæ ſubſtantiæ, ac qualitatis humores inuicem permiſceri, cum nec claritas, nec eximia corporis Chriſti perfectio, quæ maxime in quatuor qualitatibus, claritate, nimirum, impaſſibilitate, agilitate, atq; ſubtilitate ſita eſt, huiuſcemodi commixtionem patiatur; ergò cum neq; tota ea ſubſtantia, qua ornanda, atq; replenda ſunt Chriſti præcordia, ſolummodo ſanguinea eſſe poſſit; neq; æquum ſit, vt cum ſanguine alius humor conſocietur in præcordijs, quorſum ad ſanguinem in circumciſione, & prægrandi illa Saluatoris triſtia effuſum iſti confugiunt, vt inteſtinorum repletioni conſulant? cũ

prętereà

præterea constet, eum sanguinem neq; sufficientem, neq; opportunum esse posse, etiam si totus in resurrectione Christi esset reparatus.

Ad vltimum, Assertor quidem noster in vltima cæna consecrauit totam sanguinis sui copiam, qua tunc natura irrigabatur; verùm haud opus est, vt tota eadem quãtitas vi verborũ consecrationis calicis á Sacerdote prolatorum sub accidentibus vini sistatur, cum huius Sacramenti institutio nõ sanguinis quantitatem, sed vini substantiæ in sanguinis Christi transubstãtiationem primario intuitu spectet; quare quodcunq; discrimen maioris, vel minoris copiæ sanguinis Christi in hoc mysterio reperiatur, id nullam S. Synaxis imperfectionem arguere potest, cuius præcipua perfectio in transubstantiatione, ac expressa mortis Christi memoria sita est.

Cæterum (vt hoc pro corronide huius capitis cursim attingam) id modicæ probabilitatis esse videtur, quod Franciscus Suarez 3.p. q.54.art.4.disp.47.sect.3. vero simillimum esse putauit; nempè plus sanguinis esse nunc in glorisissimo Saluatoris corpore, quam vnquam fuerit simul in eodem adhuc mortalitati obiecto, ac quod ex eodem principio consequitur, maiorem in resurrectione sanguinis copiam fuisse Christo restitutam, quam idem Saluator in passione profuderit; Nam quæ toto hoc capite explicata sunt, ita aduersus hãc opinionem militãt, vt alia excogitare hoc loco probabilia argumenta nõ sit opus; neq; verò ei quicquam suffragatur S. Thomæ testimonium ex 4.d 44.q.1.ar.2.quæstiunc.1.ad 2. deductũ, cuius hæc sunt verba. *Intestina resurgent in corpore, sicut, & alia membra, & plena erunt non quidem turpibus superfluitatibus, sed nobilibus humiditatibus*, quoniam extorta nimis,

Franciscus Suarez.

S. Thomas.

nec

nec S. Thomæ verbis conſona ea eſt explicatio, qua nomine humiditatum, ſanguinem intelligendum eſſe arbitratur, quandoquidem, ſi is fuiſſet germanus eius teſtimonij ſenſus, ſine dubio non nobilibus humiditatibus, (qua voce aliquod perfectiſsimi liquoris genus ſignificatur, mortalibus incognitum) ſed appellatione propria, nēpe ſanguine perfecto, replenda eſſe Chriſti inteſtina pronunciaſſet Angelicus Doctor, qui nec ambigua, nec obſcura locutione, ſed propria mirum in modū delectatur, quemadmodum diuina illius ſcripta teſtantur.

DISPVTATIO SEPTIMA.

De Chriſti Præputio.

CAP. I.

An Chriſtus ablatum ſibi in circumciſione præputium rurſus in reſurrectione acceperit.

SEd in præſens tractam ſuperiori capite de præputio Chriſti difficultatem explicemus, quandoquidē huius quæſtionis enodatio non parum lucis eſt allatura aſſertioni noſtræ de ſanguine circumciſionis, quæ vel ex hoc maximè roborabitur, ſi Chriſti præputium nunc etiam in terris reperiri conſtabit. In primis tamen, mihi præmonendus eſt lector, omni ex parte tutiſſimum videri, Saluatoris noſtri corpus ſuo præputio ornatum à beatis mentibus in cæleſtem patriā coaptatis clarè cōſpici, nā iſtud perfecta, & abſoluta corporis Chriſti conſtitutio efflagitat, iſtud congruenti corporis eiuſdem complemento debetur, & iſtud deniq; in Chriſto ſupremæ felicitatis gloria gaudente nullo modo deſi-

Chriſtus nunc in cælis præputiū habet.

desiderari potest, cum in cæteris iudaicæ gentis principibus futurum esse præputium omnes testentur.

Quòd si fortasse quispiam pugnæ ac disputationis amans mihi opponat, non esse adeò certum, & exploratum id, quod de præputio domini sine controuersia arbitror opinandum; propterea quod Saluatoris nostri corpus esse nunc sui præputij expers, res splendoris, gloriæ, ac maiestatis plena sit; quin immó res sit Mediatori plané conueniens, ac debita, ne videlicet careat fulgore circumcisionis plagæ debito, peculiari præpotentis Dei munere Nam si, teste Augustino, in patria vulnerum cicatrices in martyrum corporibus intuebimur, quas pro Christi nominis gloria pertulerunt; non enim deformitas in eis, sed dignitas erit, & quædam, quamuis in corpore, non corporis, sed virtutis pulchritudo fulgebit; quæ, & qualis venustas censenda est corporis Christi circumcisionis vulnere affecti, cum ad propagandam æterni Patris gloriam sibi teneram carnis suæ partem abscidi voluerit? Præterea non minus corporis Christi absolutæ perfectioni lateris, & vtriusq; pedis hiatus aduersatur, quam completæ resurrectioni eiusdem repugnet modicæ membranæ defectus; atqui *apertura vulnerum*, vt loquitur S. Thomas, *quamuis sit cum quadam solutione continuitatis, totum tamen hoc recompensatur per maiorem decorem gloriæ, vt corpus non sit minus integrum, sed magis perfectum*, cur ergo non idem de præputij carne asserendum erit?

Lib. 22. de Ciuit. Dei c. 20.

3. p. q. 54. ar. 4. ad 2.

Duplici tamen ratione propositis obiectionibus potest responderi. Vna est, si dicamus, in glorioso Mediatoris corpore sic remansisse vulnerum cicatrices, vt integra tamen, & salua penitus fuerit lateris manuum, ac pedis vtriusq; caro; fieri siquidem potuit, vt sibi inuicem vnitæ,

ac,

ac, vt proprius loquar, continuæ corporis Xpi partes trā-
sfoſſæ fuerint, & in ijs nihilominus certa inflictorū vul-
nerum ſigna, ac ſtygmata eximio fulgore micantia diui-
na virtute remanſerint; in quibus ita clarè perſpiciatur
clauorum foramen, ac ſi nulla carne opletum foret Sal-
uatoris noſtri naturæ inflictum vulnus, velut re ipſa cō-
tigiſſe haud difficile creditu videtur, cum prima, & prin-
cipalis corporis glorioſi perfectio, quæ claritas appella-
tur, hoc ipſum ſibi vendicet; nec nō ſubtilitatis virtus, &
natura hoc idem clarè oſtendat; hac enim Saluator in-
ſtructus, de reſurrectione ſua hæſitantis Thomæ digitis
non modo manuum cicatrices, ſed ipſa etiam foramina,
ac vulnera oſtendit, atq; palpanda vltrò obtulit, quē-
admodum ſenſiſſe videtur S. Auguſtinus ep. 49., quam S. Augu.
miſit ad Deogratiam q. 1., vbi de reſeruatis in corpore
Xpi ſtygmatibus diſputans nō foramina clauorum, ſed
vulnerum cicatrices, & ſigna duntaxat ſplendere arbi-
tratur in corpore dominico ad hunc modum ſcribens.
Sciant ſanè, qui has propoſuerunt quæſtiones, Chriſtum poſt re
ſurrectionem cicatrices non vulnera demonſtraſſe dubitātibus,
ac mox rem totam clariſſimo exemplo explicans. *Tunc*
autem, inquit, *illæ falſæ cicatrices fuiſſent, ſi nulla vulnera*
præceſſiſſent, & tamen nec ipſæ eſſent, ſi eas eſſe noluiſſet. Voluit
autem certæ diſpenſationis gratia, vt eis, quos ædificabat in fide
non ficta, non aliud pro alio, ſed hoc, quod crucifixum viderāt,
reſurrexiſſe monſtraret. Quid eſt ergo, quod dicitur, ſi propter
incredulum fecit, finxit? quaſi verò, ſi quiſpiam vir fortis pro
patria dimicās multa aduerſa vulnera acciperet, vt peritiſſimo
medico, qui hæc ita curare valeret, vt cicatrices nullæ appare-
rent, ipſe potius diceret, ſic ſe velle ſanari, vt magis eſſent in cor
pore ſuo veſtigia vulnerum, tamquam tituli gloriarum; ideo ille

medicus cicatrices finxisse diceretur, quia cum per artem efficere potuerit, vt non essent, certa existente causa, per artem effecit potius, vt essent, quæ vno solo modo, sicut superius dixi, falsæ conuincerentur, si nulla vulnera sanarentur. Hactenus ex Augustino, cuius quæstionis, & responsi sensus est, præfuisse quidem in Saluatore vulnera, sed post resurrectionem cicatricũ duntaxat sibi reseruasse vestigia, & signa; quod idem de aliorum Christi martyrum vulneribus, & plagis docuit libro de Ciu. Dei c. 2. Hinc tacta de præputio Saluatoris difficultas diluitur; nã in ea corporis Xpi parte in circumcisione recepti vulneris cicatrix, nõ secus, ac clauorum insignia, remansit, etiamsi vniuersa præputij caro reparata sit; quamquam alij volunt minimè necessarium esse, vt circũcisionis cicatrix in Saluatore perduraret, quorum opinioni hæc ratio opitulari videtur, quoniam, si præter clauorum, & lanceæ stygmata ẽt cum cęteris vulneribus Mediatorem consurrexisse opinandũ est, eadem ratione glorioſum Christi corpus nunc in supremo maiestatis throno discriminatũ sederet tot millibus vulnerum, quod flagellorum ictus fuêre; immò in capite eiusdem Saluatoris expressas spinarum notas beati contemplarentur, quod nullus Sanctorum Patrum (q̃ ego viderim) prodidit vnquam; ergo iure merito vulnere circumcisionis corpus Christi haud pollere potest quis opinari; cum alias plagarum, & spinei certi cicatrices resurgentem Christum nõ sibi asseruasse vero sit simillimũ.

Christum non sibi asseruasse vulnus circumcisionis quæ ratione probari possit.

Altera ratio est. Si cum communi, ac nostro hoc æuo receptissima opinione concedamus, vera quidem vulnerum foramina, ac veros hiatus cum aliqua corporis Xpi diminutione nunc in Xpo reperiri, quemadmodum apertè tradunt Angelicus Doctor citato loco, Abulensis,

&

& cum Caietano cæteri fermè omnes; & nihilominus idē de Chriſti præputio negemus, aſſerendum ob illud diſcrimen, quod inter circumciſionis ictum, & clauorum, & lanceæ foramina aſſignari poteſt, qñquidē iſta in glorioſo Saluatoris corpore neceſſaria fuerunt, vt dubiæ adhuc fidei homines veram corporis Chriſti e mortuis euocati naturam agnoſcerent, atq; confiterentur, quod in vulnus circumciſionis quadrare nō poteſt, cum ex eo reparatę Chriſti naturæ certitudo, & firmitas trahi nulla ratione poſſet, propterea quod non minus omnibus Iudæis, quam Chriſto dño proprium iſtud circumciſionis vulnus eſſet. Deinde (vt cæteras quatuor cauſas, quas in medium Angelicus Doctor protulit 3. p. q. 54. ar. 2. recen ſere ſuperſedeam,) haud mirum eſt, Aſſertorem noſtrum in his partibus, quæ lancea, & clauis transfoſſæ ſunt, caruiſſe ſolita carnis conglutinatione; & tamen nō caruiſſe pręputij carne, cum illud, aut nullo, aut certe exiguo carnis Chriſti detrimento, hoc verò non niſi præcipua quadam mutilatione peragi potuerit, quæ in perfectam eſſe argueret corporis Chriſti naturam, ſaltem reſpectu eius partis, quæ cultro circumcidi conſueuerat, etenim nulla vel minima pars carnis in retētis vulnerum foraminibus deperdi potuit, quod haud dari poteſt, ſi Mediatorem præputij expertem eſſe faciamus. Ad hæc, vulnera in carne Saluatoris inſiſtentia inferunt ſolius continuationis, vt dicunt, negationem, quæ ad genus accidentalis perfectionis reuocanda eſt; at carnē Chriſti ſuo præputio non eſſe veſtitam naturæ veritati, atq; complemento officit; cum ea pars carnis ad ſubſtantialem naturæ Chriſti perfectionem faciat. Verúm quia vereor, ne hæc allata à me poſtremo loco reſponſa lectoris animum ſatis expleant;

equidem non dissimulabo sensum animi mei. Nam sicuti video sequentes priorem viam, qua responsum est difficultati de præputio, & vulneribus in corpore Christi reseruatis, video inquam, satis commodè ab omnibus difficultatum tricis posse se expedire; ita fateor posteriorem respondendi rationem amplectentes, difficilè ea posse meditari, aut inuenire, quæ pro dignitate omnem ex animo prudentis lectoris dubitandi occasionem auferre possint.

Quòd si rursus obijcias, suspectam esse illã nodos dissoluendi priorem sententiam, nobis tũ satis, superq; tuta videtur, in quam tam asseueranter præclarum totius Ecclesiæ lumen Augustinum abijsse vidimus, quem vti certissimum ducem, ac principem, vt in rebus alijs omnibus, sic in præsenti negotio sequimur.

Prima opinio. Innocentij Tertij,

At, est ne Christi præputium, quo nunc circuncisa pars ornatur, illud idem, quod circumcisionis Sacramentum olim peragens iustus Simeon cultro abstulit? an potius aliud diuina ope efformatum, atq; in eius loco, quod ceciderat substitutum? Opinio Innocentij Tertij Summi Pontificis fuit lib. 4. de sacris missæ arcanis c. 30., nihil esse hac de re asseueranter affirmandum, cum non possit istud nisi Dei humanũ animũ pulsantis afflatu agnosci. *Quid ergo*, inquit Innocentius, *dicemus de circumcisione præputij; an in resurrectione Christi similiter redierit ad ipsum? Creditur in Lateranensi Basilica conseruari, licet à quibusdam dicatur, quod præputium Christi fuit latum in Ierusalem ab Angelo Carolo Magno, qui transtulit illud Aquisgrani, sed posteà positum est apud Caresium. Melius tamen est totum Deo committere, quam aliquid temerè definire.* Sic Innocentius, cuius postrema verba non tam de natura præputij, quã de existentia eiusdem, satis manifestè loquuntur.

Theo-

Theophylactus in cõmentarijs ſuper ſacram Lucæ hiſtoriam c.2. illa verba pertractans, *poſtquam impleti ſunt dies octo, vt circumcideretur puer*; in primis docet inutilem eſſe hanc quæſtionem, ſolaq; inani curioſitate plenam; moxq; etiam curioſo lectori morem gerere cupiens, eãdem abſciſſæ carnis partem ſibi in reſurrectione aſſumpſiſſe Dominum tradit. *Secunda opinio.*

D. Bonauentura 4. ſent. d. 12. in explanatione contextus Magiſtri ſententiarum nõ procul à medio; etſi difficillimum arbitretur, huiuſce rei veritatem attingi poſſe, ne tamen alto ſilentio inuolutam pertranſeat hãc ipſam de præputio Saluatoris quæſtionẽ, eam duobus modis ſoluit. Vnus eſt. Abſciſſa præputij caro non fuit pars carnis Chriſti ſecundum ſpetiem, ſed ſolummodo ſecundũ materiam, diuina nimirum diſpenſatione; quod autem ſecundum materiam pars eſt, illud non exigit, vt cũ Xpo reſurgat; ex quo principio ſtatim colligit, ad religionem, atq; pietatem excitandam nobis partem eam donatam eſſe, atq; ad nunc vſq; in terris diuina ope conſeruatam. Alter modus eſt, aliquid reperiri potuit in eadẽ circũciſa præputij carne, quod ad veritatem naturę Chriſti attineret, & reliquum eiuſdem carnis minime; Atq; ita gloriоſum Saluatoris corpus id, quod naturę veritati conueniebat, in reſurrectione rurſus habuit, in rerum vniuerſitate relinquens eam carnis partem, quę haud deſeruiret veritati corporis eiuſdem Saluatoris, quamuis non ſim neſcius minimè eſſe inficiandum, quin idem Bonauentura probabiliter ſenſerit etiam fieri potuiſſe, vt ſine illa carnis membrana glorioſum Chriſti corpus reſurrexerit, ſicut ex ijs, quę ſtatim adferam dijudicare per ſe lector facilè poterit; nam poſteà quam expoſuerat, quid ipſe de hac *Tertia opinio.*

quæ-

quæstione iudicij haberet, protinus aliorũ enarrans opinionem; *aliqui*, inquit, *tamen dicunt, quod circumcisi resurgent sine præputio, quoniam illud signaculum est ad decorẽ. Et si tu obijcias, quod totum resurget, dicunt quod verum est, totũ, quod spectat ad esse, vel pulchritudinem; & ideo non est instãtia de præputio, quod autem horum sit verius difficile est scire*; Sic Bonauentura, cuius opinioni subscribere videntur Turrecremata in c. inuitat de celebratione missarum, & Syluester in Aurea Rosa quęst. 31.

CAP. II.

Auctoris sententia.

Mihi admodum credibile videtur, Saluatoris præputium non resurrexisse idem numero, quod in in circũcisione ceciderat, sed diuina virtute aliud fuisse comproductum, quod commodè prioris ablati vices supplere, atq; resurgentis ętati Saluatoris opportunũ esse posset; huius meę opinationis clarã, nec fortassis omnino leuem coniecturã capio ex ijs, quæ hactenus in hac disputatione tradita sunt; etenim in dubium reuocari nõ debet (quãuis de hac dubitasse videatur D. Bonauent.,) quin ea pars corporis Christi, quę suo velut ornamento à natura efformato, dum circumcideretur, spoliata est, rursus in reuiuiscente Christo congruenti carne fuerit vestita, quemadmodum præter citatos hactenus doctores expresè docuerunt Bartholomęus Medina 3.p.q.54. a.4. Franciscus Suarez, Carthagena, omnesq; cęteri recẽtiores communiter; atqui non est procliue creditu, eam membranam, qua nunc in cęlis corpus Christi cohonestatur, eandem numero esse, quam ante circumcisionis ictum octo diebus possedit; quandoquidem constat, ac certissima

ſima traditione creditur, eam numero membranam, quã infans Ieſus noſtri cauſa in circumciſione cultro abſcidẽdã obtulit, nunc in celeberrimo S. Ioannis Lateranẽſis tẽplo aſseruari ſumma cum omnium pietate, ac religione, in ea videlicet ipſa templi parte, quæ ob eximias Chriſti, & aliorum Sanctorũ reliquias, ſancta Sanctorum appellatur; ſicuti memoriæ prodiderunt Innocentius III Pontifex Maximus, Card. S. Petri ad Vin. veritate octaua ſui tractatus, Carthagena, & noſtri æui ſcriptores omnes ad vnum, qui hunc lapidem euoluerunt; quorum omnium nomina, & concordes ſententias longum nimis eſſet recẽſere. Præclariſſimum tamen huius rei teſtimonium prętterire nec poſſum, nec debeo, quod lib. 6. c. 112. reuelationum B. Brigitę conſignatum reperi, quodq; ipſa Deipara Virgo ancillę ſuę Brigitę patefecit his verbis eam alloquens. *Maria ait, cum filius meus circumcideretur ego membranam illam è maximo honore ſeruatam, ſeruabam, quo ibam, quomodo enim ego illam traderem terræ, quæ ex me ſine peccato fuerat generata*; protinusq; eã nunc Romę aſſeruari docet. Sic Deipara Virgo apud Brigitam; cuius ſi vera eſt reuelatio, vt certè veriſsima creditur, iam omnem hac de re dubitandi occaſionem tollit. *Lib. reuelationũ. 112.*

Quare licet videam, poſſe aliquem ad opinionem noſtram refellendam id aſſeuerare, quod ſupplementum Gabrielis 4. d. 44. q. 1. in fine docet his verbis. *De præputio Chriſti dici poteſt, præputium eſſe replicatum ad diuerſa vbi, & illam partem præputij eſſe in cælo coniunctam corpori Chriſti, & in altaris Sacramento, non ſic in eo, in quo in terris detinetur loco*, quibus ex verbis facilè concluderetur eandem numero Chriſti membranam diuerſis in locis reperiri, nempe in corpore Chriſti Ieſu in cęlis, & in Sacramento altaris, *Supplementum Gabrielis.*

altaris, in quibus viuat, & in terris etiam, hoc est in Lateranensi templo, vbi præputium vitę expers sit; attamen infirmum, ne commentitium dicam, istud esse videtur; nã esto diuina potentia, quę absoluta appellatur, eandẽ carnis Christi particulam simul, & semel diuersa loca afficere posse, quia nihilominus nõ põt istud fieri sine magno, ac perpetuo quodam diuinę maiestatis miraculo, minimè ęquũ videtur in hac re ad tantum, tamq; insigne miraculum confugere; cum faciliori, ac commodiori negotio res peragi possit; nempe eo modo, quem nos indicauimus; pręcipuè, cum ea sola, & pręcisa pars absciss ę carnis, ni nouum fortassis etiam in hoc miraculum confingatur, non sufficiat cohonestando corpori Saluatoris, ꝙ nunc in cęlis maiorem in quantitate carnem requirit, quam sit ea, quæ ei fuerat in circumcisione ablata, vt clarius constat ex eis, quæ superius de sangnine eiusdem præputij argumentati sumus.

Hinc ad extremum, (vt tandẽ ad id redeamus, à quo varias de præputio carnis Christi sententias ponderantes, discessimus) liquet sanguinis Christi guttas, quæ ex circumcisa carne emanarunt, non secus, ac præputiũ, haud fuisse easdem numero reparatas.

DISPVTATIO OCTAVA.

De copia sanguinis Christi resurgentis.

CAP. I.

An in passione effusus sanguis cum Christo totus resurrexerit.

INnocentius Tertius libro de mysterijs myssæ c. 30. putans omnem sanguinem in passione effusum, naturæ Christi veritatem intrinsecus tangere, totũ in resurrectio-

rectione fuiſſe reparatum docet. Ad eandem opinionem ſe applicat Syluester de Prierio eodem etiam Innocentij firmamento ductus; nam, etſi fidei dogmatibus non repugnare tueatur, aliquid veri ſanguinis Chriſti in rerum vniuerſitate etiam in præſens reperiri, vult tamen iſtud intelligi de nutrimentali ſanguine, qui rōs, & cambium appellatur, qualis non fuit effuſus in paſſione ſanguis, qui ad naturæ veritatem pertinebat. Non valdè abſimilē ſententiam ſequuntur Petrus de Cabrera p. 3. q. 5. a. 4., & Hieronymus della Rua contr. 4. Theologica, ſi nimirum ſermo fiat de ſanguine, qui pars eſt humanę naturæ Xp̄i, ad eiuſq; veritatem pertinet, qualem ij eſſe effuſum in paſſione ſanguinem arbitrantur, quamquàm de hoc expreſſis verbis, ſicut etiam Syluester nihil prodiderint. Ac ne longior ſim, adhæſit eidem opinioni Franciſcus Suarez p. 3. q. 54. ſect. 3. vbi eſſe probabile aſſerit, Chriſtū dominum in reſurrectione totum ſanguinem reſumpſiſſe, quem in paſſione effuderat; ſi paſſionis initium ducatur ab eo tempore, quo Chriſtus Aeternum patrē exorauit, ad tempus vſq; vulneris in latere accepti. Idem ſenſiſſe Turrecrematam in cap. inuitat de celebratione miſſarū, ea, quæ ibi habet, manifeſtè teſtantur. Gabriel Biel pari ratione de ſanguine in paſſione effuſo, ac de præputio Saluatoris ediſſerens, ita totum ſanguinem ad corpus Chriſti glorioſum ſe ſe recepiſſe arbitratur, vt interim ēt vltro concedat aliquid eiuſdem ſanguinis Chriſti apud nos reperiri 4. ſent. d. 41. q. 1. dubio 6. prope finem. Tandē hæc opinio videtur fuiſſe ad mentem Angelici Doctoris 3. p. q. 54. ar. 2. ad tertium, & quodlibet, 5. ar. 5., de cuius opinione peculiarem ſuo loco quæſtionem inſtituam.

Syluester.

Petrus de Cabrera. Hieronym. della Rua.

Suarez.

Turrecremata.

Gabrielis Biel opinio.

Cæternm præſens opinio nonnullis rationibus confir

Variationes.

mari põt. Etenim Christus ipse apertè testatur, nihil post glorioſam à mortuis resurrectionem sanguinis sui in terris se esse relicturum, dicens. *Si exaltatus fuero a terra omnia traham ad meipsum*. Amplius, in corpore Christi patientis nihil fuit superuacaneum; (ea erat victus Christi temperantia, & frugalitas) ergo nihil eius sanguinis, qui tunc in Mediatoris corpore fuerat, deperire potuit, ne mãca, & imperfecta post resurrectionem corporis Christi natura esset. Deinde, etsi vniuerso sanguine suo nostram redemptionem Saluator fuerit operatus, speciali tamen quadam ratione in passione effuso sanguini redemptionis opus accensendum est, vtpote ei, quo Mediatoris passio completa, atq; perfecta est; decuit igitur totum illud sanguinis in Saluatore perpetuò reseruari. Præterea, ad Philippenses 3. Christus *reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*; ergo similis erit nostra, ac Christi domini resurrectio; at in martyribus totus sanguis pro Christi nomine effusus ad martyrum corpora redibit; ergo & sanguis domini in passione effusus ad suum se se recipiet domicilium. Ad hæc, quidquid sanguinis extra dominicum corpus remansit, deuicta morte, à corruptione diuino non nisi miraculo vindicari potest; at quæ vtilitas, si sanguis Christi descenderet in corruptionem, vti regius vates dixit. Postremò, ad idem suadendum adhiberi possunt eæ rationes, quibus S. Thomas quodlib. 5. a. 5. vtitur in hac eadem assertione defendẽda.

Verùm haud desunt alij, qui explicatam, atq; rationibus obfirmatam opinionem istam improbent, docentes aliquid sanguinis Christi effusi in passione in hac rerum vniuersitate reperiri; quin immò addit Cardinalis S. Pet. ad Vin., *neq; necessarium, neq; congruum fuit, vt totus sanguis*

Christi

Christi in passione effusus ab eo resurgente reassumeretur. In quam opinionem abijt, Caietanus p.3.q.54.a.2.q.2., cuius de nutrimentali sanguine opinionem non tueor, nec laudo, sed approbo illud duntaxat in præsens, quod manifestè fauet postremæ huic opinioni, quæ Saluatorem totius eius sanguinis, quem in passione effudit, non fuisse participem docet. Adest insuper Bartholomæus Medina 3.p.q.54.ar.2., cui assentiuntur Gregor. de Valen. 3. p.q.5.disp.1. punct.1., Gabriel Vasquez, Franciscus Suarez, qui licet cõtrariam huic assertioni opinionẽ tueatur, eam tamen sic limitat, vt apertè fateatur, nihil obstare, quominus vna, vel altera gutta, aut pars aliqua eius sanguinis, qui in passione è mẽbris Christi defluxit, apud nos etiam nunc commoretur. Consensit S. Bonauentura loco anteà citato, vbi, postquam de præputio Christi, quæ iã vidimus, tradidit, mox idem de sanguine Saluatoris asseuerans, *& idem*, inquit, *dicendum est de sanguine*. Tandẽ nostris hisce temporibus, communis est omnium ista opinio; cuius firmamenta esse possunt

Caietanus.

Medina. Valentia. Suarez. Vasquez.

D. Bonauẽtura.

Sanguis Christi totus eiusdẽ substantialis perfectionis est; sed sanguinis tum in circumcisione, cùm in horto effusi non nihil superfuisse nobis in rerum vniuersitate, quę superius prodita sunt, clarè demonstrant, cur non etiam aliquas effusi sanguinis partes in passione idẽ dominus potuit relinquere? Deinde, sanguis non modò pars fuit naturæ humanæ crescentis, sed etiam eiusdem carnis Christi cibus, & alimentũ; at corpori Saluatoris gloria, & immortalitate præstanti nequaquàm opus est siue nutritionis, siue augmenti operatione; ergo illa pars sanguinis in passione effusi, quæ nutritioni erat addicta, nullum potuit in immortalibus Christi membris locum obtine-

Fundamẽta secundæ opinionis.

re, quæ vti decretionis, & mutationis; ita nec augmenti, nec nutritionis operationibus agitari possunt. Posteà si ad recolendam passionis Christi memoriam, nec non ad æternũ argumentũ eius separationis, qua à corpore non modò animus, sed etiam sanguis seiuncta sunt, sacrosanctum altaris mysterium Christus reliquit, cur non etiã ad clarum pro omnium salute effusi sanguinis testimoniũ relinquere in terris debuit partem eius sanguinis, qui peculiari ratione redemptionis opus ad exitum, finemq; perduxit? maximè cum ad rerum diuinarum, salutisq; nostræ contemplanda mysteria ex certa, & ad sensum patenti sanguinis Christi parte excitemur. Quid? an non, & eximiã erga nos Dei charitatem decet, & exigit istud fidelis populi pietas, & religio? Verùm quia hæc, & alia generis huius argumenta topica, & explicatu facillima sunt, fortioribus argumentationibus rem hanc nostram propiùs tangentibus explicare, & comprobare oportet.

CAP. II.

Verum Christi sanguinem in terris esse memoriæ, atq; litteris proditum est.

EX multiplicibus igitur, ac varijs euentibus, immò ex certissimis miraculis sanguinem Christi in terris nunc reperiri, fortior trahi poterit argumentatio hunc in morem confecta. Quotiescunq; Deũ in sui sanguinis testimonium perpetrasse miracula deprehendimus, haud dubiè statim nobis intelligere facillimũ erit, eum

eum ſanguinem diuinis operibus illuſtratum ex vero Saluatoris corpore eſſe profectum, quãdoquidem Deus, qui prima veritas eſt, nec auctor mendacij, nec obfirmator vlla ratione eſſe poteſt; atqui ſanguis, de quo dicere incipiam, clarus vbiq; terrarũ fuit miraculis, atq; prodigijs naturæ virtutem anteuertẽtibus, ergo aliquid ſanguinis expreſſi è corpore dominico nõ vno in loco reperiri dicendum eſt, cum Saluatoris ſanguinem, qui regijs ornamentis, atq; ſplendidiſſimo apparatu Mantuæ aſſeruatur, Deus celebrem reddiderit infinitis propemodum miraculis, de quibus teſtis locuples eſt Saxus ſuperioris ætatis auctor minimè ſpernendus. Res autem huius ſanguinis Chriſti perhibetur in hunc modum. Poſtquam Longinus, qui anteà ſub Pilato Præſide Centurio aduerſus Chriſtum, & mox cœleſti ſpiritu afflatus pro Chriſti confeſſione martyr fuit, demiratus eſt, quæ diuinitus edita fuerant in paſſione Saluatoris miracula, ex ijsdem certam diuinitatis Chriſti fidem hauriens, collegit certam aliquam copiam eius ſanguinis, qui ex percuſſo Saluatoris latere defluxerat, eamque collectam ſpongia, quæ ad os ſitientis domini admota fuerat, in vitreum vaſculum intulit, ſibi clam omni religione deinceps colendam aſſeruans. Verùm quia gliſcente in ſe ipſum iudaicæ gentis inuidia, ac furore paternos lares deſerere coactus eſt, ſecum vas iſtud aſportauit; ac tandem multis peragratis Ciuitatibus, diuino, vt piè creditur, illuſtratu, Mantuam venit, quæ Ciuitas eſt in Inſubria; in qua cum vndequaq; inſidijs, dolis, atq; verſutijs circumueniretur, veritus ne tanti theſauri expers fieret eorum machinationibus, quorum ſtudia, & prauа religio à Chriſti ſemitis, ſanaque doctrina abhorrebant,

Hiſtoria eius ſanguinis Chriſti qui Mãtuæ colitur.

rebant, sanguinem Christi in terræ viscеribus occulit; in quibus nunc D. Andreæ templum conspicitur, ibiq; ad annum salutis nostræ octingentesimum sole ipso splendidior sanguis Christi in tenebris, ac puluere tandiu delituit, quādiu erga Mantuæ incolas paterna charitate motus ipse Vindex salutis nostræ Christus pretiosum sanguinis sui liquorem ostendit ijs, qui sacris præerant; at quia Sacerdotes diuinorum arcanorum nec dum conscij oblatum sibi tanti thesauri mysterium non intelligentes diuina responsa super inuento nec adhuc cognito sanguine expectabant; propterea illorū votis statim aspirās Deus, ea prodigia cepit perpetrare, quæ inuentum liquorem verum Christi sanguinem esse manifestè testabantur, conceptamq; anteà dubitationem ex eorum animis auferrebant penitus. Nam vbi reperti liquoris fama innotuit, omnes occulta quadam cęlestis spiritus virtute commoti aduersa valetudine vtentes adsunt, supplices sacrum liquorem venerantur, ac præsentem opem, diuinumq; auxilium implorant. Et ecce omnium bonorum auctor, ac opifex Deus oculorum aciem cæcis, audiendi vsum captis auribus, atq; exoptatissimam sanitatem cęteris omnibus ægrotantibus liberaliter impartitur, nempè, vt intelligerent, ea omnia miranda, quæ fiebant in ijs ipsis Christi domini meritis inniti, quæ præcipua quadam præcellentia sanguini Saluatoris passim diuina scriptura attribuit, cuius sanguinis pars illa ipsa erat, quam tunc venerabundi, ac religione pleni Mantuæ ciues, & Sacerdotes cōtuebantur. Cum hæc diuinæ munificentiæ collata in mortales beneficia Carolus verè Magnus Imperator fama, & auditione accepisset (totum enim orbē de cęlestibus hisce miraculis fama peragrarat) protinus litteras officij, & humani-

manitatis plenas ad Leonem eius nominis tertium Pontificem Maximum dedit, vtiſe inuenti ſanguinis Chriſti, ac patratorum etiam miraculorum certiorem faceret. Leo acceptis Caroli Magni litteris Roma profectus Mantuam venit; ibiq; diebus aliquot commoratus, vbi exactiſſimam reperti ſanguinis Chriſti, ac prodigiorum, quæ obtigerant, ſcientiam hauſit, ad Imperatorem magnis itineribus contendit (vt ex Annalibus Francorum de vita Caroli Magni habetur) quemadmodum ét idē tradunt Platina de vitis Pontificum, & Alphonſus Ciaconius in vita, ac rebus geſtis Leonis Tertij. Biondus decade 2. lib. 1. Pius II. in epitome ad Biondi hiſtoriam, & alij. Verùm quia Leonis IX. Pontificis, & Henrici III. Imperatoris tēpore à Barbaris vniuerſis Italiæ ciuitatibus, ac præcipuè Mantuæ, quam deuaſtarunt, horrificum, ac nefariū bellū illatum eſt, ſanguis Chriſti olim repertus iterum latuit, ne ab inhumanis illis gentibus Mantua aſportaretur. Mox placatis Italiæ rebus S. Andreas Apoſtolus per quietem cæco, cui nomen Albertus fuerat, ſe ſe offerens, locum, in quo ſanguis Chriſti iacebat, indicauit, qui conſurgēs ſtatim rem, quam per ſomnum audierat, Beatrici, quæ Mantuæ Imperium tenebat, aperuit; illa auditis rebus fidem præſtans, mandat illico in ea parte, in qua latere ſanguinem fuerat demonſtratum, fodi humum, ac inuentum Chriſti liquorem piè adorans honeſtiori in loco collocauit; tunc noua miraculorum, ac cœleſtium donorum varia ſpecies viſa eſt, nouæq; rurſus in omnes diuinę bonitatis gratiæ apparuerunt; de quibus loco anteà indicato conſulendus eſt Saxus. Per ea tempora Leo Pontifex, cui comites erant Imperator, Bonifacius Longobardorum Rex, atq; è ſacro collegio plurimi purpuratorū patrum

Leo Tertius ſanguinem Chriſti veneraturus Mantuam venit.

Annales Francorū.

patrum rursus se se Mantuam contulit, vt sacrum salutis nostræ pignus venerarerur. Hos subsequenti æuo imitati Carolus IV. Imperator, Alexander II., Innocentius II., & Martinus V. Sũmi Pontifices ad hoc pietatis munus peragendum ad eandem se se Ciuitatem contulerunt, in qua etiam nostris hisce tẽporibus in sacris ædibus D. Andreæ Apostoli, quibus Leo IX. nouum sanguinis Christi titulũ fecit, sãguis quotãnis ostẽditur, ea nimirũ die, quo ad astra victor Iesus ascendit. Hic autem sanguis Christi, de quo hactenus, certis quibusdam crystallinis vasculis in formã rotæ mirabiliter efformatis clauditur, aureo circulo septus, nec non catenis pariter aureis vasculum mirè, ac concinnè inuicem nectentibus. Et hæc pauca ex multis sufficiant de eo sanguine Christi, quo Mantua Vrbs iure merito gloriatur; nũc deinceps ea, quæ de sanguine Christi in alijs locis existente alij tradiderunt, videamus.

Nicephorus.

Etenim Nicephorus lib. 1. Ecclesiasticæ historiæ c. 30. emanantem ex prosciſſo Saluatoris latere sanguinem à Deipara Virgine, & á B. Ioanne Apostolo honorificè vasculo fuisse exceptum testatur, dum inquit. *Cum verò metu homicidarum omnes profugissent, sola ibi aderat mater, & quẽ diligebat discipulus, qui omnia, quæ uel antè, vel post mortẽ eius gesta essent oculis ipsi suis spectarunt, sanguinemq; & aquam ex latere eius, quasi adhuc viuentis recens profluentẽ, religiosè simul, & honorificè admodum vasculo acceperunt.* Sic Nicephorus. Nec absimilis admodum est, nec premenda silentio ea notitia sanguinis Christi, nunc apud nos existentis, quã lector capere potest ex ijs, quæ libro 6. reuelationum D. Brigitæ legimus; quo loci mater Saluatoris inducitur Brigitam his vocibus alloquens. *Cum tempus vocationis meæ instaret de hoc mundo, ego ipsam* (hoc est præputij mẽbranam)

Sanguinẽ Christi col legerunt B. Virgo, & Apostolus Ioannes.

Reuelationum B. Brigitæ lib. 6.

nã)cõmendaui S. Ioanni cuſtodi meo,cũ ſanguine illo benedicto, qui remanſit in vulneribus eius, quando depoſuimus de cruce. Poſt S. Ioanne,& ſucceſſoribus eius ſublatis de mundo,creſcente malitia,& perfidia,fideles, qui tunc erant,abſconderunt illa in loco mundiſſimo ſub terra, & diu fuerunt incognita, donec Angelus Dei amicis Dei reuelauit. O Roma,ò Roma,ſi ſcires, gauderes vtiq; immò ſi ſcires flere, fleres inceſſanter,quia habes theſaurum mihi chariſſimum,& non honoras illum; ex quo B. Virginis teſtimonio clarè intelligimus, non modò ſanguinem Chriſti in terris eſſe, ſed etiam Romana in Vrbe reperiri. Proximè ijs adijcienda videntur, quæ de ſanguine Mediatoris ſub Crucis ſtipite collecto antiquiſſima traditione,& creduntur, & etiam à Sylueſtro Prierio in Aurea Roſa q. 31. tract. 3. litteris produntur. Videlicet eum ſanguinem, ſeu potius eam terræ partẽ cruore domini aſperſam,quam paſſionis tempore Magdalena ſub Cruce collegit,ſemel quotãnis, cum in paraſceue paſſionis Chriſti hiſtoria legitur, feruere, ac ebullire, cum nihilominus per reliquum anni ſpatium arida, & deſiccata penitus videatur apud S. Maximinum. Sed audiamus modo Sylueſtrum, qui ſanguinem S. Ianuarij,qui Neapolicolitur,docens ebullire, cum ad caput eiuſdem Sancti admouetur,hæc ad rem noſtram ſubdit his verbis.

Mirandũ ſanguinis Chriſti prodigium.

Apud S. Maximinum ſanguis Chriſti.

Sylueſter.

Et idem videtur de ſanguine à Magdalena ſub Cruce cũ terra collecto,qui ſingulis annis in paraſceue perlecta paſſione ebullit, vt omnes aſſerunt in S. Maximino, cum reliquo tempore videatur in terra deſiccatus.

Audio præterea, nec non ex tranſmiſſis ad me litteris clarè intelligo certam veri cruoris Chriſti portionẽ aſſeruari in Vvcingartenſi Cœnobio apud Germanos, quã multis editis miraculis á Deo fuiſſe illuſtratã teſtes ſunt

Vvcingartenſi in Cœnobio portio ſanguinis Chriſti.

ij omnes, qui eas regiones colunt.

Apud Venetos sanguinis Christi reperitur.

Illud etiam memorabile est huiusce rei argumentum simul,& experimentum,de quo iurè Veneti exultant, nã exhibent illi eo sanctioris hebdomadæ die, quo crudelissimos Christi cruciatus,& mortem recolit Ecclesia,omnibus contemplandam duplicis sanguinis Xpi substãtiã; alteram miraculosam; alterã veri sanguinis Christi portionem naturalem,quam pretiosam illi dicũt; propterea quod illa ex percussa olim imagine Christi diuinitus;hęc verò ex sauciato Saluatoris corpore emanarit.

Sacra Syndon.

Quòd si alia huiusce rei testimonia quæras, meditare quæso sacram syndonem,in qua obuolutum Saluatoris nostri corpus tridui tempore iacuit in sepulcro,quæ nũc est apud Sabaudiæ Ducem, & spõtè sanguinis dominici partes in eadem fuisse derelictas fateberis; nam sanguine depicta totius corporis Christi,ac expressa in eadẽ effigies ita clarè cernitur, ac si ob oculos versaretur excarnificata eiusdem Saluatoris natura;immò vestigijs ducibus sanguinis in ea impressi,quæ inter theologos de vulnerum forma,de corporis Christi lõgitudine, ac figura, de verberum multiplicitate,de clauorum numero,de forma spinei serti diu agitabantur, satis clarè patuerunt, vt testantur non solum ij, qui ad visendam sacram syndonem religionis gratia Taurinum quotannis properant, verum ẽt Alphonsus Palleotus in libris de sacra syndone confectis disertè probat,atq; ostendit. Mitto nũc in prę-

Duplex Syndon.

sens aliam syndonem apud Treuirenses populos existẽtem hic tibi recensere, quæ non secus, atq; prior sacro cruore tincta, atq; pluribus designata sanguinis Christi notis omnibus magna earum gentium deuotione certis anni diebus ostenditur. Sed quid plura? huiusce veritatis

testis

teſtis eſt ea ipſa colũna, cui vinculis adſtrictus Saluator adhæſit, cum flagello plecteretur, quæ etiam nunc diuino cruore Chriſti imbuta eſt, quemadmodum S. Hieron. teſtatur in Epitaphio Paulæ num. 20. cum inquit; *oſtendebatur illi columna Eccleſiæ porticum ſuſtinens infecta cruore domini, ad quam vinctus dicitur, & flagellatus.* Adſerit hoc idem diræ lanceæ ferrum ſimili cruore tinctum. Nec non teſtatur iſtud ſcala ſanguine Chriſti non ſemel madefacta, quæ Romæ oſtenditur. Ad hæc, quid memorem relicti ſanguinis certa indicia deprehendi in dominica veſte conſutili, quam poſt affixum Cruci Saluatorem talis inter ſe ſortiti ſunt quatuor carnifices; etenim in ea veſtis parte, quæ ad Saluatoris genua protendebatur licet animaduertere expreſſam cruoris Chriſti ſubſtantiam, quæ toto paſſionis decurſu ad ima veſtimentorum Ieſu perpetuo fluxu decurrebat. Porrò hæc veſtis, ſi Gregorio Thuronenſi fidem accomodare libet olim diu cõſeruata eſt in Ciuitate quadam Galatheæ in eo templo, quod ad Sanctos Archãgelos appellatur. Sic enim ſcribit de miraculis lib. 1. c. 8. de tunica Chriſti loquens. *De hac verò immaculati agni tunica, quæ à quibuſdam audiui ſilere nequeo, ferunt autem in Ciuitate Galatheæ in baſilica, quæ ad Sanctos Archãgelos vocitatur, retineri. Eſt enim hæc Ciuitas ab Vrbe Conſtantinopolitana, quaſi millibus centum quinquaginta diſtans, in qua baſilica eſt exypta abditiſſima, ibiq; in arca lignea hoc veſtimentum habetur incluſum, quæ arca à deuotis, atque fidelibus cum ſumma diligentia adoratur non immerito digna, quæ hoc veſtimentum retinet, quod dominicum corpus vel contingere meruit, vel velare.* His vero temporibus Treuirorũ haberi hanc Saluatoris veſtem intelligo ex ijs, qui eam ſæpius religionis gratia venerati ſunt, atq; oculis ſuis cõ-

Columna ſanguine Chriſti imbuta.

Veſtis Chriſti conſutilis tincta eſt cruore.

Vbi nunc reperiatur.

Spina duplex tincta cruore dominico.

ſpexerunt. Ad extremum, vt ſemel finiam, quid quatuor claui, quid ſpina, quæ ſacras Chriſti ceruices transfodit, Rechanati piè cuſtodita, quid ea pariter, qua Gallię regis ſacellum fulget, & quam familiæ Dominicanæ patres Vincentiæ ſummis celebrant honoribus; Quid imbuta ſanguine duo ſudaria: alterum Saluatoris faciei ſanguine, & ſudore aſperſæ à Veronica, ſeu Berenice admotum: alterum, quo caput Dñi in ſepulchro iacuit inuolutum, quidq; tandem apud Gallos in Eccleſia minorum collectus, ac religiosè cuſtoditus cruor domini tacita quadam voce clamant, quam in hac rerum vniuerſitate, effuſi ſanguis aliquid nobis diuinitus eſſe relictum?

CAP. III.

Quid de allatis hiſtorijs cenſendum ſit.

AT enim quia ex tactis hactenus de ſanguine Xpi hiſtorijs confectum argumẽtum, plus mihi ſem per probare viſum eſt, quam oporteat; hoc loco poſſet quiſpiam iudicij mei calculum expectare, quo lectori ſignificem, quid ſentiam de certitudine, ac veritate earum rerum, quæ prȩcedenti capite tradita ſunt. Etenim ſicut ex allatis de ſanguine Chriſti hiſtorijs certam mihi elicere poſſe videor aſſertionem, qua omninò defendam, non nihil effuſi etiam in paſſione ſanguinis Chriſti apud nos remanſiſſe; ita facilè adduci nõ poſſum, vt aſſentiar, tantam effuſi ſanguinis copiam, qualis ea eſſe conuincitur ex ijs, quæ hactenus tradita ſunt, in Chriſto à mortuis reſurgente potuiſſe deſiderari, abſq; certo reuiuiſcentis naturæ Chriſti detrimento abſolutæ corporis Chriſti perfectioni repugnante. Verùm quia & difficili in loco verſor, & optimè teneo difficile factu eſſe, vt ſatisfaciam ijs

omnibus,

omnibus, qui de vero ſanguine Chriſti gloriantur, cum (vti commune fert prouerbium) ſuum vnicuiq; pulchrũ ſit, & res iſta certo nequeat dirimi iudicio, propterea tãtummodo de allatis ſuperioris ſententiæ firmamẽtis tutè pronunciare poſſum, eam omnem ſanguinis copiam haud potuiſſe ex ſacratis Chriſti venis proficiſci; qñquidem ex eo neceſſaria argumentatione conficeretur, defectuoſam, nimioq; ſanguine deſtitutam conſurrexiſſe Saluatoris noſtri naturam; cui licet non tanta ſanguinis copia neceſſe eſſet, quantæ particeps ante paſſionem fuerat, poſtulante iſtud glorioſi corporis natura (quæ cum non amplius victura ſit vitam animalem eo ſanguine non eget, qui muneri reſolutę carnis deſeruiebat;) ea nihilominus quantitas cruoris, quã ſuperiori capite recenſuimus, ſine dubio copiam excedit eius ſanguinis, qui citrà imperfectionem, ac defectũ immortalis corporis in rerum vniuerſitate relinqui potuit. Quid? vix, ac ne vix quidem grauiſſimi doctrina, & auctoritate Theologi doctores, ne fortaſſis perfectioni corporis Chriſti aliquod detrimentum inferant, verentur concedere non nihil cruoris effuſi in paſſione extra venas corporis Chriſti iacere nũc apud mortales; & prudens quiſpiam inducet animũ ſuũ credere, tot vaſcula ſacro cruore domini referta nunc etiam in terris reperiri? Rectè igitur de his, qui primo intuitu omnem eum cruorem eſſe ex vero Saluatoris ſanguine nimis ſecurè iactant, cum ſapiente affirmari poteſt illa inſignis ſententia; *Qui cito credit leuis eſt corde*, cũ iſtud opinari, neq; recta ratio ſuadeat, neq; congruens Chriſti reparatio patiatur; quare licet non ſit meæ mẽtis, temeritatis, aut leuitatis notam inurere pijs, ac religioſis ijs mentibus, quæ ſacrum, ubicunq; reperiatur, cruorẽ, de-

uotè,

uotè colunt,cum & miraculoſus ét,& ex imagine,& hoſtia effuſus liquor religioſo cultu dignus ſit ; eos tamen monitos velim,vt caueant totũ id ſanguinis, tamquã verum,& naturalem corporis Chriſti ſanguinem arbitrari,ne dum vel charitatis,vel religionis,vel deuotionis affectus quæritur,manifeſta Saluatoris corpori iniuria inuratur, dum videlicet expertem faciunt Saluatorem eius rei, quæ ad perfectam ſui rationem iuſta ratione exigitur. Et hæc pauca dicta ſint de omni eo ſanguine,qui plerisq; locorum verus Chriſti cruor eſſe vulgò creditur.

Sanguis Mantuæ aſſeruatus verus Chriſti ſanguis.

Quòd ſi vlterius curioſitate compulſus quærat alter, quid ego iudicem de eo ſanguine, qui Mantua in Vrbe colitur, ſit nec ne ex ea ipſa veri ſanguinis ſubſtantia,quę ſemel in dominicis venis requieuit, fretus teſtimonijs præſtantiſſimorum virorum; reſpondeo ei hunc honorẽ tribui poſſe,quod nempe ea fuerit,ex vera,& propria Saluatoris noſtri materia,quę prędita olim ſanguinis forma ex contactu,atq; conſociatione corporis Chriſti cum diuinitate iuſtiſſimum fuerit redemptionis noſtræ pretiũ. Præterea eum verum eſſe ſanguinem Chriſti docet in primis non ſolùm antiquiſſima fama,& traditio, verúm ét clarè confirmat hiſtoria hac de re ſuperius recenſita, velut Mantuanæ Chronicæ auctor,atq; in eiuſdem Ciuitatis hiſtoriam ſupplementum teſtantur, cum quibus communis omnium conſentit opinio. Enim verò ad iſtud credendum inuitant nos ea, quæ ſæpiſſime in huius ſanguinis veritatem edita ſunt miracula. Inſuper pręſens opinio corroborari poteſt ſanctione,atq; Decreto Leonis Tertij Pontificis Maximi,qui auctoritate ſua ſtatuit,eum cruorem veram eſſe ſanguinis Chriſti ſubſtantiam; huius aũt Pontificię ſanctionis teſtem proferram in medium Platinam

tinam de vitis, ac geſtis Pontificum, cuius in vita Leonis hæc ſunt verba. *At Leo cum ſeditionibus ſemper vexaretur ab Vrbe diſcedens Mantuam proficiſcitur, ad viſendũ Chriſti ſanguinem, qui tum miraculis magno in pretio erat. Is autem à Mantuanis perbenignè ſuſceptus approbato Chriſti ſanguine ob frequentia miracula ad Carolum proficiſcitur, vt hominem veritatis cognoſcendæ cupidum eius rei certiorem faceret.* Hactenus Platina; à cuius opinione etſi diſceſſerit Alphõſus Ciaconius de Vitis Pontificum, docẽs, miraculoſum dũtaxat eum eſſe ſanguinem, qui Mantuæ reperitur, eo ꝙ miraculosè effluxerit ex percuſſa olim à Iudæis imagine Chriſti, de qua S. Athanaſius mira ſcripſit; falſus tamen ſua opinione eſt Ciaconius, cum ei nulla vel hiſtoria, vel probabilis ratio, præter nudã aſſeuerationem, ſuffragetur. Immò, eius opinionem omnino redarguunt ea, quæ Cæſar Baronius vir eruditiſſimus, cui omnes litterarum ſtudioſi non parum debent ad annum Chriſti 804. prodidit ad hunc modum ſcribens. *Cæterum quod ad ſanguinem Chriſti pertinet, re multum examinata, inuẽtus eſt, & comprobatus ille fuiſſe, qui ex Chriſti corpore fluxit tempore paſſionis eius; nõ autem ille, qui Berythi ex ſacra Crucifixi imagine fluxerat, de qua veritate extare dicuntur ſacra diplomata Romanorum Pontificum, vt de his non ſit amplius dubitandũ;* ſic Baronius, qui licet litteras Apoſtolicas ſe non vidiſſe ſtatim ſubiungat, illud tamen nulli mirum accidere poteſt, cum nimis arduum ſit opus, omnia ad vnius ſcriptoris manus potuiſſe deuenire, maximè ſi ſint ordinis earum rerum, quæ ne intereant ſumma induſtria, atq; ſollicitudine priuatis in locis cuſtodiuntur, quales ſunt hæ ſummi Pontificis epiſtolæ, quarum exemplar Mantuę hiſce etiam temporibus conſeruari à pluribus audio. Illud

Platina teſtimonium.

Opinio Ciaconij non approbanda.

Verior Cæſaris Baronij opinio.

etiam

etiam certissimè constat, ad fouendam erga sacratissimũ hunc sanguinem Christi pietatem, varijs ecclesiastici thesauri opibus, & priuilegijs omnes vtriusq; sexus fideles à summis Pontificibus cumulari, qui eo die, quo ad regnũ Christus redijt, templum D. Andreæ nouo sanguinis Christi nomine insignitum venerabundi inuisunt. Ad extremum, huiusce veritatis non est debile argumentum, quòd ijs ipsis temporibus, quibus diuino munere cęleste pignus repertum est, ferrea simul quædam ac vetustissima tabella apparuerit, in qua cælata hæc ipsa verba leguntur, *Sanguis Christi Iesu*, vt fide digniſsimi scriptores referunt. Supereſſet etiam de reliquo ſanguine, qui alibi reperitur, idẽ in præſens ſcrutari, ſit nec ne videlicet verus dominici corporis, an verò miraculoſus percuſſæ imaginis Chriſti cruor. At quia non eſt iſtud operis mei, vereorq; prætereà ne exponendo quid putem, offendam eorum animos, qui inueteratam de cruore mentem, & opinionem nulla ratione exuere cogitant, propterea ne aut odium, aut certè inuidiæ non diſſimilem offenſionẽ conflare mihi ipſi videar, hanc quæſtionem in præteritis relictam eſſe volo.

CAP. IV.

Obiectis rationibus respondetur.

CAeterùm quia, ex his omnibus manifeſtè colligitur, verum Saluatoris noſtri ſanguinem in terris nunc etiam reſeruari, æquum eſt, vt his argumentationibus, quę ad oppoſitum lectorem trahere videtur, ſatisfaciamus. Verùm, quia haud difficilem habent explicatum, breuiter prima argumentatio ſic diſſoluitur. Cum Saluator ea verba protulit. *Si exaltatus fuero à terra*

Ad primã.

in via

omnia traham ad me ipſum, non de attractione in vnitatem perſonæ, ſed in dignitatem, gloriã, atq; diuinæ beatitatis ſplendorem, & excellentiam intellexit, aliter quæ Saluatoris naturæ haud conueniunt, ad corpus Chriſti adducenda forent, quod ſtultum omnino eſſet arbitrari. Præterea, ſi faciamus teſtimonium illud de corporea ad ſe ipſum reductione accipiendum eſſe; tũc trahet omnia ad ſe ſecundum ſpetiem, non autem ſecundum materiam conſiderata, vt alibi declarauimus. Vel certè, quod non longius abeſt à priori reſpondendi ratione; particula, *omnia*, ſumitur pro generibus ſingulorum, quæ nihilominus rectæ glorioſi corporis conſtitutioni non aduerſantur; non autem pro ſingulis generum.

Ad ſecundam. Etſi nihil in corpore dominico reperiretur ſuperuacaneum, hoc eſt, immoderatum, quodq; naturæ Saluatoris compoſitioni officeret, fuit tamẽ aliqua pars ſanguinis ſuperuacanea, ſine qua videlicet ſacrata corporis dominici cum poſitio, & abſoluta perfectio potuit integerrima perdurare.

Ad tertiam. Peculiari quidem ratione acceptam hominum reparationem referimus ſanguini effuſo in paſſione; at quænam hinc neceſſitas colligitur, vt ea omnis effuſi ſanguinis copia vnionis corporis Chriſti particeps perpetuò foret? immò, ſi rectè ſapimus, congruum fuit, vt in terris pars aliqua ſanguinis viſu corporato attingenda nobis relinqueretur, in aptũ exhibitæ paſſionis ſignũ.

Quarta argumentatio ducta ex auctoritate S. Pauli in ep. 3. ad Eph., pro exploratis, ac certis aſſumit, quæ in litem veniunt. Etenim non omnem creaturæ rationalis ſanguinem eſſe ex putredine excitãdum, multo tutius affirmari poteſt, quam idem de ſanguine Chriſti aſſeratur,

& nihilominus sanguinem Mediatoris in resurrectione non totum ad solita naturę vasa se se recepisse primarum partium Theologi tuentur, atq; defendunr.

Ad quintam. Reparandum esse rursus in resurrectione Christi sanguinẽ diuino tactus afflatu regius vates prodidit quidem, vt omnes Theologi testantur, colligentes in illis verbis. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionẽ*, & rursus, *quæ vtilitas in sanguine meo, si descendero in æternã corruptionem*, colligentes inquam nullam sanguinis Xpi partem, quæ postmodum reparanda erat, computruisse; at nihil impedit post completum resurrectionis Sacramentum, quominus relictus sanguis Christi apud nos mortales suæ formæ iacturam fecerit, vti infra latius demonstrabitur.

Tandẽ argumentũ ꝙ ex S. Thomæ testimonio producitur, clarè ostendam, cum ad mentem eiusdem Angelici Doctoris enucleatius explorandam deuenero, aduersus opinionem nostram non pugnare.

CAP. V.

An cũ fide catholica pugnaret is, qui nihil veri sanguinis Christi apud mortales remansisse, arbitraretur.

PRæsentem disputationem illud ingerit, quod superiori capite ex Platina productum est testimoniũ. Nam si à Summo Pontifice, Leone Tertio repertũ Mantua in Vrbe cruorem Saluatoris nostri naturalem sanguinem esse, statutum est, iam clarè conuincitur ad fidei catholicę dogmata pertinere, assentiri ijs, quæ hactenus tradita sunt de sanguine Christi in terris reseruato, cũ ea, quæ ab Ecclesię capite Pontifice Romano decreta sũt citrà errorem numquàm in dubiũ reuocare liceat, aut ꝙ

turpius

turpius eſſet, inficiari. Sed quia præſens dubitandi occaſio oritur de eo ſanguine tantúm, qui Mantuæ aſſeruatur, inquiramus, ſi placet, amplioris doctrinæ gratia abſolutè; Vtrùm orthodoxæ fidei repugnet aſſeuerare, nullam veri ſanguinis Chriſti partem fuiſſe in terris à Chriſto reſurgente relictam.

Cardinalis S. Petri ad Vin. veritate vltima, dum oppoſitis argumentationibus reſpondet, putat eum non carere hæreſis labe, qui pugnaciter, & præfractè defenderet nihil veri ſanguinis Chriſti in hac ſublunari machina rerum comperiri. Porrò in hanc ſententiam ductus eſt vir iſte teſtimonio Pij II. Eccleſiaſticarum rerum Sũmi Moderatoris, qui olim ſuis Apoſtolicis litteris ſanguinẽ dominicum in terris eſſe docuit hunc in modum loquens. *Petitio exhibita continebat, quod licet tanto tempore, cuius memoria nõ extitit in Eccleſia dictæ domus, vt piè creditur, quædã portioncula prctioſi ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti in ligno Crucis pro redẽptione humani generis ſalubriter effuſi etc.* & mox, *Nos igitur, qui de prædictis certam notitiam habemus attendentes, quod veritati fidei nullatenus repugnat affirmare Redemptorem noſtrum ex ſanguine præfato ob ipſius paſſionis memoriam, aliquam partem in terris reliquiſſe.* Hactenus ex Bulla Pij II. quã refert Sylueſter citatis anteà locis. Suadet iſtud præterea, q̃ lib. 6. c. 112. fuiſſe B. Brigitæ à Deipara Virgine reuelatũ vidimus; ac tandẽ huc ſpectat Leonis III. confirmatio, quę huius quęſtionis pertractandæ cauſam dedit.

Epiſtola, quam miſit ad Abbatem Monaſterij S. Mariæ Santonenſis Diœceſis.

Ex aduerſo tamen alij nõ ſolùm in oppoſitam ſentẽtiam abiêre, ſed etiam ſuperiorem ſententiã omnis planè erroris expertem non faciunt, docentes à recta fidei doctrina exorbitare eos, qui aliquam veri ſanguinis Chriſti

portionem in terris remansisse affirmant. Porrò auctorē huius opinionis fuisse Ioannem de Poliaco, ea, quæ apud Turrecrematam in c. inuitat de celebratione missarum dist. 2. leguntur, apertè significant. Cuius opinionē si lector meditetur, videbit, asseruisse Poliacum, posse quidē latriæ cultu sanguinem in Ecclesijs nunc asseruatū adorari, non propter se, sed propter Christum, cuius naturā, & passionem exprimit; at sine errore asseri non posse, id cruoris ex corpore dominico profluxisse. Poliacus.

Scio non paucos recentiorum Theologorum Turrecrematam huius opinionis auctorem appellare; verū, ni opinio Poliaci expressa sententia sit Turrecrematę, haud video, qua ratione hanc illi assertionem affigant, cum ipse plenum Angelici Doctoris articulum quodlibeti 5. a. 3. eodē capite Inuitat referens dist. 2. hæc addat, quæ sine dubio eum prioris sententię, etiam iuxta Angelicam doctrinam, fuisse comprobatorem conuincunt; cū inquit. *Addit autē S. Thomas in quodlibeto, uel alias, ex corpore Christi, ita quod non videtur inconueniens, quod de sanguine nutrimentali Christi, ideſt, qui ex cibis in Christo generatus est, aliquid dicatur in terris remansisse.* Sic Turrecremata, qui solius Angelici Doctoris sententię contentus, nihil de suo adducit ad prędsentem quęstionem dirimendam.

Syluester familiari, ac trita illa sanguinis toties repetita distinctione in nutrimentalem nimirum, & vitalem, sine fidei iniuria defendi non posse autumat, aliquid vitalis sanguinis Christi, quem salubrem appellat, in terris remansisse. Talem autem huius Doctoris opinionem esse ex appositis suis principijs clarè mihi videor colligere posse; Etenim, sicuti pluribus in medium prolatis omni studio, sanguinem nutrimentalem, seu quod apud illum

idem

idem omnino vallet, ſanguinem ſalubriter effuſum nunc in terris eſſe contendit; ſic è regione, cum tamquam fidei Chriſtianæ reum damnat, qui vitalis ſanguinis aliquid reſurgenti Chriſto defuiſſe aſſerit. Inanem hanc (quamuis apud plerosq; vſitatã) de ſanguine Chriſti diſtinctionẽ quoniam alibi ſæpius refutauimus, ea dũtaxat in præſens adducenda erunt firmamenta, quæ Syluestri ſententiam, quatenus cum Poliaci opinione conuenit, corroborare poſſe videntur. Et in primis quidem, pro hac opinione facit, q; S. Athanaſius prodidit in libro de paſſione imaginis domini c. 7., vbi poſt enarratam Iudaici facinoris ſeriem, de qua nos 4. libro diximus, apertè teſtatur, nullũ alium ſanguinem, qui in terris remanſerit, reperiri poſſe præter eũ, qui ex percuſſa imagine Chriſti profluxit; neq; eſſe vllo modo opinandum, aliquid veri cruoris Chriſti è dominico corpore ſeparatum dari poſſe. *Hic eſt*, inquit Athanaſius de ſanguine ex imagine cadente loquens; *Sanguis ille dominicus, qui apud plerosq; repertus eſſe dicitur, nec eſſe aliter exiſtimãdum eſt à verè catholicis, præter id, quod ſcribitur à nobis, quaſi ex carne, et ſanguine Chriſti aliquid poſſit in mundo reperiri, niſi illud, quod in ara altaris per manus Sacerdotum, quotidie ſpiritualiter efficitur*; hæc autẽ S. Athanaſij auctoritas cum approbata fuerit in ſeptima Synodo generali Nicęna actione 4. maximi debet eſſe ponderis, & momẽti, immò inſtar definitæ, ac ſancitę veritatis. Amplius, eſt fidei catholicę certiſſimum dogma reſurgẽtis Chriſti naturam perfectiſſimam, atq; integerrimam fuiſſe; at quę humorum corporis Chriſti eſſe potuit integritas, & abſoluta perfectio, ſi ſanguinis magna ſubſecuta iactura eſt? Poſtremò, vis earum rationum, quas Angelicus Doctor contexuit, ad perſuadendum nihil ſanguinis

S. Athanaſius.

guinis Christi apud nos remansisse ad istud trahunt.

Auctoris opinio. Verùm huic ego opinioni nō arbitror esse subscribēdū firmissimè credēs neminem fidei præcepto teneri ad præstandum siue affirmanti, siue neganti potius opinioni assensum. Etenim quamuis planè verum, omninoq; exploratum esse putem, nonnullas veri cruoris Christi partes apud nos remansisse, nihilominus istud haud puto ratum fidei certitudine, sed Theologica duntaxat, itaut fas vnicuiq; ac liberum sit sine aliquo erroris periculo, quidquid placuerit, hac de re opinari, cum nulla Conciliorum, aut Summorum Pōtificum statuta horum aliquid, tamquàm de fide, tenendum esse decernant. Quare cum nulla alia Patrum, aut Conciliorum testimonia adferri possint, quæ duabus hisce contrarijs opinionibus suffragentur, quam citata, profectò cum hæc neminē cogere possint ad cōplectendum, vti fidei articulum, id, ad quod comprobandum inducuntur; iam nemo non videt, tutissimam esse assertionem nostram. Quocirca superest tantùm, vt videamus, quo modo allata in vtriusq; sententię confirmationem argumenta, accipienda, atq; intelligenda sint.

Ad primū pro Cardinalis S. Petri ad Vincula opinione respondeo. Non fuisse sanguinem Mantuæ existentem tamquam verum Christi domini cruorem à Leone III. confirmatum, sed solummodo illa Pontificis confirmatio, de qua Platina loquitur, fuit certa quædam approbatio inuenti liquoris, qua decreuit Summus Antistes, eum sanguinem esse veneratione, ac reuerentia dignum, possęq; pręterea à fidelibus citrà vllam diuini iuris, vt ita loquar, læsionem, coli; immò etiam pium videri, eum cruorem ex verò Saluatoris corpore profluxisse, vti testes sūt á Deo perpetrata miracula; neq; quidquam vlterius de-

cerne

cerne voluit Pontifex gnarus huiuſce quęſtionis, quæ illis etiam temporibus dubia, & anceps erat apud doctiſſimũ quemq́; Theologicæ ſcientiæ profeſſorem.

Plus verò, quam par eſt ex diplomate Pij Pontificis II. & quam verba ipſa, mensq́; Pontificis patiantur, in ſuæ opinionis patrocinium collegit Cardinalis S. Petri ad Vin.; Nam cum Pontificiæ litteræ non niſi ad veritatem, atq́; verborum proprietatem explicandæ ſint; quam ob cauſam Cardinalis iſte hæreſis notam inurit negantibus verã ſanguinis Chriſti ſubſtantiam in terris reperiri, cum ad ſummum ex Pij Secundi diplomate intelligatur, eũ fidei contemptorem, trãſgreſſoremq́; habendũ non eſſe, qui aliquid veri cruoris dixerit in rerum vniuerſitate à Chriſto fuiſſe relictum; hucenim verba illa ſpectant. *Nos attendentes, quod veritati fidei nullatenus repugnat affirmare, redemptorem noſtrum de ſanguine præfato ob ipſius paſſionis memoriam aliquam partem in terris reliquiſſe.* At longè aliud eſt, maximũq́; diſcrimen intercedit, inter, non repugnare fidei dogmatibus aliquid ſanguinis eſſe apud nos, & fidei articulum eſſe ſanguinem Chriſti in terris reperiri.

Quod autem ad B. Brigitę reuelationem ſpectat, & ſi ea maximi ſit ponderis, attamen nõ tãti, tamq́; efficacis cẽ ſenda eſt, vt ab ea diſcedere impiũ, ac irreligioſũ fuerit, & hæc ſatis ſint aduerſus Card. S. Pet. ad Vin. opinionem.

Nam quæ pro Poliaci, & Sylueſtri ſententia pugnant, hunc in modum ſoluere, haud fuerit operoſum; ſiquidem aſſerere falli, & errare eos, qui arbitrantur ſanguinem in Eccleſijs cuſtoditum verum eſſe Saluatoiis noſtri cruorẽ, atq́; ſuæ aſſertionis nullum vel leuiſſimum rationis momentum aſſignare, vt facit Poliacus, res inanis, ne dicam ridicula, videtur. Ita ne hos á fide catholica deficere cenſebimus,

sebimus, soloq; Poliaci testimonio persuasi, D. Bonauenturam, cæterosq; omnes, qui in oppositam opinionem inclinarunt, non benè, vt fidelem virum decet, de sanguine Christi sensisse putabimus?

Neq; sollicitus debet esse quispiam de adducto ex Synodo Generali S. Athanasij testimonio, non solùm quia probabilis, ac vera propemodum opinio est, eã de percussa Saluatoris imagine historiam non fuisse Magni illius Athanasij, cuius præclarissima extant per totam Ecclesiam monumenta; sed alterius doctoris, qui eodem nomine Athanasij appellaretur, vti graues scriptores tradunt; verùm etiam quia, esto faciamus, illũ ipsum fuisse S. Matris Ecclesiæ doctorem Athanasium, haud tamen vnius S. Patris auctoritas, ni in idem omnes, vel plurimi consentiant, ad rem tamquàm de fide stabiliẽdam, sufficiẽs esse potest, præsertim in ea re, in qua celeberrimi Doctores Theologi in contrarias sententias abripiũtur; neq; præterea approbatio in septima Synodo generali facta censenda est cadere in totũ, ac singulas eius historiæ partes, sed quadrat in solam historiam perfossæ, atq; ictibus dilaceratæ imaginis Christi, ex qua ingens sanguinis copia erupit; velut ex contextu ipso cernitur, quandoquidẽ patres illi solùm receperunt conscriptam ab Athanasio historiam. Quamquam forta ssis ea esse posset explicatio verborum Athanasij *Nulla potest esse vera caro, nec verus sanguis Christi in terris*, qui videlicet, sub vera carnis, & sanguinis forma sua connaturali adhuc reperiatur, non autem, quod aliqua pars materiæ olim veri sanguinis Christi nequeat apud nos remanere.

De eo, quod in secunda argumentatione tangitur, nõ prorsus inuolutè disseruimus, dũ de sanguine in horto, &

pas-

paſſione effuſo quæſtio eſſet; neq; enim parua ſanguinis quantitas à corpore Chriſti reſurgentis ſeiuncta abſolutiſſimæ glorioſi corporis perfectioni officere potuit, cum non moraliter tantùm, ſed & phyſicè etiam homo perfectus intelligatur, etiamſi in eo minutæ quædam ſanguinis partes haud reperiantur, à quibus neq; habitus, neq; pfectio, neq; figura corporis glorioſi proficiſcũtur.

Ad extremum rationes Angelici Doctoris minimè conuincunt, quod ad præſentem opinionem comprobãdam neceſſarium eſt; ſed de his cum ad deſtinatum locum venero latius.

CAP. VI.

Num ſanguini Saluatoris ad nunc etiam in terris exiſtenti ſit vnita diuinitas.

Prima ſententia.

GRegorius de Valentia 3. p. diſp. 1. q. 5. puncto 1. opinatur exiſtenti in terris ſanguini etiam nunc vnitam eſſe diuinitatem, eiq; integram remanſiſſe hypoſtaticam vnionem, cuius particeps factus fuerat ſanguis ſub initium conceptionis Chriſti. Nam docens immobilem diuinitatis vnionem cum corpore, & anima Saluatoris perſtitiſſe, quamuis ea ſeparata forent in triduo, ſtatim ſubdit, ſimilem, ac permanentem diuinitatis nexum ſanguini accenſens. *Ita etiã ſanguis vbicunq; fuerit, vel ſit* (verbo Diuino eſt copulatus) *quo ſit, vt vbiq; debeat affici cultu latriæ.* Sic Valentia, cuius, quæ fuerint firmamenta, haud facilè conijcere poſſum, cum is nullum huiuſce opinationis ſuæ fundamentum attulerit; niſi fortaſſis ad inſtar præcipui, ac vnici firmamenti eſſe voluerit illud, quod de immobilitate vnionis hypoſtaticę, atq; de cultu latriæ ſanguini Saluatoris exhibendo innuit; q

hunc in modum contexere possumus. Latriæ cultus aut soli Deo, aut ei, inter quem, & Deum ipsum summa, & substantialis vnio intercedit attribui potest, atqui sanguinem in terris existentem latriæ honore affici consueuisse constat, ei igitur vnita sit diuinitas, necesse est, qñquidē sanguis Deus ipse per essentiam, aut naturam esse nullo modo potest. Præterea illud etiam in Valentię opinionis corroborationem adduci posse video; quod sic habet. Hypostatica vnio, virtute cuius Verbum diuinū naturā humanam, eiusq; partes omnes sibi intimè copulauit, eiusdem ordinis, rationis, & perfectionis est, at Diuinitas separatis inter se totius naturæ partibus, corpore videlicet, & anima vnita remansit, ergo Verbum eandem Diuinitatis vnionem in separato sanguine retinere debuit, aliter diuersæ naturæ, variæq; rationis fuissent hypostaticæ vnionis partiales nexus, quibus Verbum diuinum corpus, & animam ex vna parte, & sanguinem ex alia ad se traxit. Postea, si explicandæ huiusce rei causa, faciamus á die obitus Christi ad extremam vsq; iudicij diem corpus Mediatoris nostri suo animo, ex hypothesi fuisse cariturum, sicuti nobis mortalibus re ipsa eueniet, non ideò tamen dissoluendam fuisse è partibus corporis Xpi Verbi diuini vnionem credendum est, ergo pari proportione non ideo censendus est sanguis Christi hypostaticę vnionis expers, etiam si ille nunc in terris existat longè à venis Christi, atq; à corpore dominico separatus. Deindè vnio hypostatica omnium vnionum perfectissima, ac eminentissima vnio est, vti alias probauimus ex sententia Sanctorum Patrum, perfectio autem vnionis in eo maximè sita est, vt immobiliter id afficiat, in quo iam peracta est. Amplius quidquid corrūpitur, aut certè dis-

soluitur

ſoluitur à contrario,& oppoſito corruptionis, & diſſolu tionis patitur detrimentum ; at quid Verbo Diuino ſanguini vnito contrarium eſſe poteſt ? cum nulli naturalis agentis operationi quoquomodo obiecta eſse poſsit diuinitas? Ad extremum fauet præſenti ſententiæ celebris illa Sanctorum Damaſceni, & Anſelmi ſententia vulgò apud Theologos omnes receptiſſima ; *Quod ſemel Verbū aſſumpſit numquàm dimiſit*, aſſumpſiſſe verò ſanguinem filium Dei haud ambigi poteſt ex ijs, quæ libro ſecundo docuimus; nam licet ab hoc abſoluto Sanctorum Patrū teſtimonio excipiẽdæ ſint partes, quę ad nihilum redactę ſunt virtute enutrientis facultatis, quæ tamẽ in ſua ſubſtantia remanent, haud meritò ab hac communi regula ſecerni poſſunt, præcipuè cum ea res, cui adnexa fuit diuinitas, omnimodam non patiatur naturæ ſuæ conſumptionẽ, vt in ſanguine Chriſti in terris exiſtẽte cernitur. *Communis opinio.*

E diuerſo tamen Theologorum conſtans, perpetuaq; ſententia fuit Saluatoris ſanguinem in orbe terrarum exiſtentem vnione hypoſtatica Verbi penitus vacuum eſse; Et in hanc ſentẽtiam intelligo ea, quæ Durandus. 4. ſent. d. 10. n. 10. Toſtatus paradox. 2. c. 40. & Gabriel Biel in canonem lectione 53. prodiderunt, qui non ſolùm ſeparato ſanguini, ſed neq; eidem coniuncto corpori Saluatoris vnionem hypoſtaticam conceſserunt. In hac etiam opinione fuiſse Franciſcum Mayronem 4. d. 43. q. 1. ſub initium quæſtionis, & in ſermone, cuius titulus eſt. *Memoriam fecit*, Riccardum de Media Villa 3. ſent. d. 2. ar. 2. quęſtionc. 1. ad 2., & Cardinalem S. Petri ad Vincula, vel clarè ex hoc cognoſci poteſt, quod ſi reſuſcitãdo, atq; reparando iterum Saluatoris cruori in paſſione effuſo p triduum hypoſtaticam vnionem non concedunt, quãto

magis idem de sanguine nũquàm ad Verbi hypostesim subuehendo vnionem hypostaticam inficiarentur. Fuerunt prętereà huiusce opinionis defensores Caietanus 3. p. q. 54. ar. 2. q. 2. in responsione ad tertium, Syluester tract. 3. q. 31. Dominicus de Dominicis in suo tractatu, Petrus de Cabrera 3. p. q. 5. Hieronymus della Rua controuersia 4. Scholastica; Bartholomæus Medina 3. p. q. 54. ar. 2. q. 2., quibus omnibus assentiuntur Franciscus Suarez ibidem, & Gabriel Vasquez 3. p. q. 5. ar. 2. disp. 36. c. 8. atq; vt vnico verbo expediam, omnes ad vnum Theologi recentiores; quibus ipse cohærens non possum non maximé mirari, oppositam generali, ac communi sentẽtiæ opinionẽ Greg. de Valentia viro nec indocto, & excellenti sanè ingenio nõ solúm visã esse probabilẽ, sed verã.

Confutatio opinionis Valentiæ.

Enim verò, etsi nullis oppugnatam argumentis Gregorij opinionem reperiam, potest ea tamen huiusce modi rationibus confutari. Principio viribus naturæ fieri nullo modo potest, vt naturalis relicti in terra cruoris Christi forma illæsa, atq; incorrupta perdurarit longo tẽporis spatio, vti apertissimo experimento cernitur in sanguine, qui Mantuæ in Vrbe, atq; in sacra syndone cõspicitur, in quibus non sanguinis forma, sed vestigium duntaxat rubri coloris ex peracta sanguinis permutatione residuũ apparet; atqui corrupta sanguinis Christi substãtia necesse est, vt dissoluatur pariter hypostatica vnio Verbi cum sanguine facta, nisi passim miracula, quæ grauissimis non nisi de causis concedenda sunt, cõmentari quis velit; quandoquidem eius vices duntaxat gerit in sanguine Christi vnio hypostatica, quod fuisset peragendum naturali impulsu corporis, & carnis eiusdem domini, ni fuisset subsecutus cũ humano sanguine Diuinitatis nexus; quare

cum

cum ſpectata rerum naturalium proprietate ad corruptionem formæ ſubſtantialis ſanguinis tollatur vnio formæ cum materia, pari modo diſſolui debuit vnio hypoſtatica a ſanguine Saluatoris, quæ ad inſtar prioris vnionis naturalis ſe habebat; quemadmodum aſſerunt cum Patribus communiter diuinæ philoſophiæ profeſſores. Poſteá vulgatiſſimum, atq; apud Theologos decantatũ eſt, & præcipuè apud Angelicum doctorem huius ſcholæ principem 3. ſent. d. 2. q. 2. ar. 1. ijs in rebus ab inuicem ſeparatis tantummodo vnionem hypoſtaticam ſaluari, quibus conuenit, atq; ex certa Dei prædefinitione debetur ordo reaſſumptionis; nempe ijs rebus, quæ iterum cũ Chriſto coniungendæ erant; at relictus poſt reſurrectionẽ ſanguis Chriſti in terris nullam eſt habiturus in futurum cum natura domini conſociationem. Amplius vnio iſta diuinitatis, quam Valentia in cruore Chriſti apud nos exiſtenti adſerit, vel ex certo Dei conſilio, vel ratione naturalis formæ ſanguinis, vel ratione accidentium, vel ratione ſolius materię, vel poſtremo ratione horum omniũ ſimul conſeruatur, at ex nullo capite eorum vnionis huius hypoſtaticę perpetuitas colligitur, vt clarè patet, qm̃ in occultum Dei conſilium iſtud in primis conijci non poteſt, cum ſanæ mentis non ſit in rebus, quarum nihil certi aut ex Patribus, aut ex ſcripturis haberi poteſt; ad arcana Dei conſilia confugere; neq; vero originẽ huius perpetuitatis trahere poſſumus ex forma ſanguinis, quę perijt, neq; ex accidentibus, quę ad formæ interitum cadũt, neq; poſtremo huic muneri ſola materies ſanguinis ſufficit; ſecus cum neq; finem, neq; interitum ex Ariſtotele ſit viſura materies, hinc opportunè conſequeretur, vt poſt extremam iudicij diem in ea paruitate materiæ, quæ pri-

ma

ma à philosophis dicitur, adesset etiã vnio hypostatica, quo quid turpius excogitari potest? mitto vltimam argumentationis partem refellere, cum illa ex ijs, quæ hactenus probata sunt, satis sit confutata; nam cum neq; forma sanguinis maneat, neq; accidentia cõseruentur, quorum nulla vis est ad res ordinis supernaturalis conseruandas, qualis est vnio hypostatica, arbitrari vnionem hypostaticam conseruari in sanguine ratione omnium simul, quæ enarrauimus, est contraria, & pugnãtia loqui. Adhęc indignum videtur diuina Verbi maiestate, vt cum eo vnionem, ac substantialem nexum retineat, quod ferme tabe computruit. Postremo, vt res per se, ac omnium Theologorum iudicio clara præcidatur; leue admodum est opinari ad nunc etiam in syndone spineo, serto, ac in reliquis omnibus passionis Christi instrumentis, quæ diuino imbuta sanguine cernuntur, diuinum Verbum ratione hypostaticæ vnionis olim cum sanguine factæ, ac etiam modo in præsens conseruatæ, reperiri.

CAP. VII.

Euersio argumentorum.

QVocirca illud tantũmodo superest, vt allatis contra opinionem nostram argumẽtis occurramus. Et primæ quidem argumentationi satisfaciens Riccardus citato anteà loco negat remanenti apud mortales sanguini Saluatoris exhibendum esse latriæ cultum. Mihi commodius, ac tutius videtur adhibita distinctione respondere. Nam tribus maximè modis fingere possumus sacrum Saluatoris nostri cruorem posse latria adorari. Primo modo per se, ac propter se, seu sui gratia, cũ videlicet illa cruoris particula non solùm est id, quod

Riccardi responsio.

Latria triplici modo aliquid potest adorari.

honore

honore colitur, ſeu vt alij dicunt, non ſolum eſt tota materia adorationis, verùm etiam ratio cuius intuitu, ac motione ei latriæ cultus tribuitur, quo in ſenſu turpe, ac fœdum eſſet ſine dubio, ſi quis exiſtenti nunc in terris ſanguini, eum honorem, qui ſoli Deo debetur, concederet, cum haud ſanguis ſit Diuinitas, cui non per ſe duntaxat, ſed etiam propter ſe latriæ honos accenſendus eſt, immò ſanguis ille, quippequi, creatura rationis expers, & inanimis eſt, tantæ excellentiæ ac dignitatis incapax omni prorſus modo redditur; ad quem ſenſum ſi ea retulit Riccardus, quibus latriam non eſſe ſanguini accenſendã protulit, haud videtur repellendus. Alio modo contingit aliquid latria ſic adorari, vt ſanguis, in re noſtra, per ſe quidem adoretur, nempe, vt obiectum, ac materies adorationis, at non propter ſe tamen, nec ſui, ſed ſolius Diuinitatis Chriſti gratia. Sunt qui in hanc opinionem abeuntes arbitrentur ſanguini Saluatoris latriam conuenire, quippe quę ſanguini, vti obiecto, & materiei adorationis iuré debeatur. At verius dictu fuerit etiam tertio modo ſanguinem Saluatoris coli latria poſſe non principaliter quidem, ac per ſe, ſed ſecundario magis, ac per accidens; nempe ſi prototypon ideſt Chriſtus dominus ſit res ipſa, quæ adoratur, & adorationis ratio, ac etiam cũ prototypo pars ſanguinis à Chriſto verè ſeiuncta ſimul adoretur, ſeu, vt proprius loquar, coadoretur; iuxta quem intellectum haud ambigi poteſt, quin latriæ cultu repertus in terris Chriſti cruor ſit adorandus, cum in eo ſanguine Chriſtus ipſe Dominus expreſsè nobis repręſentetur, qui hoc maximè afficiẽdus eſt exterioris ſubmiſſionis, ac reuerentiæ ſigno. Ex his omnibus apertè perſpici poteſt, quam inualida prima argumentatio reddatur;

quip-

quippe quæ in pio hominum more, quo sanguinem in orbe asseruatum latria venerantur, arctum diuinitatis cum sanguine nexum infert; quasi veró dominicus cruor eo honore dignus non sit, etiam si nullam cũ persona Verbi vnionem hypostaticam obtineat, si minus primo, aut secundo, at saltem tertio modo.

Ad secundum. Quamuis in perfectione nullum hypostaticæ vnionis discrimen assignari queat, debuit nihilominus in corpore, & animo Christi inter se inuicem separatis, diuinitatis nexus perseuerare, non solúm quia corpus, & anima totius assumptæ naturæ partes sũt essentiales, & præcipuæ, verum etiã quia nulli eæ partes corruptioni obiectæ fuerunt; rursusq; redintegrandæ, atq; reparandæ erant; quod in sanguinem in terris ad nunc etiam reseruatum quadrare non potest.

Duplici autem via, quod tertio loco obijcitur, explicari potest, admissa illa hypothesi, cui tota argumẽtatio nititur. Prior via est, si Christi resurrectio ad tempus vsq; extremi iudicij fuisset dilata, nihil impedit quominus corpori (quandoquidem de anima, quæ immortalis est, nullum dubiũ relinquitur) Saluatoris vnio hypostatica cõcedatur permanens, & immobilis, si tamẽ illud incorruptum, atq; à totali permutatione substantiali illæsum diuina virtute conseruatum fuisset; de quo secus arbitrandum est, si similem Saluatoris corpus passum esset corruptionem, qualẽ residuus apud nos sanguis Christi cernitur non effugisse; nam cum id duntaxat præstet hypostatica vnio, quod natura ipsa, proprietasq; corporis Xpi naturaliter sibi relicta effecisset, vtiq; absumpto corpore Saluatoris totali corruptione, necesse erat, vt ab eo pariter recederet vnio hypostatica, cum naturali modo sub-

sistentia

ſiſtentia corpori debita conſeruari minimè poſſet, iuxta ea, quæ ſuperiori capite innuimus. Poſterior via eſt. Etiáſi Saluatoris noſtri corpus eadẽ corruptione fuiſſet abſumptum, qua alia hominum corpora affici ſolent, adhuc nihilominus facile eſt, perpetuitatis hypoſtaticę vnionis cũ corpore cauſam aſſignare, quæ relicto in terris ſanguini haud conueniat; hæc enim ea eſſe poteſt, quam ex communi Theologorum opinione colligo; quod nempè in ea ipſa corrupti corporis Mediatoris noſtri materia remanebat, atq; ad extremam vſq; ſupremi iudicij diẽ perpetuò durabat ordo aſſumptionis, quo rurſus eadem materies nouam cum animo Aſſertoris conſociationem erat habitura; at ſecus ſanguis apud nos nunc exiſtens hac vnione cum cæteris naturæ Chriſti partibus cariturus erat in perpetuum. 4 ſent. d. 44.

Ad quartum. Perfectiſſimam eſſe omnium aliarum vnionum hypoſtaticam intelligi poteſt bifariam, aut nimirum reſpectu partium eſſentialium corporis Chriſti, aut reſpectu cuiuſuis, vel minimæ partis, ſiue illa carnis, ſiue ſanguinis eſſet; primo modo cæteris præſtare omnibus hypoſtaticam vnionem, non autem ſecundo modo opinandum eſſe arbitror. Quamquàm non incongruè dici etiam poteſt abſolutè perfectiorem eſſe diuinitatis cum natura humana Chriſti copulam, quandiu illud ipſum conſeruatur, quo cum coniuncta eſt diuinitas; quáuis nihilominus imperfectiorem eſſe poſſe contingat viſione beata diuinam hanc Perſonæ Verbi vnionem cum certis quibuſdam corporis Chriſti partibus factam, propterea quod eæ intereant aliquandò; in cuius rei cognitionem illud omnibus planum eſſe reor, vnionem, duorũ extremorum eſſe coniunctionem, vti ex terminis, ac vo-

ce ipsa deprehenditur, at vnio etiam perfectissima tandiu conseruari potest, quandiu extrema ipsa remanẽt, quod si forte fortuna extremorum alterũ deperdatur, aut quoquo modo intereat, & vnionem ipsam de medio tolli arbitrandum est, non quidem defectu, aut imperfectione vnionis, sed solummodo defectu extremi pereuntis, vti in re nostra accidit, cum ad corruptionem sanguinis in terrarum orbe relicti, recedit pariter vnio hypostica.

Ad Quintum. Quamuis physicè loquendo personæ Verbi nihil per se, sit contrarium, attamen Verbũ quod ad vnionis hypostaticæ conseruationem tantummodo spectat, vt videlicet sanguini vnitum est, per accidens, & indirectè aduersantur, ea quę sanguinis corruptionẽ, & destructionem moliri solent; nam cum in ratione vnionis hypostaticæ non minus Verbum, quam sanguis requirantur, dubio procul quidquid primò, & per se sanguini opponitur, illud idem etiam per accidens, & secundariò vnioni hypostaticæ sanguinem ad sui conseruationem exigenti, contrarium sit, necesse est, ad eum fermè modum, quo spirituali, ac immortali hominum animo cum corpore consociato eas contrarias dispositiones esse dicimus, quæ corpus ad interitum rapiunt, quamuis eæ ipsæ affectiones per se, & directè cum sola corporea hominis mole pugnent.

Vltimum tandem argumentum facilè repellunt ea, q̃ alibi pluribus in locis allata sunt, dum quo in sensu vulgatissima Sanctorum Anselmi, & Damasceni sententia accipienda esset, docebam; neq; enim aliquid prodest affirmare, sanguinem in terris existentem ad nihilum penitus non esse redactum, quoniam non satis est ad vnionis hypostaticæ conseruationem, vt sola materies aliquibus

etiam

etiam ornata accidentibus ſuperſit; ſed prætereà aut integra ſanguinis natura, & ſubſtãtialis eiuſdem perfectio requiruntur, aut certè exigitur, vt ea ſanguinis pars effuſa iterum reparanda ſit, quæ duo ſanguini apud nos exiſtenti deeſſe nemo non videt.

DISPVTATIO NONA.

De peculiari S. Thomæ via circa allatas quæſtiones.

CAP. I.

An iuxta Angelici doctoris ſententiam concedendum ſit aliquid veri ſanguinis Chriſti in terris remanſiſſe, qui non fuerit in reſurrectione aſſumptus.

DEcreui hoc loco de mente, ac ſenſu Angelici doctoris peculiarem quæſtionem inſtituere, vt & promiſſis ſtarem, & vt etiã omnium Theologorum celeberrimi doctoris paulo diligentius eam opinionem examinarem, de qua olim altercati ſunt, & nunc etiã altercantur inuicem nõ pauci Angelicæ doctrinæ ſtudioſi, principis ac magiſtri ſui vnicum decretum in oppoſitas ſententias diſtrahentes quarum omnium potiſſimæ, ac principaliores ſunt duæ, de quibus, & ego in præſens tãtummodo dicere incipiam, quid mihi de mente Angelici doctoris accurrat.

Quare arbitror in primis nulla ratione inficiandum eſſe iuxta ſanam huius doctoris ſententiam, quin apud nos aliquę veri cruoris Chriſti partes remãſerint. Quemadmodum multi docti, ac in primis graues S. Thomæ diſcipuli tradiderunt; quorum primus eſt Caietanus 3. p. q. 54. in commentarijs ſup. ar 2. q. 2. Bartholomæus Me-

dina 3.p.q.54.ar.2.Syluester de Prierio trac.3.quęstionũ Euangelicarum q.32.Idem senserunt de mente S.Doctoris Petrus de Cabrera.Hieronymus della Rua Cardinalis S. Petri ad Vincula in suo tractatu passim, & Ioannes Turrecremata locis supra citatis,quamuis alij in oppositam opinionem iuisse Turrecrematam dictitent.

Huius verò assertionis duplex haberi potest præsidiũ ex Angelico doctore quodlib.5.q.3.ar.5.Vnum est.Nutrimentalis sanguis ex cibis genitus, (idest sanguis, qui ad perfectam corporis Christi constitutionem haud erat necessarius,cum sine illo perfecta veritas naturæ Christi constare posset) totus nequaquam fuit in resurrectione Christi reparatus,ergo extra dominicũ corpus sãguis ille remanserit,omnino necesse est;vti S.Thomas ratiocinatur in corpore articuli.Hactenus ex S. Thoma, qui aliquam ex vero cruore domini partem non fuisse in resurgenti Christo restaurandam manifesto testimonio obfir mauit, ex quo præterea colligi potest (vt hoc quoq; aduersus Caietani, Syluestri, & aliorum opinionẽ adijciã) quam manifestè fallantur ij, qui iuxta huius S. Doctoris sententiam omnem sanguinem nutrimentalem ad veritatem humanæ naturę Christi nõ pertinere docent, cum verba illa S. Thomæ; *Secundum quamlibet opinionem, non totus sanguis nutrimentalis, ideſt,qui ex cibis generatur pertinet ad veritatem humanæ naturæ*, oppositum satis clarè ostendant,si namq; non totus sanguis nutrimentalis facit ad veritatem naturę, ergo maior illius pars,& copia sanguinis, aut saltem ad minimum portio aliqua ad veritatem naturę attinebit; aliter cum omnis sanguinis copia, quę in homine annum trigesimum tertium agente reperitur progenita sit ex ea substantia,quę ex deguſtatis,atq;

in

in ſtomacho decoctis cibis nata eſt, protinus efficeretur, ut vel nullus, vel modicus hominis grandioris ſanguis ad veritatem naturæ pertineret, quod tamen cum doctrina S. Thomæ mirè confligit, vti monuimus lib. 1. ca. vlt. Vlterius prętierire non poſſum, quin lectorem moneã, vt hinc liquidò cognoſcat, quam meritò alias dixerim in via Angelici doctoris nomine nutrimentalis ſanguinis eum ſanguinem intelligendum eſſe, qui ſuperfluus eſt, quiq; ad abſolutam corporis perfectionem non exigitur, quamuis, & nutrimentalis, & ſanguis ad veritatem naturæ pertinens, vt loquitur S. Thomas, eiuſdem ſint perfectionis ſubſtantialis, & vterq; ad naturam attineat, hoc ſolummodo diſcrimine inter vtrumq; ſanguinem admiſſo, quod videlicet ſine nutrimentali, naturæ quidem integritas conſiſtat, ſecus verò ſine vitali; ſic enim interpretandum cenſeo Angelicum doctorem aſſerentem illũ ad veritatem naturæ pertinere, nutrimẽtalem verò minime; non enim alio ſano modo intelligi debet Angelicus doctor, cum totus ſanguis ex cibis enaſcens eadem ſubſtantiali forma, eodẽ agẽte, eadẽ materia, eodẽq; fine polleat.

Alterum aſſertionis noſtræ teſtimonium priori multo etiam clarius eſt, quod S. ipſe Thomas in fine articuli expreſſit ad hunc modum ſcribens. *Sanguis autem Chriſti, qui in quibuſdam Eccleſijs oſtenditur, dicitur ex quadam imagine Chriſti percuſſa miraculosè effluxiſſe, vel etiam alias ex corpore Chriſti*, ad quæ poſtrema Angelici doctoris verba ſi mentem lector adijciat, fateatur opus eſt, effluxum olim ex corpore Chriſti ſanguinẽ apud nos in certis quibuſdã ſacris ędibus aſſeruari iuxta S. Thomæ placitum.

Non bene igitur Gabriel Vaſquez 3. p. q. 5. a. 2. diſ. 36. c. 8. Angelicam doctrinam aſſecutus eſt, cum negat ali-

quam

quam partem sanguinis Christi supereſſe in terris iuxta viam Sancti Thomæ, quæ non fuerit in reſurrectione aſſumpta.

Male itidem Ioannes Dominicus, apud eundem Vaſquez, & apud Turrecrematam, & Ioannes de Poliaco inficiati ſunt aliquid veri cruoris Christi in via Angelici Doctoris apud mortales adnunc etiam comperiri poſſe.

Quòd ſi Ioannes Dominicus cum Vaſquez duo nobis obijciat eiuſdem S. Thomæ teſtimonia ex 3 p. q. 54. a. 2. eruta, in quibus expreſſiſſimis, atq; lucidiſſimis verbis nihil veri cruoris dominici in terris fuiſſe relictũ teſtatur, non multi erit laboris, ea ad ſanum ſenſum interpretari, atq; explicare. Primum igitur doctoris Angelici teſtimonium eſt huiuſmodi. Nihil in terris nunc ſupereſſe poteſt eius, quod perfectiſſimè ſecundum omnes etiam minutiſſimas partes in Chriſto à mortuis reuiuiſcente reparatum fuit, tale autem fuiſſe pretioſum ſanguinis Chriſti cruorem docet S. Thomas in corp. citati articuli.

Secundum S. Thomæ teſtimonium eſt. Quidquid ad naturæ Chriſti veritatem pertinebat, cum Chriſto reſurrexit, atqui omnis ſanguis, qui aliquando ex Mediatoris corpore manauit, pars fuit naturæ Chriſti, atq; ad eius veritatem attinens, velut idem ipſe Sanctus Doctor meminit ad tertium, ex quo vlterius adduci poſſunt ea omnia loca, in quibus litteris prodidit ſanguinem ſiue cæteros humores abſolutiſſimè iterum Chriſto reſurgenti adueniſſe.

Supra ad tertium.

Quomodo Syl. reſpondit.

Sylueſter, quò hiſce duobus argumentis occurreret, confugit ad ſolita doctrinæ ſuæ principia; hasq; argumẽtationes explicat de ſanguine ſimpliciter dicto, & ſtabilitæ formæ, vt is loquitur, docens videlicet perfectiſſimũ

ſan-

ſanguinem ſub forma ſua ſtabilitũ, & ſalubrem ſine vlla ſui diminutione reſurrexiſſe; neq; aliquid illius in dicatis Deo templis remanſiſſe; at inquit cum abſoluta hac ſanguinis perfectiſſimi reparatione, non modò remanere potuit, ſed re ipſa remanſit aliqua diminutio eius ſanguinis, qui nutrimentalis, & ſalubriter effuſus dicitur, qui ille eſt, quem iuſtis honoribus in quibuſdam Eccleſijs pij fideles colunt, & venerantur. Verùm hæc Sylueſtri ratio non planè lectoris animum explere poteſt. Nam, vt mittam in præſens, quod alias ſæpius eſt à me animaduerſum, inania eſſe huius doctoris firmamenta, & diſtinctionem eam de ſanguine nutrimentali, & ſtabilitæ formæ; cui etiam nunc tota vis reſponſionis innititur; illud certum eſt, inſufficientem eſſe illius reſponſionis rationem, cum teſtimonium Angelici doctoris in eum omnem ſanguinem militet, qui de corpore Chriſti manauit; cum igitur etiam nutrimentalis ſanguis è dominico corpore diſtillarit, vtiq; ſi totus ſanguis aſſumptus eſt, etiã ſanguis nutrimentalis aſſumptionis eiuſdem particeps fuit; contra Sylueſtri ſententiam. Breuiter vnica ego ſolutione vtrumq; argumentum explicari poſſe cenſeo; nẽpe ſi intelligatur S. Thomas verba facere de omnibus corporis Chriſti partibus, ac de toto effuſo ſanguine non ſecundum totalitatem materiæ ſanguinis, ſed ſecundum totalitatem ſpeciei, cum aſſerit totum effuſum ſanguinẽ in corpore Chriſti glorioſo poſt reſurrectionem reperiri ſine diminutione vlla: in quo ſenſu veriſſimum eſt totum id ſãguinis, quod è dominico corpore profluxerat, & omnes cæteras corporis Chriſti partes cum perfecta integritate reſtauratas fuiſſe; ſic enim totus ille ſanguis abſq; minimo defectu, reparatus eſt in Chriſto, ne quid ad perfectam

Propria auctoris reſp.

ctam corporis Christi cõstitutionem attinens desidera-retur, at hoc admisso, tamen nec necesse, nec congruens, nec æquum fuit, vt omnis effusa pars sanguinis resurge-ret, alioquin, vt alias supra in hoc quinto libro docui, cõ-cedendum foret monstruosum extitisse post resurrectio-nem Mediatoris nostri corpus; etenim qua ratione totus sanguis secundum materiam resuscitãdus erat, eadẽ pari ratione tota etiam resoluta caro secundum materiam, cęteriq; humores fuissent redintegrandi; quorum om-nium restitutio prodigiosam effeciisset Saluatoris nostri naturam; quod dementis esset opinari.

Alteram solutionem colligo ex eodem ipso Angelico doctore, de cuius sensu ambigitur 4. sent. d. 44., quo loci ad primam argumentationem respondens quæstionis 1. art. 2. quæstionc. 5. generatim tradit; ac docet, quo in sen su intelligendum sit illud, quod vulgatissimum est apud Theologos omnes; resurrectura videlicet ea omnia, quæ pertinent ad veritatem naturę, & quę semel fuerunt in membris siue Christi, siue aliorum hominum. Angelici doctoris verba sunt. *Ad primam ergo dicendum quod sicut quidquid est in alijs partibus corporis resurget considerata tota-litate speciei, non autem considerata totalitate materiæ.* Quid vero sit considerare partes secundum totalitatẽ materię, & secundum totalitatem formæ alias declarauimus.

Hinc clarè vides prudens lector in S. Thomæ doctri-na, merito concedẽdas esse aliquas veri sanguinis Chri-sti partes nobis ad augendam pietatem fuisse conces-sas; quod de sanguine in vniuersum, & absolutè consi-derato intelligi debet.

CAP.

CAP. II.

An portio aliqua ſanguinis in paſsione effuſi apud nos remanſerit iuxta Angelicam doctrinam.

NAm ſi peculiariter de ſanguine effuſo in paſſione quæratur idem, quod hactenus inueſtigatũ eſt; fuerit nec ne eius ſanguinis pars aliqua relicta in orbe terrarum; aliud affirmandum eſſe reor, iuxta proprium Angelici doctoris placitum. In cuius gratiam ſit ſecunda aſſertio. Ita perfectè effuſum in paſſione ſanguinem ſibi rediuiuus Saluator copulauit, vt nihil in reſurrectione extra dominici corporis venas remanſerit.

Quod ſi fortaſſe roges, quid nomine ſanguinis in paſſione effuſi Sanctus hic doctor intellexerit. Reſpondeo probabiliter intelligi poſſe totum id ſanguinis, quod Mediator ab eo temporis ſpatio, quo comprehenſus eſt ad extremam vſq; lateris foſſionem incluſiuè effudit. Huius aſſertionis ſic explicatæ patronum, & auctorem agnoſcit Sanctum Thomam Caietanus 3.p.q.54. ar.2. q.1.; vbi poſtquam poſuit hanc quæſtionẽ; an totus ſanguis Chriſti in paſſione effuſus reſurrexerit, protinus iſta habet de ſenſu S. Thomæ. *Prtmæ quæſtionis auctor tenet partem affirmatiuam in littera in reſponſione ad tertium*; *quo ad ſanguinem in paſſione effuſum*, moxq; explicans, quid nomine ſanguinis in paſſione effuſi intelligat, apertè docet in tota ſecundæ quæſtionis ſerie eum ſanguinem intelligendum eſſe, quem Chriſtus effuſo iam ſanguineo ſudore, deinceps profudit per totum paſſionis tempus, hũcq; ſolum abſolutè ſanguinem in paſſione effuſum, aliũ vero in oratione ſparſum, ſanguinem pro paſſionis appellat, cum Caietano plures alij conſentiunt. Poteſt autẽ addi

confirmatio huic assertioni Angelici doctoris, ex quodlibeto 5. q. 3. a. 5., vbi sic habet. *Sed quia specialiter fit quæstio de sanguine in passione effuso pro redemptione humani generis, de hoc magis dicendum videtur, quod totus in resurrectione ad corpus Christi redierit.* Hactenus ex S. Thoma, qui dum eam argumentationem explicet, quæ probare videbatur in Ecclesijs verum sanguinem asseruari, testatur esse posse, quidem sanguinem illum partem sanguinis Christi, qui olim ex corpore Saluatoris manarit. Sed negat posse partem eius sanguinis, quem in passione effusum patenti hiatu terra excepit. Immò illa etiã verba. *Sed quia specialiter fit quæstio de sanguine effuso*, in passione, ni fallor, facilè deseruire possunt ad solutionem eius auctoritatis S. Thomæ, qua superius assertione prima nullum absolutè sanguinem in tertis remansisse probari videbatur, quoniam si id quod 3 p. q. 54. ar. 2. in corpore articuli, & ad tertium prodidit S. Thomas, de sanguine duntaxat in passione effuso specialiter accipiendum est, velut hic clarè explicat, iam extra controuersiam omnẽ erit prima assertio nostra, quippequæ non de effuso in passione, sed de quolibet sãguine Christi vim suã obtinet.

Syluestri opinio de mente S. Th.

Quare nõ est audiẽdus Syluest. q. 32., dũmodo labore, ostendere conatur, posse ad mẽtẽ Angelici doctoris astrui, effusi in passione sanguinis aliquid remãsisse in terris, ex eo q̃ S. Th. in quodlib. 5. ex quo nostræ opinionis firmamẽta traximus, nõ assertiuè, sed dubitãter loquat, vti significãt illa eiusdẽ S. Doctoris verba. *Et ideo videtur magis dicendum*, & mox. *Sanguis dicitur effluxisse de quadã imagine.* Adijcit præterea Syluester non posse efficaciter probari ex rationibus S. Thomæ id, quod nos eidem S. Doctori tribuimus; nam illis rationibus apertè concluderetur

deretur non ſolummodo nullum in paſſione effuſum, verùm etiam neq; nutrimentalem ſanguinem ſupereſſe in terris, quod tamen ſanæ huius S. Doctoris ſententiæ aduerſatur. Tandem addit Syluester, ſi illud, quod nos poſterioribus ſęculis de ſanguine Chriſti à Magdalena collecto in paſſione accepimus, ad aures Angelici Doctoris deueniſſet, quod de nutrimentali docuit, id proculdubio etiam de ſanguine in paſſione effuſo tradidiſſet. Et hæc Syluestri argumenta fuêre, quorum nullam eſſe probabilitatem iurè mihi videor poſſe affirmare, cum expreſſis verbis tueatur S. Thomas nullum ſanguinem in paſſione effuſum apud mortales remanſiſſe. Nam licet ea loquêdi formula vtatur, *& ideo videtur magis dicendum, & dicitur fluxiſſe*, quæ dubitantis animi formulæ ſunt; reipſa tamen de aſſertione ſecunda non dubitauit, cum eam tribus confectis, atq; in medium prolatis rationibus conſtanter, atq; præfractè defendat nec non etiam 3. p. loco anteà indicato repetat. Amplius quid aliud verba illa quodlib. quinti indubitanter, atq; omni aſſenſu prolata. *Vnde manifeſtum eſt*, & rurſus, *& ideo oportet*, quid inquã aliud ſignificant, quam certam, & expreſsam de hac aſſertione ſecunda Angelici doctoris cogitationem? Deinde ea eſt S. huius Doctoris modeſtia, & reconditos animi ſui ſenſus explicandi laudabilis conſuetudo, vt nonnumquàm modeſtiſſimis, & dubitationem aliquam innuentibus verbis exprimat id, quod proniori etiam ſenſu amplectitur, quemadmodum paſſim in ſuis operibus lector comperiet.

Quod verò ad ſecundum Syluestri firmamenrum ſpectat; aſſererc S. Thomam non fuiſſe eius opinionis, quã nos de mente illius docuimus, propterea quod adductis

ab eodem S. Doctore rationibus ea opinio non conuincatur; minimè tollit, quin Angelicus Doctor non fuerit eius opinionis; maximè cũ difficile factu sit efficaces, atq; ꝛ̃ę istã apertè cõprobantes rationes adinuenire. Tandẽ.

Postremum argumentum nihil vrget; cum ita meritò vereri potuerit tunc temporis S. Thomas de eo sanguine; vti nunc à magnis viris in dubium vocatur; sit nec ne verus domini cruor, an magis prodigiosus ille, quem vti à S. Magdalena collectum aliqui recipiunt, & venerantur.

Porrò nullam fidem mereri ea responsa, quibus Syluester maximè vult esse satisfactum adductis ab Angelico doctore testimonijs, non est cur moneam, cum eis solummodo vtatur Syluester ad solutionem earum rerũ, & difficultatum, quæ vti à nobis non semel explosæ sunt, ita pariter pluribus S. Thomę alumnis commentitię, atq; fabulosæ videntur, quemadmodum extorta nimis, nimisq; violenta ea responsio est, qua illud S. Thomæ dictum. *Vel alias etiam ex corpore Christi*, Syluester interpretatur. Quis enim aliter pro *alias* vel leuiter in grammaticæ principijs instructus propriè vsurpauit vnquã? aut certè quis animum suum credere inducet, *alias* accipiẽdum esse pro alio modo, ita vt sensus illorum verborum. *Sanguis fluxit alias de corpore Christi*, sit iste, sanguis nutrimentalis alias idest alio modo fluxit de corpore Christi, quam effluxerit sãguis, qui fuit humanæ redẽptionis pretiũ; quasi vero diuersus, & varius fuerit exitus pretiosi sanguinis Xpi ab exitu sanguinis nutrimentalis, sed quid plura? cũ totus sanguis Christi vnum, & idẽ pretiũ fuerit redẽptionis nostræ, vt alias fusè cũ S. Thom. probauimus, quorsũ diutius immoramur ad refellẽdã Syluestri opinionem, quæ non minus voluntaria, quam falsa est?

DI-

DISPVTATIO DECIMA.

An ſanguini Saluatoris iuſtis de cauſis humana redemptio præſertim tribuatur.

CAP. I.

Cur ſingulari prærogatiua in ſacris litteris effuſo Saluatoris ſanguini humana redemptio tribuatur.

HVmanæ redemptionis meritum conijcien dum nõ eſſe in ſolũ Saluatoris ſanguiné, ſed etiam in alia tormenta, mortemq; ipſam vereri nemo poteſt, cum id tàm explicatè ſcriptura tradat, vt ſine hæreſis flagitio illud in controuerſiam vocari non poſſit, omnibus enim in vniuerſum Chriſti doloribus, & plagis comparatam eſſe ſalutem humanam c. 53. clarè dixit Iſaias.

Et de morte Chriſti non vno in loco idem docuit Paulus 2. Cor. 5., vbi *ſi vnus* inquit *pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt*; & ad Tit. 2. *Qui dedit ſemetipſum pro nobis, vt redimeret nos.* Ad Rom. 4. *ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt*, & ad Galatas 3. *tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis.*

At cur comparatam humani generis redemptionem Saluatoris ſanguini præſertim acceptam referant diuinæ litteræ communis fidelium vox, vſitatiſſimaq; loquendi conſuetudo, haud clarè patet. *Cauſa Hæreticis occaſio.*

Socinus, & Smalcius huiuſce rei cauſam inquirentes reſpõdent nos ideò dici Sbluatoris ſanguine redemptos, quia ſanguis Chriſti fuit cauſa potentiæ diuinæ in Chriſto, qua nos redemit hoc eſt á morte æterna liberauit, & vitam æternam, ideſt immortalitatem donauit. At quæ-

nam

nam ex quatuor generibus causarum sanguis Christi dininæ potentiæ causa fuit; num materialis? at nullius materiæ dispositionibus, & concursu diuina vis eget ad operandum? num efficiens? at tam efficaces esse rei creatæ vires quis vel demens credet? num formalis? certè cum formalem causam indissolubili vinculo formalis effectus concomitetur, vtiq; Deus nullius peccati maculam absq; Sanguine Saluatoris necdum progenito sanguine eiusdē delere potuisset, quod est absurdissimum; num tandem finalis? at sanguinis Christi gratia diuinam potestatem factam esse blasphęmum est?

Quòd si dicant, sanguinem Christi ideò potentiæ diuinæ fuisse causam, quia non nisi interueniente sanguinis Christi effusione, ea potestas, qua Christus peccatorum destructionem moliebatur, ei concedenda erat; iam non vident sanguinem Christi appellandum esse hac ratione non diuinæ potestatis causam, sed conditionem sine qua non, peccata nobis à Deo non fuissent condonata. Sed quid si antè quamlibet sanguinis Christi effusionem Saluator perfectam peccatorum nostrorum remissionem à Deo impetrarat? Postremo sanguinem Christi ex se meritoriam peccatorum nostrorum causam fuisse sacrarū litterarum, ac Patrum omnium testatur auctoritas; & nihilominus cum Socino suo Smalcius omnem adimit Saluatoris sanguini vim remissionis peccarorum effectri cem. Sed non hic est perfidiæ Socini, & Smalcij finis; nam affirmant rursus sanguinem Christi ideò pretiosum appellari, *non quòd multum ex se valeat, ad promerendam peccatorum veniam, & compensandam Deo iniuriam propter peccata illatam, sed quod æterni fœderis sanguis sit.* Verùm vt æterni fœderis sanguinem esse iuré concedunt, sic ineptū

Hæreticorū secunda ratio.

esse

esse sanguinem Christi ad impetrandam peccatorũ condonationem perabsurdé, & impiè asserunt, cum infiniti eum fuisse valoris ex superioribus constet.

Adijciũt tertiò, idcircò attribui Saluatoris sanguini vim satisfactoriam pro peccatis, quia Christus sui sanguinis effusione factus est Summus Pontifex, & potestatẽ obtinuit, qua peccata nobis remittere posset; at plena blasphemiarum, & hæresũm referta est isthæc Socini, & Smalcij iterata responsio; quandoquidem Christum dominum ab initio suæ conceptionis verum, summumq; Pontificem fuisse omnes ad vnũ Græci, & Latini Patres docent, communis Ecclesiæ Catholicæ sensus testatur, ac inspiratæ diuinitus scripturæ tradunt. Quanta autem falsitate scateat illud, quod Socinus, & Smalcius dicunt, Christum vim peccata remittẽdi acquisiuisse ob sui sanguinis effusionem, ostendunt ipsa opera Saluatoris, qui superstes adhuc hominibus, ac Magdalenæ peccatrici scelera condonauit; qua de re audiant hæretici scripturę testimonia; siquidem Matthęi nono dicitur. *Videns Iesus fidem illorum dixit Paralitico. Confide fili remittuntur tibi peccata tua*, & paulò post, *vt autem sciatis*, inquit Christus, *quia filius hominis habet potestatem in terra remittendi peccata tunc ait &c.* Idem tradit D. Lucas c. 5. illis verbis. *Quorum fidem, vt vidit, dixit homo remittuntur tibi peccata tua*, & cap 7. eiusdem historiæ. *Propter quod dico tibi remittũtur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, & mox, *dixit autem ad illam remittuntur tibi peccata*.

Tertia ratio.

Antequam moreretur Iesus nonnullis peccata condonauit.

Postremo loco addit Smalcius huius rei, de qua quæritur, aliam afferri posse rationem, quia videlicet sanguine Christi efficitur, vt à peccatis cessemus, & à pœnis peccatorum à Deo iustè infligendis liberemur. Quod sanè ve-

Vltima ratio.

veriſſimum eſt, ſi tamen alio ſaniori ſenſu eo, quem verũ putat Smalcius, ſententia iſta intelligatur; nempe ſi fateamur Chriſtum ſanguinis ſui effuſione non impetraſſe ſolúm à Deo remiſſionem peccatorũ, quod impiè Smalcius non admittit, verúm etiam nobis obtinuiſſe in iuſtis operibus perſeuerantiam bonorum, & abſolutam pœnarum condonationem non ſolum per modum incitantis ad peccata vitanda, ſed etiam per modum nobis abundè ſuppeditantis efficaciſſima remedia in ſubſidium, ne peccemus.

CAP. II.

Propoſitæ quæſtionis iuſtiores cauſæ.

SEd omittamus temerarios in ſanguinem Chriſti conatus hæreticorum infringere, & ad inquirendas motæ difficultatis catholicas rationes pergamus; Et licet difficilè factu ſit attingere aliquam efficacem cauſam, & omninò rem noſtram peruincẽtem; aliquas tamẽ probabiles aſſignare poſſumus; cur ſanguini Saluatoris, humana redẽptio principaliori quadã ratione attribuat.

Prima ratio. Et in primis, ratio fuit, vt hac ipſa ſacræ ſcripturę loquendi formula, gentibus, ac Iudæis maximè oſtenderetur, non ſolúm veteris teſtamenti legem fuiſſe nouę legis gratiæ, & Ieſu Chriſti figuram, ſed etiam omnia eiuſdem legis mandata, legalesq; ceręmonias in Chriſto verè adimpletas fuiſſe. Is enim vnico ſanguinis ſui ſacrificio, quod in lege Moſaica ſub varijs tegumẽtis variarum effuſionum ſanguinis præfigurabatur, excellentiſſimè compleuit. Etenim ſacras ſcripturas peruoluenti notum eſt, varia quidem Moſaicę legis ſacrificia fuiſſe, ſed in varietate, atq; multitudine ſacrificiorum vnum duntaxat com-

communem,& generalem præpotentis Dei finem latitaſſe,remiſſionem videlicet, ac condonationem peccatorum atqui hæc neq; in morte, neq; in carne, ſed in ſolo mortui animalis ſanguine fiebat;veluti præcepit Iſraelitis Leuit. 1.2.7.8.15.17. cæterisq; fermè omnibus;ex quibus eodem Sancti ſpiritus illuſtratu factũ eſt, vt humana redemptio,quæ in peccatorum remiſſione conſiſtit, comparata dicatur ſanguine Saluatoris, qui agnus typicus æterna Dei prædeſtinatione erat,cuius ſanguine peccatorum ſordes purgandæ erant. Veluti expreſſius,ac diſtinctius ſuper hac eadem à nobis aſſignata cauſa differit B. Cyrillus Alexandrinus, cuius lib. 5. in Geneſim hæc ſunt verba. *Num ouis ſanguinem Sacerdotem ſanctificare inquient, aut vitulæ cinerem idcirco hominem excellere, quòd cũ aſpergeretur coinquinatorum maculam poſſet purgare? Sed quis adeò inſanus eſt, vt hæc ita ſe habere fateatur? Ergo quam mentẽ hæc habeant, ipſe pro viribus explicabo. Hæc notæ imagines q; profectò ſunt, & , vt ita dixerim, præſagium quoddam ſanctificationis, quam Chriſtus hominibus largiturus erat*, videlicet ſanguinis ſui effuſione. Sic Cyrillus, qui q.3. cauſam inquires,cur morticina tangentes ſanguine mundarentur, hæc in idem argumentum addidit. *Hæc quoq; ſunt myſtica, & ſymbolica; corpus quidem mortuum eſt ſymbolum mortui peccati fœtidi, & putridi. Fœtuerunt enim inquit, & putruerunt cicatrices meæ. Quod qui tangit eſt omnino immũdus. Sanguis autem hoſtiæ eſt ſymbolum domini ſanguinis, qui eos, qui fide vngantur emundat ab omni peccato.*

Leuit. c.1.

Finem vera ſui.

Collectanea aduerſus Iudæos.

Quid? ex eadem radice non modò antiquæ legis veritati prodidit Deus verùm etiam omnes ante Chriſti aduentum Iudæis factas promiſſiones de remiſſione peccatorum adimpleuit; nam quid aliud aſperſione per ſangui

Secunda ratio.

nẽ vitulæ Ruffæ; quid ſanguine fœderis, Exodi 23., quid aſperſione in ſanguine holocauſti, & pacificorum Leu. 13. 16. & alibi; quid emundatione leproſi, Leuit. 14. quę brutorum, & volatilium ſanguine peragi ſolebat, oſtendebatur? quam Saluatoris noſtri ſanguine delenda fuiſſe totius mortalitatis peccata, ac reparandas eſſe generis humani ruinas. Cuius rei illuſtriſſimum ẽt ſymbolũ habemus, Exodi 12. in ſanguine agni anniculi expreſſum, qui ab internecione angelica immunis fuit Dei populus cum cuncta Ægypti primogenita noctu Deus per Angelum interfecit. At cum Deus Iſraelitarum gẽtẽ, domos, ac familias abſq; agni delinitione in vtroq; poſte domus facta rectè noſceret, poſſetq; nullo penitus negotio incolumes à futura Aegyptiorum occiſione Iudæos ſeruare, cur tamen adhibito nõ niſi in ſignum agni ſanguine pepercit Iudæis? niſi quia iam tum certa quædam valoris, ac virtutis ſanguinis Chriſti prælucere nobis voluit inſignia, quibus noſceret mortalitas futurum fuiſſe Saluatoris ſanguinem vnicum præſidium, cuius nota, ac ſigno intincta vniuerſa Hebræorum gens, hoc eſt tota in Saluatorem credentium multitudo à Satanico incurſu, æternaq; morte liberanda erat. Præterea, vt ſanguis Xp̃i hanc ſibi præ cæteris dignitatem, & excellentiam redemptionis noſtræ depoſceret, diuinum illud decretum effecit, quo ſtatuit ne humanum genus redimeretur, niſi perſoluta prius eſſet à Chriſto in noſtræ captiuitatis pretiũ ſui ſanguinis ſubſtantia; ad quod reſpiciens Paulus dixit omnia pænè ſecundum legem in ſanguine mundari, & ſine ſanguinis effuſione non fieri remiſſionẽ peccatorũ. Amplius ab eo Chriſti ſupplicio in nos diuina munera deriuaſſe aſſerendum eſt, à quo crudelius cruciabatur Saluatoris

Cur Deus poſtes Iudæorum ſanguine agni præciperet conſignari.

Tertia ratio.

Ad Hebr. 9.

Quarta ratio.

uatoris natura; atqui repetita toties ſanguinis effuſione mirum in modum dolores Chriſti augebantur. Immo cũ omnes Saluatoris cruciatus, plagas, afflictiones ſola ſanguinis effuſio compleuerit, ac terminauerit, propterea ei merito abſoluta filiorum fœlicitas tribuenda eſt. Quintaratio.

Sed nec illud vacat myſterio. Quamquam Deus nobis miſericordiam ſuam Chriſto deprecante, ac pariente tribueret, ſpeciali tamen, ac maiori quadam miſericordia remittendi peccata mouebatur Deus erogata ſanguinis Chriſti in iuſtum pretium ſubſtantia, vt à ſimili colligere licet ex legis Moſaicę ritibus, ac cęremonijs, in quibus tametſi animalium mors non nihil remiſsioni peccatorum ſuffragaretur, tamen non vi mortis, ſed ſola ſanguinis bruti effuſione peccatorũ veniam elargiri dicebatur Deus. Sextaratio.

Poſteà familiaris ſcripturæ ſacræ phraſis eſt, vt ſanguini tribuatur munus in facinoroſos homines grauem Dei offenſionem concitandi, ac nefarium ſcelus vlciſcendi iuxta quem morem Deus ipſe Caim fratris ſui interfectorem alloquens, dixit. *Quid feciſti? vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra*, at quid aliud clamabat, quã vltionem, & vindictam de Caimo ob ſcelus effuſi ſanguinis ſumendam? Quid nec prophetę hac phraſi vſi nõ ſunt. Iſaias cap. 33. ſanguinem clara voce loquentẽ facit ſic ſcribens. *Qui obturat aures ſuas ne audiat ſanguinem.* Ezechiel vltorem, & perſecutorem ſanguinem appellat, dum cap. 35. inquit, *quoniam ſanguini tradam te, & ſanguis te perſequetur, & cum ſanguinem oderis, ſanguis perſequetur te.* In eundem ſenſum accipienda ſunt illa Oſeæ verba. *Et ſanguis eius ſuper eum veniet.* Verum ille illuſtrior, 2. Machabæorum locus eſt cap. 8. *Et inuocabant Dominum*, inquit Iudas, *vt miſereretur etiam exterminio Ci*

Sanguinis proprium munus eſt vindictam clamare.

Iſaias cap. 33.

Ezechiel 35.

Oſeæ c. 12.

Machabæorum 2.

uitatis, quæ esset illico complananda, & vocem sanguinis ad se clamantis audiret. At sicuti sanguis martyrum, & eorum, qui iniusta morte occubuerunt à Deo vindictam petere non intermittit. Sic è regione sanguis Christi ob peccatores libenter effusus diuinam misericordiam, absolutãq; generis humani reparationem perpetua voce deposcens obtinuit, veluti clarè indicat Apostolus ad Hebræos cap.

Hebræor. 12. 12 *Vbi accessistis,* inquit, *ad testamenti noui Mediatorem Iesum, & sanguinis aspersionem melius loquentem, quã Abel;* rectè igitur redemptio nostra accensetur Saluatoris sanguini, qui non vindictam, vt sanguis Abel, sed gratiam, miserationem, Dei fauorem, cęlestiaq; munera nobis virtute sua impetrauit.

CAP. III.

Noua, & peculiaris ratio rursus adducitur.

Diuersa et principalior ratio.

VErùm non prętermittam in pręsens nouam, & principaliorem rationem rursus assignare, cur meritum passionis Christi maximè ad sanguinẽ reducatur. Quo igitur apertius pateant, quę dicere volumus; sciendum est ſępissimè in sacra scriptura, nomine, siuè vocabulo sanguinis non puram, ac simplicem nobilissimi humoris substantiam, sed potius vitam humanam significari; quo in sensu Iosue 20. ille dicitur vltor

Iosue 20. sanguinis, qui ab interfectore illatę alteri mortis pœnas petit. *Cumq; cultor sanguinis,* (verba sunt sacri textus) *eũ fuerit persecutus non tradent, quia ignorans percussit proximũ*

1. Reg. 19. *eius,* & 1. Regum 19. Ionathas non esse innocentem Dauid interficiendum Patri ostendens simili loquendi formula vtitur. *Quare ergo peccas in sanguine innoxio interficiẽs*

Cap. 2. *Dauid, qui est sine culpa.* Hucq; respiciunt illa 3. Regum

verba.

verba. *Amouebis ſanguinem innoxium*, & 2. Paralipom. 24. *Inſuri rexerunt contra eum ſerui in ultionem ſanguinis*; ſed & pſaltes non abſimilem loquendi rationem adhibet paſſim, dum interfectores hominum, viros ſanguinum appellat dicens. *Libera me de ſanguinibus*, Pſal. 50. *De viris ſanguinum ſalua me.* Pſal. 18. *Viri ſanguinum, & doloſi*, Pſ. 54 *Effuderunt ſanguinem innocentem condemnabunt*, Pſ. 93. Horum etiam ſimillima leguntur nō vno in loco apud prouerbia Salomonis primo, & 6. capite. Sed non veteri teſtamento ſolùm ſed nouo etiam perfamiliaris eſt iſta locutionis formula, quemadmodum patet Matthæi 23. *Vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus qui effuſus eſt ſuper terram à ſanguine Abel iuſti, vſque ad ſanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidiſtis inter templum, et altare*; in quibus ſacræ paginæ verbis, vox ſanguis, loco iniuſtæ mortis prophetarum ponitur; in qua loquendi conſuetudine inſiſtentes Iudæi ſummo animi ardore mortem Saluatoris expetentes Pilato Præſidi dixerunt. *Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros*. Similis prēterea, & germanus ſenſus eſt illorum verborum D. Pauli ad Coloſſenſes 1. *pacificans per ſanguinem Crucis eius*: hoc eſt per mortē Xpi ſanguine expletā in ligno Crucis. Et Apocalypſis c. 16. *Sanguinem Sanctorum, & prophetarum effuderunt*; ideſt Sanctos, & prophetas morte affecerunt, & rurſus *vindica ſanguinem ſeruorum tuorum, qui effuſus eſt*; nempe mortē iniuſtè ſeruis Dei illatam. Non eſt prætereà, vt alias monui, ignorandum, hoc eodem ſenſu carnis, & ſanguinis vocibus hominem non raro intelligere conſueuiſſe diuinam ſcripturā iuxta illud *caro, et ſanguis non reuelauit tibi*, & ſimilia paſſim.

2. Paralip. 24. Pſalm. Matth 23 Matthæi 27. Ad Col. 1. Apocal. 16.

Quare, vt ad rem noſtram reuertamur, in explicatam hactenus

hactenus sacræ scripturæ loquendi consuetudinem interpretari possumus eas omnes locutiones, quibus sacra scriptura conijcit humanæ redemptionis meritum in sanguinem Christi, velut disertis verbis Nicolaus de Lyra adnotauit in illud Hebræorum 9. *Quanto magis sanguis Christi.* Sic scribens. *Non est intelligendum, quod solus sanguis Christi fuerit pro nobis oblatus, immo tota eius humanitas, & hoc patet ex auctoritate inducta, in qua dicitur obtulit semetipsum.* Ex quibus liquidò cognoscitur pretiũ nostrę redemptionis fuisse Christi naturam, seu Christum totũ, iuxta illud, *Se nascens dedit socium, conuescens in edulium, se moriens in pretium.* Hinc earum sacrę scripturę locutionũ, quibus nos esse sanguine Christi redemptos dicitur, talis sententia esse potest. Christus, sanguine hoc est vita, morteq; sua vniuersam hominum multitudinem è potestate Dæmonis eripuit.

Lyranus in illud Hebraeorum 9. quanto magis sanguis Christi.

Cur vita hominis in sanguine esse dicatur.

Sed cur in sanguinis effusione magis, quã in alio Xpi domini supplicio datam esse pro nobis Saluatoris vitam sacra scriptura significare voluit? Nimirum sic postulante natura sanguinis id factum est, nam cum vitæ thesaurus, vt medici tradunt, sanguis sit, rectè pro vita potuit vsurpari. Secundo fluxus sanguinis Christi insigne, ac maximum fuit diuinæ charitatis argumentum maiorẽ autẽ nemo charitatem habet, quam, vt quis ponat animam pro amicis suis. Tertio incalido, & humido Saluatoris vita sita erat, vti non semel de sanguine cæterorum hominũ loquens dixit Aristoteles, atqui solus Christi sanguis inter cæteras corporis sui partes huiusmodi erat. Quarto sine alimento consistere Saluatoris vita non poterat, vltimum verò alimentum sanguis est. Quinto singulari quadam ratione vitali spiritu Christi vita fouebatur, hũc enim

Prima causa.

Secunda causa.

Tertia causa.

Ioan. 15.

Quarta causa.

Quinta causa.

enim sensum vitalis spiritus etymologia in humanas aures ingerit; atqui spiritus vitalis si minus sanguis est secũdum substantiam, ad naturam sine dubio tenuioris, purioris, feruidiorisq; sanguinis proximè accedit. Postremo dignos nos effecerat æterna morte peccatum, ergo ad iustam compensationem debiti exigebatur, vt tribueretur vita peccatoris in diuinum obsequium, Christus autem pro nobis Deo satisfaciens obtulit vitam propriam, at quia hæc in sanguine constituta erat, vt Leuitici 17. de cęteris hominum vitis dicitur, idcirco ritè sanata esse humani generis vulnera sanguinis Christi medicamento sacrę litterę prodiderunt. *Sexta ratio.*

DISPVTATIO VLTIMA.

An sanguis ex latere Saluatoris erumpens humanę redemptionis opus fuerit.

CAP. I.

Tostati, & aliorum opinio.

TOstatus in Genesim q. 352. c. 13. præsentem difficultatem enucleans sic quæstioni respondet. *Quod autem in Christo fuit post mortem, non facit aliquid ad redemptionem nostram effectiuè, eo quod ibi non est aliqua actio meritoria, sed solum ad significationem, sicut & corpus domini sepeliri non confert effectiuè aut promeritoriè ad redemptionem nostram, & ita sanguis, qui fluxit de mortuo nõ redemit nos, sed sanguis, qui de vino, sed quod de mortuo fluxit redemptionem, & ablutionem significat, sed ipsam non facit.* Sic Tostatus, qui in eiusdem quæstionis expla- *Opinio Tostati.*

explanationem parad. 2. c. 33. similia tractauit docens nullius plane meriti fuisse aquæ, & sanguinis fluxionem è latere exanimati Saluatoris emanantem, quamuis obtenti meriti, ac adeptæ remissionis peccatorum, & cæleſtis gratiæ manifesta signa aquam, & sanguinem lateris extitisse concedat. Huic Toſtati ſententię adhæſiſſe Gabrielem Vaſquez, ea quę ſcripta reliquit 3. p. q. 19. a. 4. diſp. 76. c. 2. non obſcurè demonſtrant; inibi enim omnia Sanctorum Patrum teſtimonia, quæ ex proſciſſo latere Chriſti Sacramenta profluxiſſe docent, interpretans non de veris ſeptem Eccleſiaſticis Sacramentis, ſed de diuinis myſterijs, ac ſignis arbitratur in ſanguinis, & aquę liquoribus nullum ſalutis noſtrę meritum, ſed certa duntaxat conſummatę redęptionis myſteria, & ſigna apparuiſſe.

Vaſquez.

Opinionis ſuę confirmationem ex ijs Sanctorũ Patrũ auctoritatibus colligit, in quibus Sacramenta pro myſterijs, ſiuè ſignis ſacris Sancti Patres vſurpant, veluti Cyprianum, ſeu potius incertũ auctorem apud Cyprianũ feciſſe arbitratur dum inquit. *De latere tuo fons egreditur in vitam æternam proſiliens, & de eodem origine aqua, & ſanguis emanant ad complementum, perfectionemq; totius iuſtitiæ Sacramenta in perpetuum duratura*; in qua auctoritate putat Vaſquez ideo aquam, & ſanguinem dici Sacramenta, quia rem in perpetuum duraturam ſignificãt. Prętereà opinioni ſuę robur addit ex Ruffino apud eundẽ Cyprianum in ſymbolum in illis verbis. *Crucifixus &c.* Ex Auguſtini lib. 2. de ſymbolo ad Cathecumenos ca. 6. Ex Beda in illud Ioannis c. 19. *Vnus militum.* Ex Epiphanio libro aduerſus hęreſes hęreſi 78. ſic ſcribente. *Apertum eſt ipſi latus, & myſteria ſanguinis, & aquæ pretia redẽptionis*

S. Cypian. Lib. de paſſione, & reſurrectione Chriſti.

ptionis facta sint. Et tandem ex Gregorio Nyſſeno libro, qui inſcribitur. *Teſtimonia contra Iudæos*, cap. penultimo, vbi de duobus hiſce fontibus verba faciens. *Atq; hinc*, inquit, *myſteria ſumũt initium*, in quibus teſtimonijs ſicut in pluribus alijs ab eodem Vaſquez recenſitis Sacramẽta idem, ac ſigna ſacra, & myſteria ſignificant. *Nyſſenus.*

Verúm non modò Sanctorum Patrũ auctoritatibus, ſed momẽtis etiam rationum conſtat, ſanguine, & aqua lateris non eſſe comparatã humani generis redemptionem; etenim perſuaſum lectori eſſe debet, nihil humanæ redemptionis officio fungi poſſe, quod meriti capax nõ ſit, ad meriti autem naturam attinet ſtatus viatoris, in quo cũ non eſſet Chriſtus, cum lancea transfoderetur, propterea aliquid mereri nobis tunc haud potuit; huc .n. ſpectat quod idem Saluator dixit. *Me oportet operari opera eius, qui miſit me, donec dies eſt, venit nox quando nemo poteſt operari*, vbi vocabulo diei, humanæ vitæ, noctis verò tempus mortis haud dubiè intelligens, docuit neq; ſibi, neq; cæteris hominibus lumine caſſis aliquam ſupereſſe merendi facultatẽ. Deinde Saluator liberis voluntatis ſuę actibus humanam ſalutem operabatur; at corpus Xpi mortuũ nullius operationis particeps eſſe potuit. Quid? ad hanc eãdem opinionem firmandã vti poſſumus teſtimonio Apoſtoli, qui ad Hebræos c. 10. manifeſtè ſtatuit, vnicam corporis, & ſanguinis Chriſti oblationem in ligno Crucis per mortẽ conſummatã perfectam, abſolutãq; humanæ redemptionis cauſam fuiſſe, ergo non eſt cur ei mortuo merita tribuamus. Adſunt poſtremo prę-ſenti ſententiæ Theologi oés, quibus certum, ac exploratum ſemper fuit nullum meriti locum ijs relinqui, qui ex hac mortali vita abiêre. *Ioan. c. 9.* *Ad Hebr. 10.*

CAP. II.

Secunda opinio.

HOnophrius Menaſcal eſſe verius dicto arbitratur, vulnus Saluatoris lateri inflictum, ipſasq; ſanguinis, & aquæ fluxiones nõ nihil meriti cõtuliſſe ad abſolutã humani generis redemptionem; quod probat varijs auctoritatibus ſacræ ſcripturæ, SS. Patrum, Doctorum Scholaſticorũ, ac ſacri eloquij interpretum, atq; poſtremo ẽt varijs S. Matris Eccleſiæ himnis, & canticis, quemadmodũ p ſe cognoſcere lector poterit ex ijs, quæ in apologetica diſputatione à c. 6. vſq; ad 25. nimis fortaſſis copiosè adducit. Ex quibus omnibus nos certa dútaxat SS. Patrum teſtimonia ſceligemus, quæ præſentem eius opinionem clarius, ac fortius iuuant. Et in primis quidem S. Ambroſius tranſit in hãc ſententiã, q̃ vulnus lateris humanæ redemptionis opus fuiſſe docet. Sic enim ſcribit. *In ſanguine vuæ lauit anatoladium ſuum, hoc eſt in paſsione corporis ſui diluit gentes ſuo ſanguine*; & mox, *non ergo Chriſtus ſanguine proprio ſua peccata, quæ non erant, ſed noſtra, quæ fecimus, delicta mundauit. Et bene vuam dixit, quia ſicut vua pendet in ligno. Ipſe eſt vitis, ipſe vua, vitis ligno adhærens, vua, quia militis lancea apertum latus emiſit aquam, et ſanguinem. Sic enim dixit Ioannes, quia exiuit de ea aqua, & ſanguis, aqua, ad lauacrum, ſanguis ad pretium, aqua nos abluit, ſanguis redemit.* ergo ſi ſanguine lateris redempti ſumus, ſanguis ille dubio procul fuit egregium reparationis noſtrę opus. Eandem ſententiam tùm alibi, tùm tracta. 120. in Ioannem ſecutus eſt Auguſtinus, vbi inquit. *Ille ſanguis in remiſsionem fuſus eſt peccatorum; aqua illa ſalutare temperat poculum; hæc, & lauacrum præſtat, & poculũ.* & paulò poſt, *Quid iſto ſanguine mũdius? Quid vulnere iſto ſau-*

S. Ambroſ. Lib. de benedictionibus Patriarcharum cap. 6.

S. Auguſt.

ſaubrius? ſic ille. At ſi lateris Chriſti vulnus ſalubre fuit, ſiq; Eccleſiæ Sacramenta ex dominica plaga fluxêre, ſane demerito huius vulneris nullus vereri poterit, cũ virtus Sacramentorum ſolis Chriſti meritis nitatur. Sed placet hic adſcribere ſimilem hac de re D. Athanaſij ſententiã, quã non abſimilibus verbis tractat in Euangeliũ de Paſſione, & cruce Dñi. *Perſuaſit enim,* (inquit Athanaſius de Dæmonio loquens) *Iudæis, vt ad cædem, mactationemq; eũ depoſcerent, cæterum id euenit, quod minimè expectauit; mactatus eſt enim non alibi, quã in latere ad coſtas, ex quo effluxit ſanguis, & aqua, vt quoniam prius per mulierem è coſta formatam profluxerat deceptio; ita nunc per coſtam ſecundi Adæ redemptio, & emundatio prioris Adæ dimanaret, & per ſanguinem redemptio, per aquam verò emundatio obtingeret.* Hactenus ex Athanaſio, qui diſertis verbis non modo ſanguini, & aquæ, ſed ipſi etiam lateris vulneri redemptionis meritum accenſet; hanc enim ſententiam omnino reddit oppoſitio illa mulieris ex latere Adami efformatæ, & vulneris, aquæ, & ſanguinis ex aperto latere Xpi dimanantis; quare igitur ſicut non ſecundum ſignificationem tantúm, ſed ét re ipſa origo malorum, ac perditionis noſtræ prima omnium mater Eua fuit; ſic è regione non iuxta nudam ſignificationem duntaxat, ſed verè humana redemptio è latere Chriſti orta eſt; ſecus tota D. Athanaſij Similitudo labefactaretur. Ad hæc præſentis opinionis adiumentum eſt locus ille D. Gregorij libro Antiphonarij, vbi de latere Saluatoris agens hunc in modum ſcribit. *Aperto ergo militis lancea latere crucifixi domini exiuit ſanguis, & aqua in redemptionem ſalutis noſtræ*; & paucis interpoſitis exclamans ſubdit. *O mirabile pretium, cuius pondere captiuitas redempta eſt mundi, tartarea confracta*

S. Athanaſius.

S. Gregor.

sunt claustra inferni, aperta est nobis ianua regni. Qua autem ratione salutis humanę meritũ, & pretium sanguinem, & aquam appellaret Gregorius, si ea nullum planè fuerunt humanæ redemptionis opus. Postremo, vt missis alijs pluribus SS. Patrum hac de re testimonijs, vltimũ lectori testimoniũ reddã; adduco S. Bernardum, cuius serm. 2. in octauam Paschę super illud Ioannis 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis.* hæc sunt verba. *Hic est enim, qui sanguinem propriũ dedit in redemptionẽ, aquam simul produxit de latere in ablutionem*; ergo iurè fatendum est in lateris aperitione meruisse Christum, cum indè profluens sanguis sordes peccatorum purgarit D. Bernardo teste.

S. Bernard.

CAP. III.

De præsenti quæstione auctoris opinio.

EGO neq; Tostati, neq; Honophrij sententijs planè assentiens, subiectis tribus assertionibus meam hac de re sententiam explicabo.

Prima assertio. A Sanctis Patribus emanantes è latere Christi liquores nonnumquam appellantur Sacramenta tantùm secundum significationem, quatenus videlicet aqua, & sanguis humanę redemptionis certa quędã signa fuerunt. Hanc assertionem, quam nos cum limitatione, & Tostatus, & Vasquez absolutè defensitarunt, satis clarè expressit S. August. 2. de symbolo ad Cathecumenos cap. 6. cum inquit. *Et statim manauit aqua, & sanguis, quæ sunt gemina Ecclesiæ Sacramenta, aqua in qua sponsa est purificata; sanguis ex quo inuenitur esse dotata*; at quis ignorat, aquam, & sanguinem lateris, quę ab Augustino Sacramenta Ecclesię dicuntur, re ipsa non fuisse Ecclesię Sacra

S. August.

menta

menta, ſed duo potius ſigna ſacra; alterum baptiſmi, qui aqua ſignificatur, alterum, Euchariſtiæ, & Martyrij, quę per ſanguinem perbellè exprimuntur. A quo ſenſu non longè abeſt Tertullianus libro de baptiſmo aduerſus Quintillã c. 16., vbi explicans quid per aquam, & ſanguinem ſignificetur, duo nobis baptiſmata monſtrari dixit his vocibus. *Eſt quidem etiam nobis ſecundum lauacrum, vnum, & ipſum ſanguinis ſc. licet; de quo dominus. Habeo inquit baptiſmo tingi, cum iam tinctus fuiſſet: Venerat enim per aquam, & ſanguinem ſicut Ioannes ſcripſit, vt aqua tingeretur, ſanguine glorificaretur. Proindè vt nos faceret aqua vocatos ſanguine electos, hos duos baptiſmos de vulnere perfoſſi lateris emiſit. Quia qui in ſanguinem eius crederent, aqua lauarentur, & qui aqua lauiſſent etiam ſanguinem potarent*; in qua Tertulliani auctoritate vides lector, duobus illis fontibus duplicis baptiſmi ſymbolum, ſiue baptiſmi, ſanctæq; ſynaxis myſteria nobis obijci. Subindé afferri poteſt quod in hanc ſententiam prodidit Damaſc. lib. 4. fidei orthodoxæ c. 10.; quo loci de paſſione Chriſti, ac vulnere lateris diſſerens, aquam, & ſanguinem lateris non Sacramenta ſeu opera redemptionis humanę, ſed Sacramentorum Eccleſiæ myſteria, & ſigna duntaxat eſſe teſtatur his verbis. *Idcirco pro ſua Indulgentia, & miſericordia ad ſeruos ſuos ſeſe demittens, atq; inſtar noſtri affectus paſsione ſua nos à corruptione vindicauit. Ac nobis ex ſancto, & immaculato ſuo latere veniæ fontem emiſit, aquam nempè ad regenerationem, ac peccati, & corruptionis ablutionem, ſanguinem autem in potum ſempiternam vitam afferẽtem*; quorũ illud virtute baptiſmatis, hoc verò poteſtate, & excellẽtia ſanctæ Synaxis impetrare ſolemus. Idem perſuadent allata pro Toſtati, & Vaſquez opinione Sanctorum Cypriani,

Tertullianus.

S. Damaſcenus.

priani,& Gregorij Nyſſeni teſtimonia;quibus tandem ſuf fragatur aliud illuſtriſsimum huiuſce veritatis teſtimo-
S.Thomas. nium doctoris Angelici,quod lect.5. in illud Ioannis 19. iam multoties recitatum videat lector.

Secunda aſſertio. Re ipſa tamen à plerisq; SS.Patrum vulnus lateris,ſanguinis,& aquæ fluxiones nõ ſolúm myſteria,ſed vera Sacramenta, hoc eſt noſtrę reparationis opera dicuntur,etiã ſi Toſt.,& alij id concedere renuant. Faciunt verò manifeſtã fidẽ aſſertioni ſecundę allata á nobis ſuperiori ſecũdo huius diſputationis capite SS. Patrũ teſtimonia, quib. haud ſatisfieri poſſe autumo,ſi dicatur, ea appellari á Patribus Sacramẽta ex eo ſolũ ꝙ redẽptionis noſtrę ſint ſigna; qñquidem præter impropriam verborum,& locutionis ſignificationem,qua vſos eſſe SS.Patres concedunt; quis prætereà nõ animaduertit eam explanationem haud poſſe cõpetere in eam S.Ambr. ſent. cuius hęc ſunt verba;*aqua ad lauacrum,ſanguis ad pretium; aqua nos abluit,ſanguis redimit*;immo violẽtam eſſe illis D. Auguſt.verbis,*Quid iſto ſanguine mundius?quid vulnere iſto ſalubrius?* Ad hæc illud ipsũ,quo opinionẽ ſuam Vaſquez
S. Ambroſius. tuetur,D.Epiph.teſtimoniũ in eũdem pugnat,ſi rectè perpendatur;ſic .n.habet Epiph.*Apertum eſt ipſi latus,& myſteria ſanguinis,& aquæ pretia redemptionis facta ſunt*. Ergo aqua,& ſanguis non ſolùm myſteria,ſed & pretia noſtræ redemptionis fuêre; quod diſertis verbis expreſſiſſe videtur D.Ambr.lib.5.de Sacramentis. vbi docet quam ex latere Xpi emanaſſe,vt genus humanũ à ſordibus peccatorum emundaretur;ſanguinem verò,vt redimeretur, ergo redemptionis noſtræ opus non fuiſſe vulnus lateris Xpi ſalua tanti Patris auctoritate non poterit affirmari.

Tertia aſſertio. Effuſio aquæ,& ſanguinis ex latere *X*pi decur-

decurrentis opus meritoriũ fuit dũtaxat virtute prioris illius humanę Xp̃i voluntatis, qua vulnus lateri ſuo infligẽdum acceptauit, atq. obtulit in humanę reparationis pretiũ. Etenim cũ prę cipua meriti radix in Xp̃o Dño, ſicut in cæteris hominibus humanæ volũtatis libertas eſſet, ei. n. meritorũ rõ maximè nititur excepta diuinæ benignitatis gratia) cumq. Seruatoris corpus per ea tempora, quib. lancea latus eius patuit, omni vitali ſpiritu, humanaque voluntate careret, dubio procul exceptæ in latus plagæ meritum in eam Chriſti voluntatem referẽdum eſt, qua ante obitum libero voluntatis actu cuſpidis ictum ſibi ab intellectiua facultate repræſentatum pati voluit.

Difficultas

At neq. hac ratione lateris Xp̃i vulnus meritoriũ iurè appellãdũ eſſe aies, propterea q̃ ad meriti rõem omnino neceſſe ſit, vt & opus liberum, moraleq. exiſtat eo ipſo tẽporis articulo, quo perficitur, & inſuper originem trahat non ex qualibet volũtatis libertate, ſed ex ea ſolùm, quę in ipſo operis exercitio viget; quorum tamen neutrum in Saluatore lancea petito inueniri potuit, quippequi neq; vitæ, neq; libertatis, cum vulneraretur, tunc capax fuit. Prætereà alicuius vulneris meritum in afflictatione, ac dolore, quo quis afficitur, ſitum eſt; nullum igitur vulneri Saluatoris meritum potuit cõuenire, cum omnis doloris, ac cruciatus expertem tunc fuiſſe dominum palam ſit. Verùm iſtud, quod aduerſus opinionem noſtram adducitur, haud concludit prorſus à vulnere Chriſti ſemouendum eſſe meritum, ſed demonſtrat nõ fuiſſe meritorium tunc, cum re ipſa infflictum eſt Saluatori vulnus, q̃ damus nos etiam libenter, velut docuiſſe arbitramur Sanctos Patres, cum plagam lateris Chriſti opus humanę redemptionis fuiſſe pronunciarunt, id enim in priorem

Solutio difficultatis.

Chri-

Christi adhuc viuentis, ac vulnus acceptantis voluntatẽ conijciendum est, virtute cuius lanceæ ictus redemptioni nostræ mirũ in modum profuit. Enim verò si non absimilis voluntas ad demeritum, & peccatum sufficit, cur eadẽ ẽt sufficere non poterit ad meritum? (si tamen cætera, quę ad meriti naturam exiguntur, adsint; maxime cũ contraria moralia circa idem facilè contingere soleant) at mortiferæ culpæ reus is censendus est tunc cum præuidens se dormiturum eo tempore, quo persoluere diuinas preces tenetur, somno indulget, non persoluto diuinarum horarum penso, ob eam voluntatem, quę somnum ea tẽporis mora illicitum acceptauit, quãuis postea impotens onus suum adimplendi hora debita per somnum reddatur; ergo pari ratione nunc meruit Christus cum futurũ lateris sui vulnus agnoscens, illud pro nostra redẽptione liberè acceptauit. Ex quo primum argumentum dissoluitur. Etsi Christus lateris dolorem formaliter non sen-

Ad secundum.

serit; interpretatiuè tamẽ ex lateris plaga, quam animo prę sensit, molestiam hausit non mediocrem.

Cęterę argumentationes peruincunt, viatoris statum ad meriti rationem perneccessarium esse, quod nos vltrò fatemur.

FINIS.

Laus Deo, Deiparęq; Virgini, & S. Ambrosio.

MEDIOLANI,

Apud Io. Iacobum Comum, & Io. Angelum Nauam.

BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

COLLIO
DE
Sanguine
Christi

A-1888
2761